1545

Universidad de Deusto
Biblioteca



Archivo de Loyola

Estante .....
Plúteo .....

Universidad de Deusto
Biblioteca

I. H. S.

Catena explanationum veterum
Sanctorum Patrum. Joan. Bernado Felic.
Venetiis apud Juntas.

Año 1545.

(Archivo de Loyola).

A-4-15.
Vitrina C
S. 4
375

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hyppf. Adriantiet amicorum 263

CATENA EXPLA-

NATIONVM VETERVM SANCTORVM PATRVM IN ACTA APOSTOLORVM ET EPISTOLAS CATHOLICAS

IOANNE BERNARDO FELICIANO INTERPRETE



Cum Summi Pontificis, & Senatus Veneti privilegio in annos.x.

VENETIIS M. D. XLV.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nomina auctorum unde contexta hæc catena est.

Cyrillus
Theodoretus
Photius
Basilius
Seuerianus
Gregorius Nissæ-
nus
Athanasius
Methodius
Clemens
Epiphanius
Gregorius Nazan
zenus
Irenæus
Gennadius
Ioan. Chrysosto-
mus
Eusebius
Dionysius
Isidorus
Acacius
Oecumenius
Andreas Cæsa-
reę archiepisco
pus

AD ILLVSTRISSIMVM, AC REVERENDISSIMVM ALEXANDRVM FARNESIVM S.R.E. CARDINALEM AMPLISSIMVM

Io. Bernardi Feliciani in catenam græcarum in nouã scripturam explanationum præfatio:

Vbi q̃ necessaria ueterum ecclesiæ doctorũ lectio Christiano homini sit, exponitur.

CVm sæpe Reuerendissime Antistes mecum cogitarẽ, quid esset in causa, cur cum una tãtum sit ueritas, nonnulli tamen sint, qui pro doctrinarum diuersitate nõ diuersa tantum, sed contraria quoq; uera esse opinentur: illud potissimũ mihi succurrebat, q̃ neglecta norma, quæ unicuiq; rei ex mutuo quodam uniuersi consensu adiacet, singula ex sese iudicanda separatim censerent. Nam cum tres gradus sint, in quibus una & eadem ueritas pro ratione tamen temporũ primum obscurius paulo, deinde clarius, postremo apertissime emicuerit, sub natura, sub lege, sub gratia: nemini dubiũ esse de-

beret, quin sicut lex & gratia naturæ, sic legis gratia esset examen: ut nihil una ab altera in ueritate præmostranda nisi quantũ ad perfectionem & imperfectionẽ spectat, discrepare censeretur. Duplex enim doctrinæ genus cum sit, humanum unum, alterum diuinum: humanum esse in præsentia id intelligo, quod cũ ex rerum natura dependeat, ut inquit Augustinus, non institutum & excogitatum, sed animaduersum ab hominibus est. cuiusmodi oĩa sunt, quæ sine superstitione ad rerum & rationum inuestigationem spectant, et non tam ad bene traducendã uitam faciunt, q̃ ad memoriam temporum & rerum gestarum reuocandam: ac quibus demum philosophiæ omnis ratio, ac disciplina constat. Diuinum, alterum nouum est, alterum uetus. Vetus, quod in tabulis lapideis literis mandatum testamẽtum Dei fuit. Nouum, quod in tabulis cordiũ spiritu fuit inscriptum: quod per totum terrarum orbem Apostolorum prædicatione disseminatum in ecclesia uniuersali ita pullulauit, & creuit, ut assidua eiusdem spiritus præsentia conseruetur. Nam quod literis postea traditum est, id pro occasione ad falsos apostolos conuincendos, & fundamenta potius et semina ueri euangelij memoriæ committenda, q̃ ad doctrinam explicandam effectum est. Atq; humana quidẽ doctrina ac philosophia ueritatem, quæ ubicunq; , ut inquit Augustinus, inuenta fuerit, Domini est, in rebus ipsis latentem indagat, naturale lumen sequuta: quod quia exiguum admodum est, et subobscurum, atq; idcirco interdum facit, ut mens imbecilla hallucinetur ac decipiatur, alio lumine, legis uidelicet ac gratiæ, hoc est ueteris & noui testamenti illustretur, necesse est, si absq; ulla dubitatione uerum sit præmonstraturum. ita ut, si quis regula huiusce modi uti in philosophia atq; humana disciplina uoluerit, ut an consentiat cũ lege & gratia, animaduertat, facillima omnia futura ei sint: sin iudicio suo niti maluerit, titubationem et difficultatẽ uel leuissima quæq; interdũ sint allatura. Sic fit, ut ex philosophis q consenserint cũ Mose, et ueritate euãgelica, eos uerius fuisse contẽplatos iudicemus: eos uero qui cõtraria his fuerint opinati, falsa sensisse ac scripsisse non dubitemus. quippe cũ ueritas una cum sit, cõtraria esse ueritati nullo modo possit. Vnde quãobrem admittenda eorũ doctrina sit, non uideo, uel quilicet uerũ esse atq; indubitatũ fateantur, utpote quod fidei lumine illustratũ iam sit Christianũ dogma de mũdi creatiõe, et animæ ĩmorta

Universidad de Deusto
Biblioteca

litate, atq; huiusmodi cæteris, asserere tamen non uerentur non esse falsas rationes, quibus ex hallucinatione philosophi nonnulli contrarium astruere nituntur: quasi fieri ullo pacto queat, ut aut uera duo contraria sint, aut uera principia ea sint, ex quibus falsum colligitur: uel qui propterea q̃ perfectius est bonũ, & clarius, quod ex fide conspicitur, q̃ quod ex philosophia, quicquid naturali lumine perspicitur, aut falsum esse, aut malum contendũt: quasi si falsum aut malum aliquid colligatur, id ex luminis peruersitate, quod ab uno et eodem auctore Deo emanat, non ex hallucinatione nostra existat. cum tamen ficubi tale quippiam uidetur asserere Augustinus, de hallucinatione se intelligere ex eo fine dubio declaret, q̃ semper huiuscemodi uirtutes cum arrogantiæ & superbiæ aut auaritiæ uitio coniungens ad uulgi sensum, in actu tantum exteriori considerat: in quo cum alij omnes philosophi, tum præcipue Aristoteles morales uirtutes non esse constitutas identidem monet, ubi iusta, temperata, fortia, liberalia & similia agere prauos etiam posse, iuste uero, temperate, fortiter, liberaliter, non nisi probos &
1.Cor. 3. d. bene moratos homines posse ostendit. Nã Paulus quoq; sapientiam mũdi nihil aliud q̃ aut

hallucinationem aut incohationem naturalem uidetur appellare, in qua cum quis persistit, & intumescit, ac sapiens ut idem inquit, sibi uidetur, stultus proculdubio est. quin alibi quoq; de cognitione diuina loquens, si quis, inquit, existimat se cognoscere, nondum no- 1.Cor.8.c.
uit, quemadmodum oporteat cognoscere. ubi cognitionem etiam ipsam diuinam non tantum humanam inflare affirmat, si sine charitate sit. Sicut igitur humanum hoc lumen à diuino dirigitur ac iudicatur, ita diuinum quoq; uetus à nouo illustrari censendum est: ut si quis in uetere nulla habita ad nouum ratiõe uelit persistere, nihilo minus in errore permansurus sit. Nam cum in figura & umbra omnia illis contingerent, nisi & figura ad ueritatem quam effingit, & umbra ad corpus ex quo redditur, fuerit relata, uana futura omnis cognitio est. Veritas autem ipsa et corpus, nouum testamentũ est, quod à uetere per umbras & figuras significatur. Modus autem ac commodandarum figurarũ ueritati satis multis locis in noua scriptura indicatus est, ubi ex uetere testimonia quãplurima citata reperiũtur. Cum enim in diuina scriptura, utpote spiritu Dei tradita non tantũ uoces sicut in humanis, sed res quoq; ipsæ significent, fit, ut du-

plex eius sensus euadat. Nã si eandem scriptu
rã extrinsecus ex uocum significato tantũ con
sideremus, historicus seu literalis sensus existit:
in quo perseuerare ac persistere nihilo secius im
perfectũ est, ac si in naturali incobatione per
mãsissemus: si intrinsecus ex rerum ipsarũ indi
catione pscrutemur, ad Christi aduẽtum, qui
finis legis est, deueniemus, ac spiritualẽ sensum
iã habebimus: qui quo perfectior literali est, eo
nobilior ẽt censendus ac dignior est, quẽ atten
dere debeamus: quippe cũ, sicut inquit Aposto
Ephe. 1. b. lus, omnia in Christo in unam quasi summã re
dacta iam sint, uerbumq; in eo fuerit abbreuia
Rom. 9. f. tũ. Spiritualis uero is sensus, cũ Christi aduen
tus triplex sit, in mũdum ad fidẽ instituendã,
in animã uniuscuiusq; ad cõponendos mores,
in gloriam ad mionẽ nostri cum patre facien
dam, triplex etiã ipse euadit. unus siquidem et
idem sensus si ad ecclesiam quæ in mundo ad
huc militat, referatur, allegoricus proprie est:
si ad ecclesiam particularem quæ in unoquoq;
nostrum est, tropologicus fit, et moralis: si ad ec
clesiam in cœlo triumphantẽ, anagogicus &
mysticus efficitur. Qui omnes quidẽ sensus ex
Matth. 13. f. scriptura ipsa noua cũ alibi colligi facile pos
Lucæ. 17. e sunt, tum ubi modo ecclesia, modo unusquisq;
Matth. 5. a. nostrũ, modo cœlestis patria, regnum cælorũ
Matth. 11. b

appellatur. Atq; ita quidẽ fit, ut uetus scriptu
ra his tribus modis à noua explicetur. Noua
uero ipsa cũ & prius et explicatius in tabulis
cordiũ, sicut diximus, q̃ in membranis scripta
fuerit, nihil aliud habet, quo referatur, & à
quo cõprobationem sui, et iudiciũ petere pos
sit, q̃ catholicæ ecclesiæ institutionẽ et auctori
tatẽ: in qua cũ à spiritu Dei et custodiatur, et
regatur, timendũ nõ est, ne ullus error subesse,
aut ulla falsitas queat. Cui rei illud ĩdicio est,
q̃ licet in scriptura euãgelica fundari quan
doq; falsitas possit, id quod ex ĩnumerabilibus
hæresibus iã patuit: in ecclesia catholica inniti
falsi et subdoli nihil unq̃ potest: ut nõ ĩmerito
nõ habere maculã aut rugam prædicetur. sine Ephe. 5. f.
spiritu n. qui uiuificat, litera omnis etiã euan 2. Cor. 3. b.
gelica occidit. sine spiritu aũt est, cum catholi
cæ ecclesiæ sensu non intelligitur. id quod Pau
lus etiã uidetur significare, cũ seueriss ima illa
detestatiõe utitur, ubi inquit: si quis uobis euã Gal. 1. b.
gelizauerit, siue nos, siue angelus è cœlo præ
ter id quod accepistis, anathema sit: quo in lo
co de prædicatiõe et traditionibus quas accepe
rãt, non de scriptura quæ nondũ extabat, loq
eũ, nemini dubiũ est. quæ quidẽ traditiones ab
Apostolis seminatæ, tot martyrũ sanguine ir
rigatæ, à doctoribus cultæ, à posteris per cõti

nuam succeſſionẽ obſeruatæ, altiſſimis radicibus firmatæ iam ſunt. Si quis aũt eſt, qui adeo ſibi fidat, ut quia in cordibus ſcriptũ eſt hoc teſtamentũ, illuſtratum denuo priuatim ſe eſſe
2. Cor. 11. c existimet ipſe uiderit. Cauendum tamen idem Paulus monet, cum ipſe etiam ſathanas in angelum lucis ſeſe transformet, ne decipiamur. Non decipi autem nos inde perſpicuum erit, ſi illuminatio noſtra ab eccleſiæ uniuerſalis illuminatione nulla ex parte diſſenſerit. id ſiquidem ipſe Paulus etiam docet: quippe qui præ
2. Cor. 11. a Gal. 2. b. cipuum argumentum & apud Corinthios, et apud Galatas, q̃ peculiari illuminatione a Deo fuerit inſtructus, illud faciat, q̃ cum ab aliꝭs Apoſtolis non didicerit, conſentanea illis prædicarit, nullaq; in re diuerſa ab illis docuerit. Nam ſi nouum quoddam lumen nobis pro arbitrio noſtro cõfingere maluerimus, omnia nobis obtenebrabuntur ac confundentur: ita ut doctrinas quoq; omnes humanas, quæ naturali lumine etiam ſine hallucinatione & errore percipiuntur, adeo eſſe peruerſas & falſas ſimus opinaturi, ut non modo quicq̃ non proſint, uerum etiam à Deo homines penitus alienent atq; excludant. quod quãto in errore uerſetur, perſpicuum eſſe inde poteſt, quòd cum tria lumina hæc ſint, quæ commemoraui, na-

turæ, legis, & gratiæ, & ita connexa inter ſe ſint, ut quod prius extitit, poſterioris certitudine illuſtretur: illud quod poſterius eſt & certius, quod prius eſt, non tollit, ſed confirmat ac perficit, nouumq; aliud inſuper adiungit, ad quod pertingere prius illud non poterat. Quẽ admodũ enim ſi quis lumen naturale dubiæ luci crepuſculi, lumen ueteris teſtamenti luci quidẽ diei, ſed nube tamen obſcuratæ, lumen noui teſtamẽti claræ ſolis luci meridianæ ſimile eſſe diceret: is nequaq̃ aſſereret lucem diei eo q̃ clarior ſit & certior, propterea efficere, ut ea uel falſa uel nulla ſint, quæ in crepuſculo conſpecta fuerint, niſi hallucinãdo quiſpiam errauerit: immo quo clarior dies illuceſſit, præterq̃ q̃ & hallucinationem omnem tollit, & tenuiora ac perfectiora formarum lineamenta quæ conĩci fortaſſe aliqua ex parte ſubobſcura ea luce, ſed percipi nullo modo poterãt, manifeſtiora efficiuntur: eo certiora quoq; illa ipſa fieri exiſtimaret, & quo certiora, eo nobiliora, & utiliora: quippe quæ magis homines in diuinæ huius fabricæ admirationem inducant. Cum enim naturalis cognitio res in generatione conſtitutas tantũ conſideret, in ſecundis cauſis contemplãdis uerſatur: primam uero omnium cauſam, qui eſt Deus, non aliter

explorat, nisi quatenus ad secũdas respicit, et ab ea secundæ omnes necessario dependent: ut lumen naturæ non nisi crassiorem quasi quandam corporis molẽ, & formã rudiorẽ intuentibus possit aperire, cognitio autem diuina superueniens quasi lux diei minutiora etiam & exquisitiora, quæ perfectionem totam afferunt & absoluunt, explorata nobis facit: Deumq; ipsum in se considerans admiranda etiam quæ sine secundarum causarum ope ulla et effecit, & efficit, ita manifestat, ut non modo secundarum causarum cognitionem non tollat, sed etiam illustret. Alioqui enim si ob clariorem cognitionem quæ ex fidei lumine existit, repudiari scientia naturalis deberet, uetus etiam scriptura esset damnanda & fugienda, quia à nouæ explanata iam fuit: neq; amplius ei studium ullum esset adhibendum: cui quidem quantum noui testamenti luce præuia insudent sancti omnes patres, & merito insudandum sit, nemo est qui nesciat: quippe cum plena omnia in eâ mysteriis sint: ut quo profundiore indagatione sensa eruuntur, eo certior & iucundior in umbra ueritas emicet. unde à summa ueritate commendatur doctor qui
Matth. 15. g similis patri familias est, qui de thesauro suo noua & uetera exponit, ac profert. Sicut igi-

tur illa falsis rabbinorum quorundam fabulosis commentis reiectis amplectenda est: ita naturalis omnis doctrina falsis quorundam hallucinationibus euitatis sic est perueſtiganda, ut quo profundius quis penetrarit, eo magis in natura rerum diuinitatem admiretur. Immo cum naturam nihil aliud esse quam diuinæ artis in rebus insitam rationem constet, tantum abest ut damnandum eum esse censeam qui hanc diligenter perscrutatur, ut qui id non facit, quatenus non postpositis charitatis officijs potest, parum gratus ergà sapientissimum rerum omnium artificem mihi esse uideatur. Nam neq; cum fide præuia ac duce id fiat, timendum est, ne euanescat consideratio: neq; cum merito fidei certa omnia hoc lumine conspiciantur, uerendum est, ne rerum certitudine, quæ merito fidei existit, meritum fides amittat. Scire enim per fidem non dicimur, quia sine causa sciamus: sed quia sine causa sciremus, nisi credidissemus. nisi enim Deus uerum nobis præmonstrasset, in tenebris adhuc cespitaremus. Vnde etiam si post fidem de rebus fidei rationes habeamus, propterea tamen non fit, ut fides periclitetur. immo tanto magis fides cõfirmatur, quanto per eã certior ac clarior rerum oĩum cognitio nobis existit.

Adde quòd ante etiam q̃ quis fidei lumine fuerit illustratus, dubia ea crepusculi lux quantum prodesse homini possit, modo oculis mentis non conniueat, & syncero ac pio corde ingrediatur, testis Cornelius centurio est: qui cũ esset gentilis, naturali hoc lumine in eam pietatẽ est inductus, ut dignus habitus fuerit cuius preces à Deo exaudirentur, quiq; ad fidei lumen præmonstrante Angelo perueniret. ad eum enim qui ubiq; præsens est, ut inquit Augustinus, non locis mouemur, sed bono studio, bonisq; moribus accedimus. Quod si quia pauci sunt, qui syncero animo & pie, id est ueritatis & honestatis causa naturales et scientias & actiones pertractent, propterea prauas esse eas uelimus affirmare: uideamus, ne diuinam etiã scripturam euãgelicam eo nomine accusandã esse fateri nobis necesse sit, quia nonnulli sensu suo eam contumaciter interpretantes in errores absurdissimos delabantur. Sed iniustum sanè est, si uitia hominum ad res ipsas transferenda esse censeamus. Sanctã enim scripturam nouam esse dubitat nemo. non propterea tamen fit, ut qui non sancte eam interpretantur, praui esse non existimentur. non sancte enim explanatur, cum catholicæ ecclesiæ sensu non exponitur. Ecclesiæ autẽ sensus ex per-

Act. 10. a.

petua obseruatione ab antiquissima memoria hucusq; tradicta agnoscitur. At antiquissima memoria ex innumerabilibus ueterum sanctorum patrum scriptis facile repræsentatur. Vt enim de Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Gregorio & cæteris huiusmodi taceam è quorum libris omnia ferè uetera ecclesiæ instituta hodie quoq; usurpata deprehenduntur: q̃ multa antiquiores manifestant: q̃ multa Origenes: q̃ multa Nazanzenus: q̃ multa Cyprianus: Nam Basilius de baptismatis celebratione, & chrismatis benedictione, de canone quem appellant missæ, de horis canonicis, atq; huiusmodi alijs, quædam quæ nunc etiam obseruantur, minutissime exprimit, ubi docet multa esse, quæ licet in scriptura expresse mandata non reperiãtur, quin tamen ex Apostolorum traditionibus acceptа fuerint, ex antiquissima obseruatione dubitandum non sit, quæ tamen sicut nonnulli quasi heri inuenta & introducta tanq̃ ex Epimenidis somno experrecti admirãtur: ita egregius ille auctor tot ab hinc seculis (mille enim & trecenti ferè anni post ueritatem illustratam præterierunt) perinde in usu fuisse testatur, ac si memoria quoq; sua & uetustissima haberentur, & comprobata apud omnes es-

sent. Tametsi in scriptoribus quoq; his quantū quidem ad dogmata attinet, regula illa adhibenda est, ut ea ueriora esse intelligamus, & certiora, in quibus cuncti, uel plerique consenserint: in quibus uero dissentire aliquis ab alijs uideatur, caueamus primum ne quæ ad hominē & ad aliorum principia sunt disputata, & pro occasione dicta, in uniuersum asserta existimemus: id quod se alias aduersus Pelagianos nonnunq; facere significat Augustinus, & alijs quoq; esse faciendum monet in eo libro, quem de gratia & libero arbitrio inscripsit: ubi cum multa ex scriptura ad humani arbitrij libertatem comprobādam produxerit, postea timendum esse inquit, ne ista omnia diuina testimonia (eius enim hæc sunt uerba) & quæcunq; alia sunt, quæ sine dubitatione sunt plurima in defensione liberi arbitrij, sic intelligantur, ut ad uitam piam & bonam conuersationem, cui merces æterna debetur, adiutorio & gratiæ Dei locus non relinquatur, et audeat miser homo, quando bene uiuit & bene operatur, uel potius bene uiuere & bene operari sibi uidetur, in seipso non in Domino gloriari, &c. Deinde uidendum est, ne si asserta etiā opinemur, ita simus contentiosi, ut uel non eo modo interpretemur, ut aut cum alijs consentiat,

tiat, aut saltem sibi auctor constet: & demum tam diu uersemus, ut monet idē Augustinus in scriptura sacra esse faciendū, quoad interpretatio ad regnum charitatis deueniat: uel si id non potest, ab uniuersorum cœtu potius, q̄ ab opinione unius discedendum esse censeamus: præsertim cum ipse etiā Augustinus in huiusce modi occasione æquiore animo admissurum se esse uituperatorem, q̄ laudatorem sui in libris de Trinitate fateatur. Quocirca cum mecum hæc reputarē, summa ope mihi enitendum duxi, ut ad sanctorū ueterum patrum lectionem, quasi in portū tutissimū præsertim his periculosissimis tēporibus me conferrem, quibus tantā hostis generis humani siue ignorantiā, siue impudentiā, siue utrunq; disseminauit, ut repente unusquisq; quasi nouo quodā spiritu afflatus, nulla catholicæ ecclesiæ ratione habita, nulla sanctitati doctorū reuerentia exhibita, nullo in discendo studio collocato interpretādæ scripturæ pro libidine sua, & docendi munus sibi arroget, quasi solus ipse ecclesia catholica sit: cū tamen Augustinus eum seiunctū a' charitate & Deo esse affirmet, qui se a' catholica i. uniuersali ecclesia separauerit. Vbi cum inter alia in quasdā ueterum doctorum græcorū explanationes nouæ scripturæ incidissem, nō ab

re facturum esse me existimaui, si eas in latinã linguam uertere potuissem: primũ, quia pij et Christiani animi esse mihi uidebatur, ut tranquillitatẽ et securitatem qua ego legendis his perfruebar, aljs quoq; impertiri conarer: deinde quia cum in euangelia catenã quam appellant aureã, latini haberent, opus præstantissimum ex ueteribus auctoribus tam græcis q̃ latinis à Thoma Aquinate & sapientissimo, et sanctissimo doctore miro ordine collectũ ac dispositum, reliquã omnem nouæ scripturæ partẽ, hoc est tã acta Apostolorũ et epistolas Pauli, q̃ cæteras aliorum Apostolorũ, quas canonicas uocant, et Apocalypsin commentaria hæc explicabant in modũ catenæ etiam ipsa contexta: ut si latinitate fuissent donata, eã subsequi nõ incongrue posse uiderentur. Tum illud quoq; accedebat, q̃ quo diligentius & diutius hæc pertractarẽ, id quod in uertẽdis ipsis omnino mihi erat faciendũ, eo maiorem utilitatem percepturũ me esse sperabã, ut omnibus his de causis negotium hoc non inuitus susceperim. Sed cum rem eò tandẽ deduxissem, ut explanationes ipsas essem interpretatus, amicorum flagitationibus postea effectũ est, ut ad contextus quoq; ipsius nonnulla ad græcorũ exemplariũ fidem immutanda animũ adiecerim.

Qua in re tamen ne præceps admodũ essem, nec quicq̃ uariarem, nisi ubi explanationũ uis interdum coegisset, Ambrosius monuit: qui in epistolam Apostoli ad Romanos de græcorũ cod: cum discrepantia loquens, quæ tunc in latinis reprehendebãtur codicibus, sic inueniri à ueteribus posita Tertulliano, Victorino, et Cypriano testatur. Vt non ita temere græcorũ codicum fidem absq; doctorũ, & temporum etiã consensu attendendã esse declaret. Cum igitur catenæ huius opus iam absoluerim, id præcipue tibi Reuerẽdissime Farnesi propterea offerendũ duxi, quia cum superioribus annis moralia Aristotelis cum Eustratij explanationibus lumine naturali elucubratũ opus sub tuo nomine edidissem, in quo humana ad mores animi componẽdos disciplina exquisite et sancte ita traditur, ut non leuẽ illa quidem ad perfectionem diuinã præparationem afferat: cõsentaneum esse uidebatur, ut quicquid efficere posstea potuissem, quod ad diuinã hanc perfectionem aliqua ex parte spectaret, totum id eidẽ tibi deberetur. præsertim cũ in amplissima dignitate & auctoritate in ecclesia iam ab adolescẽtia constitutus eã animi præstantiam præ te semper tuleris, ut cum in omnibus maximis Christianæ reip. negocijs, tum in his præcipue

tibi uersandũ esse duxeris, quæ ad charitatem & perfectionem, omniumq; utilitatem et concordiam maxime attinẽt. In quibus proximis his annis quo modo te gesseris, inde perspicere unusquisq; potest, q̃ in tanta christianorum principum dissensione nullos uel maximorum itinerum laboris recusandos, nullam uel minimam occasionem omittendam censueris, unde opem aliquam rebus afferre te posse sperares, ut ea de causa libentius etiã accepturos homines putem, quicquid tuo nomini dicatũ in publicum exierit. Accedit q̃ cum tam benigne, quæ tua singularis humanitas est, Eustrati illud opus antea susceperis, non diffido fore, ut tibi hoc iucundius accidat: ac tanto quidem iucundius, quanto è sublimiore & diuiniore lumine extiterit. Nam quod ad meam interpretationem attinet, non dubito, quin eam nõ exiguum maximæ meæ erga te obseruãtiæ ac uenerationis argumentum omnes sint existimaturi. Vale.

EX COMMENTARIIS DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI IN MATTHAEVM DE SACRARVM SCRIPTVRARVM LECTIONE.

DEbebamus quidẽ nos neq; ulla scripturarũ ope indigere, sed ita puritate uitę pręstare, ut spũs gratia animis nostris uicẽ librorũ expleret: ut sicut libri attramento, ita corda nostra spiritu essent inscripta. Quoniam uero gratiam hanc repudiauimus, age uel secundam nauigationẽ amplectamur. Nam prius illud longe melius fuisse ex ijs quę & dixit & fecit Deus, nobis manifestauit. Cũ Noe enĩ et Abrahã et filijs eius, et Iob, et Moyse non per literas, sed ipse, cũ purũ eorum animum inuenisset, coràm loquebatur Deus. Vbi autem in fundum improbitatis totus hebręorũ populus fuisset delapsus, postmodum literę & tabulę, ut per eas commonerentur, necessarię euaserũt. Atq; hoc sanctis contigisse non in uetere tantũ testamento, sed in nouo quoq; uidere unusquisq; põt. Neq; enim Apostolis scriptum quicpiam dedit Deus, sed loco literarum spiritus gratiam daturũ se esse promisit. Ille enim inquit, cõmemorabit uobis oĩa. Vtq; hoc multo melius fuisse intelligas, audi quid per prophetam dicat: Instituam, inquit, uobis testamentũ

Gen. 6. b
Gen. 17. a
Iob. 38. a
Exo. 3. a
Exo. 20. a
Exo. 34. a
Ioã. 14. d
Hiere. 31. f

Universidad de Deusto
Biblioteca

nouum, dans leges meas in animum uestrum, & in corda uestra scribam ipsas, et erunt omnes
2.Cor.3.a dociles Deo. Vnde Paulus excellentiã hanc significans se non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carneis legem accepisse dicebat. Sed cũ tempore procedente alĳ dogmatibus, alĳ uita et moribus exorbitassent, rursus literarum commonitione opus fuit. Considera igitur quantum malum sit, si nos qui ita pure uiuere debebamus, ut ne scripturis quidem ullis indigeremus, sed loco librorum corda nostra spiritui inscribenda exhiberemus: ubi prestantiam eam amisimus, & literarum adiumẽto indiguimus, secundo remedio opportune uti non uelimus. nam si crimen est ꝙ eò relapsi simus, ut literarũ auxilio indiguerimus, & gratiam spiritus non seruauerimus: quanta accusatione digni censendi sumus, si ex oblato nobis hoc adiumento utilitatem consequi recusemus, & quasi frustra nobis datas literas negligamus? in maiorem sanè pœnam incideremus. Quod ne nobis contingat, diligenter quęso scripturis attendamus: & consideremus, quo pacto uetus lex fuerit tradita, & quo pacto nouum testamentum institutum. Quo modo igitur, & quando, & ubi data illa lex fuit? Post Aegyptiorũ perniciem in de-
Exo.19.a serto, in mõte Sina, cum ex eo & fumus et ignis exiret, cum tubę sonitu, et tonitruis, et fulguribus cum in ipsam caliginẽ penetrasset Moyses. In nouo autem testamento non ita, neq; in de-
Act.2.a serto, neq; in monte, neq; cum fumo & tenebris & caligine & procella, sed principio diei in domo oĩbus confidentibus multa cum quiete effecta omnia sunt. quippe cum illis q rudiores adhuc erant & intractabiliores, corporali quadã specie opus fuerit, deserti uidelicet, mõtis, fumi, sonitus tubę, aliorumq; similiũ: sublimiores uero & obtemperantiores: qui corporum sensum transcenderant, nulla huiusmodi re indigerent. Nam licet in ipsis sonitus etiam quidam contigerit, id nõ ob Apostolos, sed ob Iudęos qui aderant, euenit, quorum etiam causa linguę quasi ignis apparuerunt. Si enim etiam post hæc si-
Act.2.a gna musto esse plenos Apostolos dixerunt, multo magis si nihil eorum uidissent, fuissent dicturi. Atq; in ueteri quidem testamento cum ascẽ-
Exo.19.a disset Moyses, ita Deus descendit. Hic natura nostra in cœlum, immo in solium regale subducta spiritus descẽdit. Si autem spiritus esset minor, quę facta ab ipso sunt, maiora atq; admirabiliora nullo pacto essent. Nam sicut tabulę hę cordis multo meliores, ita facta multo fuerunt splendidiora. Non enim e monte descenderũt Apostoli, sicut Moyses, lapideas tabulas
Exo.19.d in manibus gestantes: sed spiritum in animo circunferentes, & thesaurum quendam & fontem dogmatum & gratiarum & bonorum omnium scatentem aperientes atq; effundentes cum libri ipsi essent per gratiam ac leges animatę, quocunq; discurrebant. Ita tria milia hominum,
Act.2.g ita quinq; milia, ita totius orbis populos attraxerunt, cum Deus per eorum linguam omnes accedentes alloqueretur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EIVSDEM CHRYSOSTOMI. in acta Apostolorum prefatio.

MVltis neq; qs sit liber is, neq; qs eũ scripserit ac cõposuerit, satis notũ ẽ. iccirco ego in hoc p̃cipue necessario mihi icũbendũ cẽsui, ut ignorãtes monerẽ, & nõ cõmitterem ut tantus thesaurus lateret, atq; occultus iaceret. Tãta enim philosophia, & dogmatum rectitudine, eorum maxime quę de spiritu dicta sunt, est refertus, ut non minorem q̃ euangelia nobis afferre utilitatem possit. Ne igitur ipsum negligenter prętereamus, sed studiose atq; accurate perpendamus. Hic enim uidere licet ea quę in euangelijs prędixit Christus, re ipsa euenisse, ut in rebus ipsis lucentem iam ueritatẽ conspiciamus. Hic multam discipulorum in melius mutationẽ ex spiritu effectam animaduertere possumus. Audiuerant quippe à Christo dicente, unusquisq; qui in me credit, signa quę ego facio, etiam ipse faciet, & maiora his faciet. Audiuerãt, cum prędiceret, ad principes & reges deducendos ipsos esse, & in synagogis illorum esse flagellandos, innumerabilia passuros, atq; omnia demũ superaturos, in totoq; mundo euangelium esse prædicandum. Quę sanè omnia uera euasisse hoc in libro intueri unusquisq; potest. necnon plura alia, quę cum discipulis uersans Christus prænũciauit. Ipsos uero Apostolos per mare ac terram tanq; aues transuolando hic percurrere uidebis, & timidos illos atq; imprudentes aliquando, repente alios fuisse effectos, ut & diuitiarum superbia, & gloria, & ira, & cupiditate & omnibus huiusmodi sublimiores euaserint. Nullam in his uel inuidiam ut prius, uel principatus cupiditatem animaduertes, sed maximã in omnibus concordiam, atq; omnem denicq; uirtutem absolutam ac perfectam, charitatemq; in primis fulgentem in ipsis admiraberis: de qua multa sępe ipsis pręceperat magister, cum diceret, in hoc cognoscent omnes uos meos esse discipulos, si mutua uos charitate fueritis prosequuti. Adde q̃ dogmata etiam quędam inuenire hic possumus, quę nisi hic extaret liber, nemini aliunde ita innotescerent: sed salutis nostrę summa quãtum ad uitã & decreta spectaret, obscura esset, atq; occultaretur. Quòd autẽ maiorẽ partem huiusce libri Pauli gesta qui supra omnes alios maxime laborauit, sibi uendicarint, illud in causa est, quod qui librum hunc composuit beatus Lucas, discipulus ipsius fuit. Cuius quidem Lucę uirtutem cum multis alijs ex rebus, tum pręcipue ex eo conspicere ualemus, q̃ magistro semper adhęserit, sequutusq; semper eum fuerit. Nam quando etiã omnes ipsum deseruerant, alius in Galatiam, alius in Dalmatiã profectus, quid de ipso dicat Paulus, audi: Lucas est, inquit, solus mecum. & ad Corinthios scribens de ipso ita loquitur: cuius laus in euangelio est per omnes ecclesias. & cum inquit, Cę phę apparuit, deinde undecim iuxta euangeliũ quod accepistis, de hoc loquitur. Quare si quis tractationem hanc ipsi attribueret, cum ipsi di-

Ioã. 14. b.
Matth. 10. b & c.
Ioã. 16. g.
Matth. 24. a & b.
Ioã. 13. d.
2. Timo. 4. b
2. Cor. 8. c
1. Cor 15. a

Universidad de Deusto
Biblioteca

co, dico Christo: non erraturus esse uideretur. Sed cur, dicet quispiã, si semper cum ipso fuit, non omnia usq; ad finem descripsit? respondendum illud est: ijs qui diligentiã adhibere uoluerint, hęc sufficere: ipsosq; ijs q̃ necessaria erant, attẽdisse, neq; libris conscribẽdis studuisse, cũ multas etiam sine scriptis traditiones relinquerẽt. Oĩa igitur quę hoc in libro cõscripta sunt, digna quidem sunt admiratione, sed illud tamẽ pręcipue, quod Apostoli sese ad audientium captum consensione quadã usi demittũt: id quod spiritus eis suggessit, quo in dispensationis sermone & prædicatione immorarentur. Vnde cũ multa de Christo loquuti fuerint, pauca de eius diuinitate, de humanitate uero & passione & resurrectione, & assensione pleraq; disseruerunt. Q uod enim tunc requirebatur, erat, ut resurrexisse & ascendisse in cœlos crederetur. Proinde sicut Christus præcipue atq; ante omnia se a patre uenisse studebat ostendere: ita hic pręcipue dat operã, ut resurrexisse Christum, assumptumq; fuisse, atq; ad eum redisse à quo uenerat, declaret. Nisi enim hoc prius creditũ fuisset, maiorq; aliqua resurrectionis & assumptionis confirmatio accessisset, totũ dogma nõ credẽdum Iudęis apparuisset. Iccirco sensim ac paulatim ad altiora ipsos prouehit. Athenis uero etiam hominem Christum appellat Paulus, neq; quicq; aliud adiungit. Nam si Christũ ipsum de ęqualitate quam cum patre habebat, diferentem lapidare sępenumero conati sunt, & maledicum propterea uocabãt: sero profecto à

Act. 17. g

Ioã. 10. f.
Matth. 26. f

piscatoribus idẽ admisissent: pręsertim cum iã crucis opprobriũ prędicassent. Sed qd Iudęos dico? cum ẽt ipsi discipuli tunc sublimiora dogmata audiendo sępe turbarentur, ac scandalo afficerentur? unde ipsis ẽt dicebat: multa habeo uobis dicere, sed gestare ea non potestis. Q ui si illi qui tãdiu cum eo uersati fuerant, qui tot arcanorum facti fuerant participes, qui tot miracula conspexerant, percipere ea non poterant: quo modo homines ab aris & idolis, & uictimis, & felibus, et crocodilis, talia.n. erant quę à grędis colebantur, atq; aliis huiusmodi auulsi repente ita sublimes dogmatum sermones admissi essent? Q uomodo iudęi, quorum aures per singulos dies huiusmodi monitionibus personant, Dñs Deus tuus, Dñs unus est, & pręter ipsum non est alius. q ipsum cruci affixũ inspexerunt, ĩmo etiã cruci ipsi affixerunt, & sepelierunt, & non uiderunt resurrexisse: si Deũ ipsum illum esse, et patri ęqualẽ audiuissent, nõ maxime omniũ refugissent, sesęq; ab aliorũ consortio abrupissent? Propterea sensim ac paulatim ipsos hos, puehunt, multũq; hac consensionis dispensatiõe utũtur: abundantiorem ẽt spiritus gratiã consequuntur, maioraq; q̃ ipse fecerit, in nomine ipsius operantur: ut utroq; hoc modo eos humiliacentes excitarent, et resurrectionis p̃dicationẽ cõfirmarent. Hic.n. liber resurrectionis pręcipue demonstratio est: qua credita cętera apte prograediuntur. Atq; huiusce quidẽ libri argumentum, ac totus scopus, sicut summatim colligere quispiam posset, huiusmodi est.

Ioã. 6. f.

Ioã. 16. c.

Deut. 4. f.
Deut. 6. a

Act. 5. c.
Act. 19. b.

LIBRI GESTORVM. argumentum.

APostolorū gesta qui narrat, est Lucas euangelista: qui cum Antiochenus esset genere, & scientia medicus, simul cum Apostolis & pręcipue cū Paulo peregrinatus est: atq; ita ea quę accurate nouerat, describit. Capita eorū quę narrat, hęc sunt. Angelis excipientibus assumptū esse Dominum: Spiritū sanctum in quinquagesima in apostolos & omnes qui aderant, effusum fuisse: Matthiā loco Iudę proditoris fuisse substitutum: Septem diaconos institutos fuisse. Quo pacto electus Paulus fuerit, & quę sit passus. Quęcunq; item Apostoli oratione & fide in Christum miracula fecerint.

SIGNA Apostolorum quę hic narrantur, hęc sunt.

PETRVS & Ioannes claudum ab ortu qui ad speciosam portam considebat in nomine Domini curauerunt. Cap. 3.

Petrus Ananiā & Sapphirā q ex pecunijs quas Deo ꝓmiserant, quasdā defraudauerāt, coarguit, et statim mortui ceciderūt. Cap. 5.

Petrus in Ioppe Dorcadam quę & Tabetha dicebatur, mortuam precibus effusis a mortuis suscitauit. Cap. 9.

Petrus uas e cœlo demissum omnibus animalibus plenum inspexit. Cap. 10.

Petri umbra ingredientis super ęgrotātes pertransiens eos sanabat. Cap. 5.

Petrus uinctus & custoditus in carcere non ui

dētibus militibus fuit absolutus. et Herodes uermibus corrosus interijt. Cap. 12.

STEPHANVS ꝓdigia facit & signa. Cap. 6.

PHILIPPVS Eunucho legenti propheam Esaiam astitit, eumq; baptizauit. Cap. 8.

Philippus idē in Samaria multos spūs eiecit, & claudos et resolutos multos curauit. Cap. 8.

Philippus raptus à spiritu, atq; in Azotum trāslatus est. Cap. 8.

PAVLVS cū appropīquaret Damasco uisionē inspexit, et statī euāgelista euasit. Cap. 9

Paulus ī Lystris claudū ab ortu in nomine Domini sanauit. Cap. 14.

Paulus ex uisione in Macedoniam est uocatus. Cap. 16.

Paulus mulierem spiritum Pythonis habentē in philippis purgauit. Cap. 16.

Paulo & Syla cū in carcere concluſi essent, & compedibus ligneis constricti, media nocte orantibus, factus terrę motus est, ac soluta eorum uincula sunt. Cap. 16.

A corpore Pauli sudaria supra ęgrotantes & a dęmonibus uexatos imponebantur, & salutem consequebantur. Cap. 19.

Paulus in Troade Eutychum e fenestra delapsum ac mortuū suscitauit. Cap. 10.

Paulus magum Elymam in Cypro īcrepauit, & cęcum eum reddidit. Cap. 13.

Cū nauigaret Romam Paulus magna tempestate & ipse et qui cum eo in naui erant, per quatuordecim dies agitati sunt, cūq; omnes morituros se crederent, astitit Dñs Paulo,

& dixit, causa tua his uitam donaui: atq; ita incolumes euaserunt. Cap. 27.

Egressum e naui Paulum cum uipera momordisset, oēs ipsum moriturum confestim esse opinabantur. ubi uero illęsus ꝓmansit, Deū esse existimabant. Cap 28.

Patrem Publiī in insula torminibus laborātem impositis manibus sanauit Paulus, & alios multos ęgrotantes curauit. Cap. 28.

NOMINA DVODECIM APOSTOLORVM.

SImon q dicit Petrus. Andreas frē eius. Iacobus. Ioannes. Philippus. Bartholomęus. Thomas. Matthęus publicanus Iacobus Alphęi Simō Cananęus. Iudas Iacobi frē. Matthias iter duodecim loco proditoris Iudę subrogatus.

SEPTEM DIACONORVM NOMINA.

STephanus. Philippus. Prochorus. Nicanor. Timon. Parmenas, & Nicolaus.

EX SEPTVAGINTA DOMINI APOstolis fuerunt etiam hi.

BArnabas. Sosthenes. Cephas cognominis Petri. Matthias q iter duodecim cōnumeratus postea fuit. Barsabas, et Linus, de quo ad Timotheum scribens meminit Paulus. Thadęus, & Clopas, et qui cum ipso erant.

VBI APOSTOLI EVANGELIVM Christi prędicarint, & quo modo defuncti uita fuerint.

SIMON PETRVS Apostolorum princeps, cū ut epistolis suis ipse declarat, in Pōto et Galatia et Cappadocia et Bithinia et in Italia euangeliū prędicasset, Romę postea sub Nerone capite deorsum uerso ita ipsum postulāte cruci affigit, Romęq; 3. Kaleñ. Iuł. sepelit.

ANDREAS frater eius sicut patres nostri tradiderunt, Scythis, Sogdianis, Sacis euangelium Dñi nostri Iesu Christi prędicauit, & ī magna urbe ubi castrū est Apsorus & Phasis fluuius. Sepelitur autem Patris Achaię urbe, cum ab Aegea proconsule cruci fuisset affixus.

IACOBVS Zebedęi filius duodecī tribubus q̄ in dispsione erāt, euangeliū prędicauit: et ab Herode tetrarcha q ēt Agrippa dicebat, gladio est interēptus in urbe Marmarica sepultus est.

IOANNES frater eius in Asia euāgeliū Christi prędicauit cum uero a Traiano in Pathmū insulā ob predicationem Dñi fuisset relegatus, ibi euāgeliū conscripsit. Ephesi sepelitur, cum adhuc uiueret, Deo ita uolente.

PHILIPPVS apostolus in Phrygia euangelium Dñi prędicat. in Hieropoli sepelitur.

BARTHOLOMAEVS Apostolus Indis prędicauit, ijs qui felices appellantur. ipsisq; euangeliū Matthęi tradidit Albani consopitur, quę magnę Armenię indicę urbs est.

THOMAS apostolus sicut proditum memorię est, Parthis, Medis, Persis, Germanis, Hyrcanis & Bactris Christum euāgelizauit. In urbe Calamina Indię sepultus est.

MATTHAEVS euangelista euangeliū Hebraica lingua conscriptum edidit. In Hierapoli Parthię obdormiuit, atq; ibidē est sepultus.

IACOBVS Alphęi q iustus ē cognominatus, primus Hierosolymorū episcopus lapidibus à Iudęis in Hierusalem est interfectus, atq; ibi sepultus in templo est.

TADDAEVS q et Lebbęus, et Iudas Iacobi appellabat Edesenis et toti Mesoporamię uerbū xp̄i annūciauit sub Augaro Edesenorū principe. Beryti ē defunctus, ac sepultus.

SIMON Cananęus Clopę filius, q & Iudas, post Iacobū iustū episcopus Hierosolymis extitit. cumq; annū centesimum ac uigesimum ageret, crucis martyrio sub Traiano rege è uita decessit.

MTTHIAS unus ex septuaginta discipulis loco Iudę Iscariotis cū undecī cōnumeratus ī Aethiopia exteriore morīt, ī regiōe ubi ē castrū Apsarus, cūibi uerbū Dn̄i nunciasset.

PAVLI PERAGRATIO, ET MARTYRIVM.

PAulus apostolus à Damasco incepit, et deuenit Hierusalē, inde Tarsum, e Tarso Antiochiā. et rursus secundo Hierusalē redīt: atq; inde iterum Antiochiā. Vnde segregatus cum Barnaba in apostolatū Seleuciam uenit: deinde in Cyprum est profectus, ubi ēt Paulus est cœptus uocari. Postea Pergen, tum Antiochiā Pisidię, inde Iconiū, ex Iconio Lystrā & Derbē Lycaonię urbes peruenit. in Pamphylīā deinde, et Pergē, et Attaliam: ac rursus tertio in Antiochiā Syrię. postea peragrata Syria et Cilicia iterum Derbē et Lystrā redīt, ubi Timotheū circuncidit. In Phrygiā postea et Galaticā regionem

gionem abīt, inde in Mysiā & Troadem, inde Neapolim, atq; illinc Philippos Macedonię deuenit. Pertransiēs deinde Amphipolim et Apolloniā Thessalonicā est, pfectus, inde Berrhœā, inde Athenas, Athenis Corinthū, unde in Ephesum trāsiit. Ex Epheso in Cęsareā, e Cęsareā secundo in Anthiochiā Pisidię est, pfectus. Inde in Galaticā regionem et Phrygiā Postea secundo Ephesum uenit. Peragrata deinde Macedoniā in Gręciam deuenit. atq; inde repetita Macedonia Philippos secundo petīt. e Philippis in Troadē profectus est, ubi Eutychū qui e fenestra ceciderat, suscitauit. Postmodū in Assum, inde in Mitylenem, inde e regione Chij, inde in Samū, inde in Miletū peruenit. Deinde accersītis ijs qui Ephesi erāt, colloquutus cū ipsis est. Postea in Coum atq; inde Rhodū decessit. inde in Patara, e Pataris in Tyrū. tum in Ptolemaidem. inde in Cęsareā. e Cęsarea rursus tertio in Hierusalē ascendit. Inde traductus in Cęsareā, ac deinceps uinctus Romā perrexit. nā è Cęsarea in Sidonē, e Sydone in Myra Lycię, atq; inde in Cnidū deueniunt. unde postea magna tēpestate agitati in insulā Melitam eiecti sunt, in qua cum Paulus a uipera in manu fuisset morsus, illęsus pmāsit. Ex insula Syracusas adeūt, inde Rhegium, e Rhegio Puteolos petūt. Vnde postea pedestri itinere Romā proficiscenti Paulo fratres usq; ad Appii forum & tres tabernas obuiā proceisere. Cum uero ingressus Romam esset, atq; ibi aliquantum tempus docuisset, postea sub Nerone Cęsare trigesimo sexto anno

✠✠✠

a passione Domini, cum bonū certamen certasset, detruncato capite martyriū consummauit, tertio Kalendas Iulias, anno ab aduentu Dñi nostri Iesu Christi sexagesimo nono. Sunt aūt ex quo martyriū obiit, trecenti ac triginta anni usq; ad pręsentē hunc consulatum qui quartus est Arcadij, & tertius Honorij fratrum imperatorum Augustorum, quindecennalis circuitus indictione nona.

MARCVS euangelista cum Alexādrensibus & toti circum uicinę regioni usq; ad Pentapolim Domini euangeliū prędicasset, Alexandrię in Bucolis cum Ictaro primo Lyci martyre sepelitur. Quem Alexander detulit, & ubi omnes episcopi positi sunt, collocauit.

TITVS episcopus Cretę Cretensibus, & circum adiacentibus insulis Dñi euangelium annunciauit, & ibi mortuus est, ac sepultus.

CRESCENS in Gallijs cū prędicasset obdormiuit, atq; ibidem humi est conditus.

EVNVCHVS Candacis reginę Aethiopū in Arabia felice & in Taprobana insula euangelium prędicauit. eundem ibidem martyrium obijsse, & magnifice sepultum fuisse fama obtinet. & usq; ad hodiernum diem cœmeterium eius extat.

APOSTOLICORVM GESTORVM argumentum alterum.

ET si acta seu gesta apostolorum liber hic inscribit, maiori tū ex parte Pauli facta continet: quę qui hęc conscripsit Lucas,

optime cognoscebat: utpote qui simul cū eo & uixerit, et peregrinatus sit, et multa ei necessaria subministrarit. A gestis aūt aliorum apostolorū exordiri historiā necesse ipsi fuit, quia nisi ea prius fuissent exposita, de Paulo exacte tradi quippiam non poterat. Quo pacto.n. ipsius crudelitas et ferocia in discipulos Christi anteq; ad prędicationē accessisset, fuisset manifestata: Act. 9. a
quo pacto in cędę Stephani consobrini sui cōsensus apparuisset: quo pacto eius inexpectata uocatio et conuersio erga eos quos antea pśequebatur, et periculorū pro ipsis susceptio potuisset declarari: quę omnia iudęos semp ita irritabant atq; exagitabant, ut rabide in eum ferri cogerentur. Nihil sanè horū pśpici satis potuisset, nisi Apostolorū historia pręcessisset. Prętea si ab ipso Paulo narrationē incepisset, prorsus ad explicāda ea quę ipsi contigerunt, digressione sępe uti fuisset necesse: atq; ita sępe narrationis series fuisset interrupta, dum multa subinde interserunt, sine qbus euidenter cōstare quod de Paulo diceret, non potuisset. Vtigitur et perspicuā de eo et non interruptam historiā strueret Lucas a cōmunibus apostolorū gestis est exorsus. Posteaq; uero ad Paulum deuenit, propositum in eo suum pśequutus est, atq; omissis cęteris quod a principio īstituerat, absoluit. Non scripsit aūt neq; mortem Pauli, neq; eius ad Neronem secundā abductionem, licet cū eo adhuc esset, cum Paulus ipse dicat, Lucas mecum est solus: uel qa historiam ꝑpetuam cōponere minime ꝑposuerat, sed eatenus tm pro- 2. Timo. 4. b

gredi uolebat, ut feruens eius erga Christū stu
diū et adhęsionem, quęq; eò spectabāt, manife
staret: uel qa occasio ei data non fuerit, qua de-
ducere ad calcem institutū opus liceret: quippe
cū multę a psequutoribus Christi quę tunc īce
pere, turbationes esse īpedimento potuerint. Li
cet igitur liberis gesta apostolorū a principio
polliceat, sicut iam diximus, uerius tñ spiritus
sancti gesta in eo cōtinentur. Q uę.n. admira-
bilia ab Apostolis facta fuerint simul ac sancto
spiritu fuerunt afflati, ex hoc libro cognosci-
mus: quę plane spiritus ipse per eos efficiebat.
Q uin et prędictionū Christi ex hoc libro euen
tus manifestat. Nā quod dicebat, & maiora his
Ioā. 14. b. faciet, tunc impletū uidemus, cum umbra apo
Act. 5. c. stolorū, & sudaria a corpore ipsorum desum-
Act. 19. b pta mirabiliter ęgrotantibus, ac uexatis a dę-
monibus succurrerent. Ita ut non abre esse ui-
deretur, si euangelium Christi gesta, librum
hunc spiritus sancti gesta appellaremus.

LIBRI GESTORVM APO/ stolorum capita.

De pręceptione Christi discipulis ne disce
derēt ab Israel: de ascensione eius in cœ
lum, & substitutione Matthię in locum
Iudę. Cap. 1.

De diuino spūs sancti in die Q uinquagesimę
in credentes descensu, ubi uarijs linguis lo-
quuntur Apostoli, et Petrus admonitionē fa
cit ex ꝓphetis de passione, et resurrectiōe, &

assumptione Christi & dono spūs sancti. &
tria milia iudęorum baptizātur. Cap. 2.

De claudi curatione, & Petri super ea re ad Is-
raelitas monitione & exhortatione ad pœni
tentiam. Cap. 3.

De pōtificū inuidia ob miraculū id, et Petri &
Ioānis cōprehensione. tū eorundē dimissio
ne facta cōminatione ne amplius Christum
p̄dicent. de oratione ab ecclesia eā ob rem fa
cta, et gratiarū actione ad Deū. Cap. 4.

De Anania et Sapphira ob defraudationem pre
cij agri a Petro morte mulctatis. de Aposto-
lis in carcerem coniectis, et ab Angelo nocte
eductis ad p̄dicandum Iesum. ubi rursus eos
captos in concilio pontificis Gamaliel exem
plis adductis dimittendos hortatur. et flagris
cęsi dimittuntur. Cap. 5.

De creatiōe septem Diaconorū, & Iudęorum
in Stephanum calumniatione. Cap. 6.

De Stephani cōcione in qua de testamento Dei
ad Abrahā, et de duodecim patriarchis, de fa
me et emptione frumēti, et recognitione filio
rū Iacob: de ortu Moysis, et Dei apparitiōe
ipsi facta in monte Sina: de exitu ex Aegy-
pto: de fabricatione uituli ęnei, usq; ad Salo
monis tempora & templi ędificationem. de
lapidatione Stephani. Cap. 7.

De persequutione ecclesię & sepultura Stepha
ni. de Philippi prędicatiōe et miraculis in Sa
maria: ubi multi crediderunt, īter quos erat
etiam Simon magus. ad quos missi Apostoli
īpositis manibus spūm sanctum in ipsos dedu

xerunt. de Simonis increpatione: et Eunuchi baptizatione a Philippo. Cap. 8.
De diuina uocatione Pauli ad apostolatum, & eius baptismate p Ananiam. de fiducia Pauli in prędicando Iesu. de coniunctione eiusdem cum Apostolis p Barnabam. De Aenea resoluto in Lydda sanato a Petro. de Tabita mortua ab eodem suscitata. Cap. 9.
De uisione Cornelij in Cęsarea, et uisiõe Petri in Ioppe. De conuersione Cornelij et baptismo, et descensu spūs in gentiles. Cap. 10.
De disceptatiõe Petri cum Apostolis, quibus de Cornelio omnia recenset. de Barnabę missione in Antiochiam. de prędictiõe famis ab Agabo. Cap. 11.
De Iacobi occisione, & Petri comprehensione ab Herode, liberationeq; eius e carcere et uinculis ab Angelo facta. de acerba & perniciosa Herodis morte. Cap. 12.
De Barnabę et Pauli missione in Cyprū et spū sancto, ubi Paulus Elymā magū excęcat. de cõuersione eorundē ad gẽtes cū iudęi admittere prędicationem eorum nollent. Ca. 13
De persequutione Pauli & Barnabę in Iconio ob prędicationem. de sanatiõe claudi in Lystris à Paulo facta, ob quam Lycaones Barnabam & Paulum deos existimabant. de Pauli lapidatione. Cap. 14.
De decreto Apostolorū Hierosolymis facto, ac misso p epistolā ad eos qui ex gentibus crediderant, in quo quid obseruandum eis sit, statuunt. de dissensione Pauli & Barnabę ob

Marcum. Cap. 15.
De Timothei circuncisione, & de profectione Pauli cū eo ex reuelatione in Macedoniam. de Purpurarię Lydię mulieris conuersione. de eiectiõe spūs e puella Pythonem habente, ab quā concluſi in carcerem Paulus et Sylas oratione facta e carcere orto terręmotu liberati sunt. & de custodis carceris conuersione. Cap. 16.
De seditione facta in Thessalonica ob p̄dicationē. de fuga Pauli et Sylę in Berrhœā, et inde Athenas. de oratione Pauli ad Areopagitas. & cõuersione Dionysii Areopagitę. C. 17.
De Aquila & Priscilla, de Tito, & conuersione archisynagogi Corinthi: de deductiõe Pauli ad Gallionem, pconsulem. de discessione e Corintho, & profectiõe in Ephesum. De Apollo eloquente homine & fideli. Cap. 18.
De baptismo et spiritus sancti dono dato p orationem Pauli ijs qui Ephesi crediderant. de fi lijs Sceuę Iudęi contra quos inualuit dęmon. de cõfessione credentiū. de seditione a Demetrio aurifice cõcitata cõtra Apostolos. C. 19
De Pauli peragratione in Gręciam, et Macedoniam, & Troadem ubi Eutychus à Paulo suscitatur: in Assum, Mitylenem, Samum, Miletum quò aduocatos seniores Ephesi Paulus monitione confirmat. Cap. 20.
De nauigatione Pauli à Mileto in Cęsaream usq; Palestinę: ubi Agabus Paulo comprehensionem in Hierusalem prophetat. de profectione Pauli in Hierusalem, ubi a Iacobo

admonetur ut purificetur. de tumultu concitato in Hierusalem a Iudęis, et comprehensione Pauli. Cap. 21.
De oratione Pauli ad Iudęos, ubi de uocatione sui, & utsione agit, qua admonitus a Deo est ut Hierosolyma proficisceretur. ob quod cũ cędendus esset, se ciuem esse Romanũ dicens liberatus est. Cap. 22.
De loquutione Pauli in concilio. de quadraginta uirorum coniuratione ut ipsum occiderent, & de indicatione eius ad Lysiam. de transmissione Pauli ad Felicem prędem in Cęsaream. Cap. 23.
De accusatiõe Tertulli aduersus Paulũ, et Pauli respõsione apud Felicẽ prędẽ. Cap. 24.
De successione Festi in prouinciam, ad iudiciũ cuius Paulus adductus ad Cęsarẽ appellat: de deductione eius ad Agrippam. Cap. 25.
De defensione Pauli qua apud Agrippam usus est, ubi de religione sua, & uocatione ad euãgelium agit. & nihil mali egisse ab Agrippa iudicatur. Cap. 26.
De nauigatione Pauli Romã periculis plurimis et maximis plena. ubi de spe salutis p Angelũ sibi significata simul nauigantes monet. de naufragio eiusdem. Cap. 27.
De euasione in insulam Melitam, ubi morsus à uipera Paulus nihil mali est passus, & patrem Publij morbo dysenterię laborãtem sanat. deq; profectione eius Romam usq;, & colloquutione, & prędicatione cum Iudęis ibidem habita. Cap. 28.

EXPLANATIO VETERVM Sanctorum Patrum, ab Oecumenio ex diuersis cõmentarijs collecta, atq; in compendium redacta

IN ACTA APOSTOLORVM,

IOANNE BERNARDO FELICIANO INTERPRETE.

De præceptione Christi discipulis ne discederent ab Israel: de ascensione eius in cœlum, & substitutione Matthiæ in locum Iudæ. Cap. I.

PRIMVM SERMONEM feci de omnibus o Theophile, quæ incepit Iesus et facere et docere, ad eũ usque diem, quo Apostolis quos elegerat, mãdatis per spiritum sanctum traditis, assumptus est.

SERMONEM inquit primũ, non euangelium, cum tamen Paulus euangelium suũ appellet, cum ait (secundũ euãgelium meũ) 2.Tim.2.b
iactantiam enim ubiq; euitant: perinde ac Matthæus, qui librum generationis inscribit. Quòd Matth.1.a
si Marcus principiũ, inquit, Euangelij Iesu Christi, non ita intelligendum est, vt sua scripta euangelium vocarit, sed Christi prędicationem: cuius initium fecisse Christum manifestũ est, ubi primum à Ioannis baptismate prodijt. Generatio autem ex virgine, quę ad eam spectant, reuela- Mar.1.a

tionis mysterij Christi, eiusq; hominis facti origo extitit. quo etiam principio suarum historiarum et Matthæus, & ipse hic Lucas vsi sunt. Quãquã hæc scripta, quippe quæ verum euangelium, id est Christi doctrinã contineãt, fideles postea euangelia appellanda censuerũt. Cũ vero (de omnibus) inquit, Euangelistæ Ioãni videtur aduersari. ille siquidem nõ posse hæc vllo modo
Ioan.21.g scribi asserit: neq; enim mundum libros qui scriberentur, esse capturum: hic de omnibus a principio ad assumptionem vsque sermonem fecisse scribit. quid igitur dicendum? Lucam nempe hic dicere se de omnibus necessarijs atque ad rẽ pertinentibus nihil prætermisisse, quibus prædicationis diuinitas ac veritas cõprehendatur. quippe cum etiam ipse Ioãnes de omnibus his disseruerit. nihil. n. prætermisit, quo posset vel verbi secũdũ carnẽ dispensatio credi atq; agnosci, vel diuinitatis magnificẽtia emicare, atq; ĩnotescere. O TH Eophile) princeps erat hic Theophilus. nec mireris q̃ vnius viri causa tantũ laborẽ susceperit Lucas, vt duos ipsi ĩtegros ac iustos libros conscripserit. seruare enim Domini manda
Matt.18.b tum studebat, qui ait, nõ est volũtas patris mei, vt vnus ex paruis & pusillis his pereat. E T F Acere & docere) de passione intelligit & miraculis quæ fecit. vel quia ex ijs quæ ipse agebat, monere consueuerat. A D Eum vsq; diem) ordo: ad eum vsq; diem quo assumptus est: reliqua interposita sunt. M Andatis per spiritũ sanctum traditis) vel quia spiritualia mãdata significat, nihilq; in se mundanum præ se ferentia: vel

vt spiritum in eo insitum, cognatumq; ostendat: quippe qui nihil eorum quę a Deo perficiuntur, in se habeat, quod a sanctificatrice persona deficere videatur. Quę vero sunt hæc mãdata? eun- Matt.28.d
tes docete omnes gentes baptizãtes eas in nomine patris & filij & spiritus sancti. A S S umptus est, inquit, non ascendit: adhuc enim de eo tanq̃ de homine loquitur. Luc.24.g

Q VIBVS *etiam manifestauit seipsum uiuentem posteaq̃ passus est, in multis argumentis, per dies quadraginta apparens ipsis, & loquẽs de regno Dei.*

Cum dixisset (assumptus ẽ) ne aliquis alterius potestate id factũ existimaret, statim quod propriæ facultatis erat, subiũxit (quibus etiam manifestauit seipsum viuentem) vt autẽ & passum esse & surrexisse eũdem ostenderet, adiunxit, (posteaq̃ passus est) P E R dies quadraginta) non, in diebus: non enim assidua cum ipsis consuetudine vtebatur, quẽadmodũ ante passionẽ, sed intermissa: partim vt maius ipsis desiderium prẽsentię suę excitaret: partim vt sublimiorẽ, diuinioremq; naturam suam ostenderet. A P P Arens ipsis) qua de causa non omnibus, sed Apostolis tantum apparuit? propterea q̃ plerique alij mysterij arcana nõ intelligẽtes visum quoddam, atq; vmbram eum esse existimassent. nam si discipuli ipsi a principio nõ credebant & turbabantur, quid facturum fuisse vulgus putandũ est? Iccirco ex signis quorum faciendorum gratiam acceperant Apostoli, indubitatam resurrectionis fidem, cõmunẽq; facit: vt non illis solum

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo qui tunc fuerunt, id quod ex sola visione euenturum erat, sed omnibus etiam alijs qui postea successerunt, resurrectio fuerit manifestata. ET oquens de regno Dei) Hinc possumus cognoscere Christum post resurrectionem quoque discipulos docuisse.

ET *conuersans præcepit ipsis ab Hierosolymis ne recederent, sed expectarent promissionem patris, quam*
Luc.24.g *audiuistis ex me.*

ET conuersans, vel vt verbum verbo exprimamus, consaliens, idest comedens & bibēs: hoc est salis & mensæ particeps factus, græce id est συναλιζόμενος. Ab Hierosolymis autem ne recederent, monuit, eo ꝙ volebat eorum permansione resurrectionis fidem certiorem reddi, tum ex miraculis quæ ex inuocatione crucifixi efficiebant, tum ex eorum afflictationibus atq; oppressionibus: qui cum a Iudæis multis malis afficerentur, nō modo ab eius qui crucifixus fuerat, & surrexerat, amicitia non recedebāt, verum etiam pro eo constanter moriebātur. ꝙ si ab Hierosolymis statim discessissent, nihilq; ex his fuisset subsequutum, dubia ac suspecta resurrectio videri potuisset: præsertim cum multi etiā illic essent, qui erant credituri. Accedit, ꝙ ea quoq; de causa expectandum illis fuit, ne aut aliqui dicere possent, eos relictis suis ad externos gloriabūdos abijsse: aut ipsi nondum virtute spiritus armati ad congressus aduersariorum imbelles redderentur.

P Romissionem patris) Et vbi hoc promisit pater? dicendum, vel per defectum (ab) præpositio-

nis locum hunc ita intelligi debere, vt sit, sed expectarent promissionem τῦ πατρὸς patris, pro ἀπὸ τῦ πατρὸς, i. à pre, quā ipsis de spiritu sancto pol- Ioā.14.b
licitus fuerat: vel quia quemadmodum ipse inquit (quæ a patre audiui, ea annuncio vobis) ita Ioā.15.b
quoq; spiritus sancti promissionem, licet ab ipso facta fuerit, a patre tamen etiam extitisse credendum est. Si vero de ipso etiam spiritu inquiris, Ioel locuples ad hoc confirmandum testis producetur, effundam, inquiēs, e spiritu meo in omnem carnem. Q Vam audiuistis ex me) quando audiuerunt? quando dixit, confert vobis vt ego discedā: nam si non discessero paracletus & consolator ad vos non veniet. & rursus, ego rogabo patrem, & aliū consolatorem vobis mittet. Cæterum si nondum aduenerat spiritus, quo modo dixit, accipite spiritum sanctum? an quia ita dicendo idoneos eos ad suscipiendum spiritum reddidit, quem postea quando venit, susceperūt? an quia de futuro tanquā de præsenti loquitur? an quia spiritus exhibitio duplex est, purgans vna, altera perficiens? perfecta igitur ac perficiēs, qua etiam alios impertiri poterāt, Apostolis data est quinquagesimæ tempore, quando spiritus aduētus apparuit. Cur autē ipso præsente non descenderit spiritus, ea est ratio, ꝙ si Christo discedente spiritus mansisset, minor fuisset consolationis vis: nam ab ipso ægre admodum diuelli potuissent. Vnde non statim, sed post octo circiter, vel nouem dies aduenit: quo & paulum tristati, & desiderio promissionis, indigentiaq; excitati puram demum, ac perfectā ex præsentia ipsius vo-

luptatem perciperent. Adde q̃ prius oportebat naturam nostram in cœlo apparere, perfectamq; & integram fieri reconciliationem: & tunc postea spiritum descẽdere. Vide prẽterea, quo modo ne rursus post assumptionem abeant, expectatione hac, quodam quasi vinculo omnes ibi detineat.

Luc. 24.g *Quòd Ioannes quidem baptizauit aqua, uos autẽ baptizabimini spiritu sancto nõ post multos hos dies.*

Principio apostoli aqua baptizati fuere, deinde etiam sancto spiritu. Hic excellẽtiam suam Christus qua Ioãnem excedebat, manifeste iam ostendit: & non ita obscure, quemadmodum cũ
Matth.11.b dixit, qui minor est in regno cœlorũ, maior Ioãne est. V O S autẽ baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies) baptizabimini inquit, non baptizabo, vt iactantiam vbique euitet.
Matth.3.c Præterea cum Ioannes id præmonuerit, cum inquit (ipse vos baptizabit spiritu sancto, & igni) superuacaneum erat, vt idem per se ipse confirmaret. non ne in cœnaculo sine aqua ipse gratia baptizat? principalior enim est spiritus, per quẽ etiam aqua ipsa vim habet. nam ipse etiam sine oleo Christus, id est vnctus effectus est.

Qui igitur conuenerant, interrogabant ipsum, dicentes: Domine in tempore ne hoc restituis regnum populo Israel?

Matt.24.a Vide hic, quoniam ante passionem de mundi consummatione interrogauerant, non amplius de eadem re nunc, sed de regno mundano sciscitantur: adhuc enim imperfecti erant. simul autẽ congregati interrogant, vt vel ex ipsa multitudine impetrare possint. Cum vero ante passionẽ audiuissent, neminem nosse diem, rursus tamen Matt.24.c etiam nunc interrogant. Nam quia audiuerant se accepturos esse spiritum, reliqua etiam quasi digni volebant cognoscere, & simul molestijs liberari cupiebant. Non dixerunt autem, quãdo, sed, in tempore ne hoc? id est, nũc ne? tanto diei illius desiderio tenebantur. ac nondum, vt mihi quidẽ videtur, certo quidnam esset regnum, cognouerant: quippe cũ nõdum adesset spiritus, qui postea omnia docuit. Dixerunt (restituis) quia maiora posthac de ipso concipiebant. Vnde etiam ipse remissius respondit. nõ enim dixit, neque filius nouit: sed, non est vestrum. ne tamen penitus desperarent, subiunxit, sed accipietis vim &c. cũque illi non de consummatione interrogarẽt, ipse id quod nõ inquirebant, docet, more optimi magistri: qui non ea quæ volũt discipuli, sed quę conferunt, docere consueuit. iccirco non ad interrogationẽ, quippe quæ nihil vtilitatis in se habebat, respõdit: sed quod vrgebat, maxime docet. tũc enim ipsis maxima spiritus necessitas erat. Matt.24.c

Dixit autem ad ipsos, non est uestrum cognoscere tempora uel momenta.

Vbique a futurorum cognitione ipsos remouet, non q̃ ignoraret, sed q̃ nullam ex eo vtilitatem ad animæ salutem consequuturos ipsos sciebat. vnde etiam superius nulla certa præfinitione ad eos ita dixit; vos autẽ baptizabimini spi-

ritu sãcto nõ post multos hos dies. Quòd si ꝙras cur vel non statim spiritum demiserit, vel saltem certum aliquem terminum aduentus eius non significarit: illud tibi sciẽdum est, nec statim post ascensum spiritum accessisse, quo maiori postea desiderio exciperetur: nec ad certum diem, quo soliciti de aduentu eius discipuli, paratioresque efficerentur.

Quæ Pater posuit in propria potestate.

Aduertendum an hoc rerum humanarũ præscriptionem, id est fatalem necessitatem tollere volentibus non parum afferat argumenti. nã cũ inquit (quæ pater posuit in propria potestate) fatum tollit. sed si pater, etiam filius: omnia enim quæ sunt patris, filij quoque esse manifestum est.

Sed accipietis uim superuenientis in uos spiritus sancti, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & usque ad extremum terræ.

Matth. 10, a Quoniam antea præceperat, in viam gẽtium ne abieritis &c. solis enim se missum esse ijs qui ex israel erant: nunc vnà cum his, & Samaritanis, & reliquis gentibus prędicationem cõmunicat: & simul in vniuersum orbem pietatis sermonem diffundendum esse prænuntiat. quod enim inquit (usque ad extremũ terrę) quid aliud ꝙ hoc significet, non video.

Luc. 24, g *Et cum hæc dixisset, uidẽtibus ipsis subleuatus est.*

Cum abduxisset ipsos, auocassetq; a vana alia nugacitate, ne rursus eum interrogarent, statim

ascensum in cœlum aggressus est. Addit autem (videntibus ipsis), ꝓpterea ꝙ hac in re principiũ facti ad fidem ipsorum confirmandam præcipuã vim habuit: finis nõ ita. atq; iccirco etiã duo illi viri astiterunt, qui deuenisse ipsum in cœlũ docerent. neq; enim in finem vsque penetrare ipsorum visus poterat. sed in resurrectione contrariũ euenit: principium siquidem in ea visum nõ est: eo ꝙ cum & ipse qui surrexerat, viuus conspiceretur, & sepulcrum vacuum, superuacaneum id erat futurum: finis tamen manifestus fuit, cum viuus ipsis apparuerit.

Et nubes ab oculis ipsorum eum suscepit.

Nubes dominum suscepit, vt æqualem eũ patri esse significaret: quippe cum (nubes et caligo in circuitu eius) de patre dictum sit. præterea qui carnẽ assumpsit Deus nubis vehiculo vsus est, est. n. Dominus: Helias vero ignis. hic enim vt pote vniuersi dominus & propria potestate ascẽdens, nubem quæ terrenũ quoddam est, ac deorsum tendit, ad ascensionem assumit, quippe cum non magis vehatur, q̃ vehat. at Helias quia erat seruus, ꝓpterea curru, qui ea esset natura, vt sursum ferretur, indiguit, & equis, qui accelerando ad superiora iter peragerent. vnde de illo dictum est) ascẽdit Helias in cõcussione & turbine quasi in cœlum (de Domino vero dicitur) eunte ipso in cœlũ. Duo autem viri albis induti tunicis reditum Domini in cœlũ cõfirmãt, propterea ꝙ penes duos & tres testes certitudo verbi cõstituit.

Pſal. 96, a

4. Reg. 2, b

4. Reg. 2, b

Et cum intente suspicerent eunte ipso in cœlum, et ecce duo uiri astiterunt ipsis inueste alba.

Angeli in hominum specie ob euidentiam apparentes ex cognatione aspectus ac formæ vaticinantur: ne prorsus eos turbarent, qui nouitate assumptionis terrefacti iam erant.

Qui dixerunt: uiri Galilæi quid statis inspicientes in cœlum?

Viri viris loquebantur, & tamen inter se cognati, consubstantialesq; non erant.

Hic Iesus qui assumptus est a uobis in cœlum, ita ueniet, quemadmodum conspexistis ipsum euntem in cœlum.

Ne turbentur discipuli, & quasi abierit magister, corpusq; ei dissolutum euanuerit, spe aduentus eius omnino in posterum priuentur, ac propterea aliò alius præ timore dispergãtur: iccirco assistunt viri hi duo, qui et ascensum eius in cœlum, & assumpti corporis conseruationem, permansionemq; ipsis declarant, cum inquiunt. Hic Iesus ita veniet rursus &c. Cũ vero dicunt, quid statis? monent, vt omissa occupatione hac in re in Hierusalem abeant ex Domini præcepto, qui dixerat, ex Hierosolymis ne recederent. Vnde cũ illuc accessissent, atque essent adhuc ob magistri discessum atque absentiã subtrepidi, non per vrbem diuersabantur: sed in cœnaculum ascendentes quasi in tutũ atq; occultũ locũ sese abdidere.

Tunc reuersi sunt in Hierusalem ex mõte qui uocatur Oliueti, qui prope Hierusalem est sabbati habens iter.

Sabbati iter miliare vnũ est. nã sabbati iter, vt inquit ORIGENES in quinto stromate, duorũ miliũ cubitorum erat spatium. ac sanctũ tabernaculum, atq; arca tantum in tentoriorum metatione spatium occupabat: tantaq; loci distãtia figere tabernacula consueuerant. quod sane itineris spatium sanctum tabernaculum adorare volenti sabbati die obire vnicuique licebat. Atque hinc die sabbati assumptionẽ hanc esse factã CHRYSOSTOMVS opinat: idq; ex eo significari inquit, q̃ subiungitur (sabbati habẽs iter) ne in sabbato longiori vsi itinere videretur, q̃ quod lex eo die faciẽdum præscribebat.

Quò cum ingressi essent, ascenderunt in cœnaculũ, ubi cõmorabantur, Petrus & Iacobus & Ioannes et Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomeus & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon zelotes, et Iudas Iacobi. hi omnes unanimiter perseuerãtes cum mulieribus & Maria matre Iesu, & fratribus eius orationi et obsecrationibus uacabant.

Petrus soluẽs seu agnoscẽs. Iacobus supplantator laboris. Ioannes gratia Dei. Andreas potẽtia speciosa, vel condemnatus. Philippus os viduarum, vel os lampadis. Thomas abyssus, seu geminus. Bartholomæus filius suspendẽs aquas. Matthęus donatus. Iacobus Alphæi supplantatio. Simon zelotes disciplina vitæ. Iudas Iacobi

confessio: hic etiã Thaddæus appellabatur. Discipulos nominatim enumerat, vt eos ostẽdat ac declaret, quippe qui in passione aberrauerant. Iudas enim se ex apostolorum cœtu prorsus extruderat. Ioã.21.c at Petrus & permansit, & a magistro per ternam interrogationẽ reuocatus est. Si autẽ Christi matrem accepisse Ioãnem in propria ac Ioã.19.c sua scriptum est, cum Ioannes adesset inter apostolos, ipsa quoq; simul affuit. ALITER. Non temere discipulorũ enumerationẽ facit: sed vt ostẽdat, qui ex ipsis interierint, et qui ĩ errore & casu non pstiterint. Petrus.n. qui Christũ negarat, amaris lachrymis crimen illud abluit. id Matt.26.g quod ex eo patuit q̃ paulo post ei rationalis gregis cura cõmissa est. Thomas item qui non cre- Ioã.21.e debat, contrectando manibus vulnera & latus Ioã.20.d incredulitatis malo sanatus est. ita vt cum reliqui omnes adessent, solus Iudas defecerit. Aderat item Maria virgo deipara, propterea q̃ qui eam assumpserat, acceperatq; in propria Ioannes, & fratres aderant. vnde si Ioseph sponsus vixisset, ipse quoque affuisset: præsertim cum nunquam, sicut alĩ ipsius cognati, de Christi dispensatione dubitarit. Sed iam diu proculdubio mortuus fuerat. Nam neque tunc aderat, quando Iesum docentem inspicere atque alloqui cognati volebãt, Mar.3.d quid enim inquit? mater tua & fratres tui foris quærunt te: non autem, pater.

Et in diebus his surgens Petrus in medio discipulorum dixit, eratq; illic turba nominum simul circiter centum & viginti.

Surgit Petrus nõ Iacobus, tũ quia feruẽtior, tũ quia discipulorũ p̃sidẽtiã sibi cõmissam susceperat. accedit, q̃ mãsuetus erat Iacobus, p̃cibusq; & quieti vtilior, atque aptior, cũ alĩ videlicet rẽ tractarent, vnde etiam Hierosolymitanam ei sedem concessere. Vide tamen q̃ omnia Petrus cõmuni consensu, non imperiose agat. Aderãt autem centum & viginti ex ĩs qui Domino crediderant. licet enim quingenti & septuaginta fuerint, quos vidisse Dominum asserit Paulus po- 1.Cor.15.b steaq; resurrexit: hic tamen non nisi tot numero fuerunt: quos verisimile est selectiores fuisse, & feruentiores, atque huiusmodi, quibus arcana cõsilia crederentur.

Viri fratres oportebat impleri scripturam hanc, quam prædixit spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, Psal.40.c qui dux fuit iis qui Iesum comprehenderunt. q̃ nobi- Ioã.18.a scum fuerit cõnumeratus, & sortem ministerii huius sortitus.

Consolatur ipsos ex prædictione, & non dicit (quã Dauid dixit) sed (quã spiritus sanctus p̃ os Dauid) quid vero id erat? quę videlicet in octauo & centesimo psalmo continentur, quæ etiã ipse paulo vlterius cõmemorat. Quod autem hic de Iuda inquit, vide q̃ mansuete & minime odiose referat. non enim ait de scelesto Iuda, ac detestabili, sed simpliciter quod factum fuit, declarat.

Hic quidem agrum sibi ex mercede iniustitiæ com Matt.27.a *parauit, & preceps deiectus crepuit medius, et omnia*

uiscera eius efusa sunt: id quod omnibus qui in Hierusalem habitabant, innotuit: ut ager ille propria ipsorũ lingua Aceldema, id est ager sanguinis fuerit uocatus.

Psal.68.c *Scriptum enim est in libro psalmorum, fiat cõmoratio eius deserta: & non sit qui inhabitet in ea: & præsidentiam eius accipiat alter.*

Psal.108.b

Comparauit, non ad Iudam referens dixit: nõ enim ipse fuit qui emit agrum, sed sacerdotes pecuniis quæ ab Iuda proiectæ in templo fuerunt: sed quia tamen mercedem eam proditionis Iudę tradiderant, ei agri cõparatio ascribitur. & quia ad sepulturam ager is assignatus erat, scriptura ea fuit expleta, quæ ait (& cõmoratio eius deserta) quid enim sepulcris desertius est? cũ vero inquit, & πρηνὴς γενόμενος. i. pronus seu præceps effectus ac dehiectus crepuit, id est discissus ẽ, medius, ostendit eũ simul ac Dominum prodidit, ex nimia negligentia & ignauia desperando fine hoc defunctum fuisse, dum sese suspensum præcipitẽ deiecisset. cęęę alĩ sunt, qui rupto fune quo suspẽsus fuerat, pronum ac præcipitem in terram eum delapsum fuisse interpretẽtur, atque ita crepuisse. alĩ supruixisse etiã aliquãdiu post suspẽdiũ autumãt. Cũ aũt hęc de ipso post quadraginta dies cõmemoret, statim post proditionẽ contigisse ea ostẽdit. Cõmemorat aũt hic Petrus præsentẽ Iudæ miseriã, ꝓpterea ꝙ ibecillioꝝ animi præsentibus maxime moueri ac corrigi cõsueuerũt. neque auget atque exaggerat peccatum proditorẽ eum vocando, sed pœnã in quã incidit, dũ quod passus est, refert. Aceldema autẽ agrum eum nõ

ab Iuda sed ab Iudæis vocatum fuisse asserit, cũ inquit (propria ipsorum lingua) quippe cũ etiã ipsi iniuste illud factum fuerint testificati. Matt.27.a

Oportet igitur ex his uiris qui nobiscum conuenerunt in omni hoc tempore, quo ingressus & egressus est ad nos Dominus Iesus a Ioannis baptismate incipiens ad eum usq; diem quo a nobis assumptus est, ex his inquam unum testem resurrectionis eius nobiscũ fieri. & statuerunt duos, Ioseph qui uocatur Barsabas, qui cognominatus fuit iustus, & Matthiam. & cum orassent, dixerunt: tu domine cordis omnium cognitor, ostende quem elegeris ex his duobus unum, ut sortem ministerii huius & apostolatus accipiat, ex quo Iudas prœuaricatus est, ut in propriũ locũ abeat.

Cõmunicat cum ipsis hoc, ne res in certamen veniat, in contentionemꝙ incidant. Propterea etiam in principio, viri fratres, inquit, oportet ex vobis eligi, multitudini iudicium cõmittens: vt simul & eligẽdos venerabiles reddat, & se se ab aliorum inuidia absoluat. quódꝙ hoc oporteat fieri, prophetæ testimoniũ adducit, qui ait, & præsidentiã eius accipiat alter. Ex quibus aũt hoc faciendum est: ex ĩjs nimirum qui ex conuẽtu cum ipsis mora temporis experimẽtum sui exhibere potuerũt. quocirca neꝙ ex probis dixit, ne alios contumelia afficere videretur, atque offenderet. addidit autem (a Ioãnis baptismate incipiens) propterea ꝙ ea quæ antea facta fuerãt, nemo ex ipsis visu & præsentia nouerat, nisi so-

lus ille qui eos elegerat, sed spiritu tantum percē perant. Testē vero resurrectionis, dixit, eo q̄ diuinitatis Iesu summa ea præcipue est. miraculo rū enim quę ante passionem fecerat, etiā ex infidelibus qui inspexerant, multi erant testes. Atenī explere apostolorum numerū studebant, ne magistri electio quasi manca & detrūcata relinqueretur. neque tamen multos statuerunt, sed duos tantum ea de causa, ne si multi ex ea electione essent reprobandi, maior inter ipsos tristitia suboriretur. Barsabas & iustus nomina vel distinctionis sunt, vel studiū. Opportune vero cordiū cognitorem vocant: neque dicunt, elige, sed ostende electum: quippe cum omnia cognita & definita ante etiā q̄ quippiam cogitemus, apud Deū sint. Sortem appellat, seu hæreditatem, vt totum esse Dei benignitatis, & electiōis significet: quin
Nume, 18.c & veterum etiam meminit: q̄ & Leuitas Dominus ita fuerit sortitus: & definite ministeriū præscribit (ministerū huius) subiūgēs, eo q̄ alia quoque ministeria inter ipsos erant. At cū (propriū) inquit, vel de suspendio intelligit, quo per proditionem dignum se reddidit, in quodque abijt Iudas: vel de loco in quē expulso Iuda alter sibi proprium præsidentia eius accepta erat successurus: vt sensus sit: ostende vtrū elegeris, vt in proprium locum abeat.

Et dederunt sortes ipsorum, et cecidit sors in Mathiam, & is undecim apostolis cooptatus est.

Cum nondum integre essent perfecti, sorte & non signo eum qui dignus sit, agnoscūt. Reprobata

bata autem sors non est. nam si in Iona vim habuit, vbi ignobiles e vulgo homines sortitionē fecerunt, quid in sanctis, & qui orationibus & precibus rem cōmiserant, cēsendum est? Si enim illorum rectus animus solus eas direxit, diuinorū virorum recta sententia multo magis efficere id potuit. Ion. 1.b

De diuino spiritus sancti in die quinquagesimę in credentes descensu, vbi varijs linguis loquūtur Apostoli: & Petrus de passione & resurrectione & assumptione Christi, & dono spiritus sancti ex prophetis commonitionem facit. & tria mlia Iudęorum baptizantur. Cap. II.

ET DVM compleretur dies pentecostes, erāt omnes unanimiter in eodem loco: & factus est repente de cœlo sonus tanq̄ flaminis uiolenti quod deferretur: repleuitq; totam domum ubi considebant. & inspectæ sunt ipsis dispertitæ linguæ quasi ignis: insediteq; supra unumquemq; ipsorum. & repleti sunt oēs spiritu sancto: & loqui diuersis linguis cœperūt.

DVM compleretur dies Pentecostes, id est quinquagesimę, hoc est dies qui est ad pentecostē, atq; ipsam efficit, & terminat: circa ipsum festum, quando iam erat tempus vt tempestiuæ spirituali messi falx inīceretur: quando ob festū multi aderant ex ijs etiam qui ipsum cruci affixerant, vt sui sceleris, atq; homicidij conuincerentur. Repente autem sonus, & non absq; manifesto sensu spiritus aduentus, & de cœlo effectus est, vt & repentino accessu terrefaceret, atq; exturbaret magis omnes, ad concursumq; excita-

ret: & sensu miraculum calumnia liberaret. natu si licet hoc factum fuerit, admirabilem hanc rem in ebrietatem referebant: quid fecissent, si absq; euidenti sensu contigisset? De cœlo autem cum multo impetu & sibilo venit, hoc enim significat πνοὴ βιαία. i. flamen violentum seu flatus: vt ostendat, eius qui assumptus fuerat, & diuinæ potentiæ opus id esse: non secus atq; in rubro mari austri violentus spiritus. Recte vero in omnibus his particulas quæ similitudinẽ notãt (tanq̃) & (quasi) posuit, ne de spiritu ipso sensibile aliquid existimetur. Repleuitq; totam domum spiritus, lauacri vicem subiẽs: propterea q̃ promissum fuerat, in spiritu & igne eos esse baptizandos. adde q̃ abundantię quoq; & vehemẽtię argumentum id fuit. sed ignis tamen domum non repleuit, ne prorsus videntes exturbaret, atq; in fugam concitaret: ita vt nihil haberent, qđ de his quę postea effecta sunt, testificarẽtur. Dispertitur in linguas igneas spiritus, & supra vnumquemq; insidet, & illis videlicet centum et uigin ti, qui in domo morabantur: quippe cum gratia paracleti & consolatoris in diuersa dona distributa ex vna esset radice: opusq; esset lingua quæ magnifica Dei opera prædicaret, & instar ignis aduersarium omne cõsumeret. Specie vero ignis apparuit, propterea q̃ spiritus Deus est: vt eãdẽ naturam habere is demonstraretur cum patre, qui a Moyse hac specie in rubo fuerat conspectus. Supra unũquemq; autem insidet, vt stabilitatem ac firmitatem ostendat. nam qđ inquit (insedit) permansit, & inibi requieuit, commoratusq; est, signi ficat. Aduertendum vero est, cũ vni tantum homini erat agnoscendus, specie columbę in caput Christi descendentem a Ioanne fuisse conspectum: quando autem tota multitudo erat conuertenda, quasi ignem ea specie apparere, quam antiquitus de Deo Hebręi percipere poterant: Deum esse ignem consumentem intelligentes. Illud quoq; animaduersione dignum, q̃ cum in oratione & precibus, & mutua charitate perseuerabant discipuli, tũc spiritus sanctus ipsis accesserit.

Exo. 14. æ

Matth. 3. c

Ioan. 4. e

Exod. 3. a

Deu. 4. đ

Prout ipsis dabat spiritus, ut ex tempore loquerentur:

Extemporariæ enim loquutiones erant, quas diuersis linguis proferebant.

Erant autem in Hierusalem habitantes Iudæi, uiri religiosi ex omni gente earum quæ sub cœlo sunt.

Religiosos ipsos fuisse argumento est, q̃ relictis patrijs, omissisq; possessionibus suis, et domibus in Hierusalem habitare sibi proposuissent: vt ex patria lege ter in anno venire in conspectũ Dei possent.

At uoce hac facta conuenit multitudo, & confusa est, propterea q̃ sua quisq; loquela loquentes illos audiebant. stupebãtq; omnes & mirabãtur inter se dicentes, non ne ecce omnes hi qui loquuntur Galilæi sunt? & quo modo audimus singuli propria nostra loquela in qua nati sumus? Parthi & Medi, & Elamitæ, et

qui habitãt Mesopotamiam, Iudæamq; & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Aegyptum & partes Libyæ circa Cyrenem: & aduenæ Romani, & Iudæi, & Proselyti, Cretenses, & Arabes, loquẽtes ipsos audimus magnifica opera Dei: stupebantq; omnes, & dubitabant inter se dicentes, Quid nam hoc sibi uult?

Confusa est multitudo, id est turbata est, atq; id merito: sibi enim ea molesta existimabant, cũ ea contra Christum audacter perpetrassent, cõsciẽtiaq; animi ipsorum agitarentur. Atq; impij quidem & qui eędem commiserant, hac de causa conturbabantur: at religiosi mirabantur, q; ipsos cum esse Galileos agnoscerent, patrijs cuiusq; linguis loqui audirent. Apostoli vero magnifica & admiranda Dei opera se dicere quidẽ sciebãt, qbus tamẽ linguis ea dicerẽt, ignorabãt. sed qui audiebant viri religiosi puta Scytha, aut Indus Scythice aut Indice eos loqui pcipiebãt.

Alij uero deridẽtes repletos eos musto esse dicebãt.

Erant etiam nonnulli ex ijs qui intelligebant, abiectiores fortasse atque e vulgo homines, qui in ebrietatem ea quæ fierent, deridendo referebant. nam si non intelligebant, quo pacto ebrietati rem ascribere potuissent? sin loquentes intelligebant, dices fortasse, quo modo deridere audebant? propterea q; sanè vitium ex nimia & excedente improbitate existens nihil aliud q; solam ipsam peruersitatem inducit: vt qualibet causa

excogitata, quomodocunque id qd̄ præsens est, semper repudiet. quemadmodum etiam cũ Christus miracula faceret: de facto ipso ambigere minime poterant, sed Beelzebub principi Dæmoniorum rem furijs incitati ascribebant. Gẽtium autem quę Iudæis erant inimicæ mentionem fecit, Cretensium, Arabum, & aliorum, quorum linguis loquentes apostoli signum faciebant, se eos omnes fide esse superaturos. Sed vbiq; profectò vna cum virtute vitium quoque reperitur. religiosi enim admirabantur: isti deridebant. Vide queso irridentium amentiam. repletos eos musto esse inquiunt: cum tamen eius nondum esset tempus. Pentecoste enim erat, quo tempore mustum nondum reperitur. mustum siquidem proprie est dulce qd̄ ex ipso torculari defluit vinũ. Adde q; hora diei erat tertia, in qua inebriatos fuisse homines prę̃sertim in periculis & terroribus cõstitutos verisimile non erat. Restat igitur vt impudentię istorum hoc attribuamus, cum dicerent musto apostolos fuisse repletos. impudentia enim solum id quęrit, vt quomodocunque contradixerit, rationi consentanea non spectet. Quin etiam absurdius quoque illud est, q; cum cęteri admirarentur, qui erant Iudæi, Romani, Proselyti ex ijs fortasse qui crucí Christum affixerant, gentesque ferè omnes linguis eos suis loqui confiterentur ac prędicarent: nonnulli inuenti sunt, qui irriderent. ALITER. Quod musto repletos esse apostolos dixerint, ex calliantium qualitate est. mustum enim dulce est vinum, qd̄ cum tenacitate dulcedinis repentinam Matt. 12. c

in caua cerebri repletionem exhalatiõis efficiat, ad ebrietatem magis est opportunũ. Sed qui irridebãt, ĩtelligebãtne ea q̃ dicebanĩ, nec ne? si. n. nõ intelligebant, locum habere derisio non poterat: nam indistincta blateratio temere prolata quid molestare atque offendere aliquem potest? vnde planè intelligere quidem etiam ipsi, præsertim cum prope alios haberẽt, qui rem in miraculum referebant: sed maligne tamen carpere ac vituperare sicut mos puerĩs est, censendi sunt. ALITER. Intelligebant quidem, sed ĩjs quę dicebantur, magna enim & admiranda opera Dei erant, non delectabantur. Mos enim vulgaribus est, vt cum non placent sibi ea quę dicuntur, insanire ac dęmone vexari eum qui loquitur, opinentur, ac iactent. Quemadmodum in Christo, cum miracula esse intelligerent, ea quę fiebant, celebrareque ea deberent, econtrario quasi a Beelzebub fierent, carpebant.

Matt.12.c

Stans autem Petrus cum undecim sustulit uocem suam, & loquutus ipsis est. Viri Iudæi, & qui habitatis Hierusalem uniuersi, hoc uobis notum sit: & in aures admittite uerba mea.

Superius procurationẽ præ se fert Petrus, vbi multitudini electionem eius committit, qui vndecim esset assiscendus: hic fiduciam ostendit, cũ beneuolos minime haberet auditores, sed & irridentes, & subsannãtes, & clamantes, ipseque esset & priuatus, & literarum imperitus. quo modo enim q̃ nunc rumpat in vocem, nõ supra hominem existimãdum est? Cum vndecim, autem

inquit, vt communi consensu & voce omnium eum loqui, testesque assistere vndecim ipsos ĩs quæ dicebantur, significet. Sustulit vocem, hoc est multa cum fiducia vocem altius emisit, vt statim a principio gratiam spiritus possent agnoscere. qui enim antehac ignobilis puellæ interrogationem non tulerat, is in medio populo, clamãtibus omnibus, adeo intrepide concionatur, vt indubitatum hoc resurrectionis argumentum maxime fuerit.

Matt.26.d Mar.14.g Luc.22.f Ioan.18.c

Non enim sicut uos existimatis, hi ebrij sunt.

Nõ dixit (vt vos irridetis) sed (vt existimatis) mutata in mitiorem modum oratione. non vult enim palàm malignitatem ipsis statim exprobare, sed paulatim ita eos ad cõuersionem & pœnitentiam prępparare studet.

Cum sit hora diei tertia. Sed hoc est qđ dictum est per prophetam Ioel. et erit in nouissimis diebus, inquit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij uestri & filiæ uestræ: & adolescentes uestri uisiones uidebunt, & seniores uestri insomnia somniabunt. & quidem in seruos meos, & seruas meas in diebus illis de spiritu meo effundam, & prophetabunt, & dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & uaporem fumi. Sol cõuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, ante q̃ ueniat dies Domini magnus & illustris. & erit, omnis quicunq; inuocauerit nomen Domini saluus erit.

Ioel.2.g

Rom.10.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cum sit, inquit, hora diei tertia. sed quid hoc? nonne potest quispiam hora diei tertia inebriari? sed non ad hoc spectat: nō enim illi ita de ipsis sentiebant, sed irridentes & carpentes dicebant. Quòd autem hora tertia hęc facta fuerint, non temere contigit: quippe cum tunc splendor ignis ostendatur, quando neque negocijs, neque prandio occupati homines sunt: quādo clara dies est: quando omnes in foro reperiuntur. Hoc igitur cū prius attentiores audientes reddiderit Petrus, deinde ꝓphetiā Ioelis producit, nusq̄ Christi facta mentione, neque miraculorum, quorū ipsi fuerant inspectores, neq; q̄ ex promissione eius hęc euenerint. nam si hoc dixisset, omnia subuertisset, omnesque ad lapides in se conꝟciēdos cōcitasset. Quocirca patrem prius adducit, qui ꝑ prophetam, hæc ipsis promiserat, atque vt tollat inuidiam, non apostolis solis inquit promissa ea fuisse, sed omni carni, quæ videlicet syncere, & ex affectu crediderit. non enim, vt inquit, qui dicit mihi Domine Domine, sed qui id vnà cum optima vitę traductione facit, acceptus est Deo. hoc tamen non addit, quo faciliorem & leuiorē promissionis sermonem efficiat: cum solam inuocationem nominis Domini ad salutem sufficere ostendat. Cum vero inquit, sanguinem & ignē, & vaporem fumi, & solē in tenebras conuertendum, de futuro iudicio intelligit. sed prius tamen de Hierosolymis eorumque captiuitate accōmodatius dicta sunt, ex miseria, affectuque eorum qui patiebantur. præsertim cum etiam Iosephus multa huiusmodi ante Hierosolymorum euersio-

Matth. 7. c

nem præcessisse commemoret. Lunā vero in sanguinem conuertendam esse, ingentem cædem significat: quippe cum ea terræ vicinior, idque ex sanguinis exhalatione contrahere possit. Cum vero inquit (ante q̄ veniat dies Domini magnus & illustris) euenturis malis eos terret, ac conturbat. ne enim, ait, quia impune peccatis, propterea confidite, sed prę quia hæc scitote esse magno illi atque horribili diei ad retributionem. ceterum minis his quandam quoque benignitatem subiungit, cum ait, (& omnis qui cunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit). Hoc autem Paulus de Christo esse dictum asserit. nunc tamen Petrus, cum opportunum id non esse videretur, orationem hanc suam disponens prætermisit.

Rom. 10.

Viri Israelitæ audite uerba hæc. Iesum Nazarenum uirum ex Deo demonstratum inter uos potentijs & prodigijs & signis, quæ per ipsum Deus in medio uestrum fecit: sicut & uos ipsi nostis: hunc destinato consilio, & præcognitione Dei deditum capientes per manus impiorum cum affixissetis, interemistis. quē Deus suscitauit parturiginibus mortis solutis, quatenus ab ea detineri illū impoßibile erat. Dauid enim in ipsum ait: prævidebam Dominum ī conspectu meo Psal. 15.
semp, q, a dextris mei sit, ne agiter. ꝓpterea lætatū est cor meū, & exultauit lingua mea: insup & caro mea habitabit ī spe. quoniā nō deseres animā meā in īferno, neq; dabis sāctū tuū, ut corruptionē uideat. Notas fecisti mihi uias uitæ. replebis me lætitia cū facie tua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Posteaq̃ superius eos vehemẽter perstrinxit, nunc remittit ipsos ac relaxat non adulando, sed sedando, remissioneque dignos ducendo. vnde ẽt exordio vtitur, & progenitorem Dauid commemorat, ne quia Iesum in oratione pręposuerat, ipsos turbaret. prophetæ enim nomine subiũcto statim audito, acquieuerunt. si vero nomẽ solius Iesu clamantibus ipsis, ptulisset, confestim ipsos offendisset. propterea neq; (credite) dixit, sed (audite) quo minus molesta oratio sit. Ideo etiam de Iesu humilius loquitur. Iesum enim inquit Nazarenum, a vili patria ipsum nominans: deinde (demonstratum) quasi non in ambiguo constitutum, sed demõstratum ex operibus quæ p ipsum fecit Deus, q; a Deo esset. q̃uis enim Deus opera ea fecerit, per ipsum tamen ea fecit, & in medio vestrum, non clam, neque in angulo, sed testificãtibus vobis. Vbi autem ad crucis scelus cõmemorandum iam progressus est, liberare ipsos eo conatur, dum inquit (prædestinato consilio Dei) simul & voluntariam eius passionem, & prædestinatis eos fuisse obsequutos ostendẽs. sed quãuis eos liberet, a crimine tamen non prorsus absoluit: infert enim (per manus impiorum interemistis) per manus videlicet Iudæ & militũ tamen interfeciſtis. nam si qui egerunt, impij & iniusti fuerunt, illi quoque proculdubio qui interemerunt, ita fuisse censendi sunt. Vbi ita inuectus in ipsos est, ipsosque in hunc modum corripuit, sensim ad reliqua & illustriora descendere audet, cum inquit (quem Deus suscitauit solutis parturiginibus mortis) eo q; mors dum eum cõti

neret, parturiebat, & quasi grauibus doloribus afficiebat. parturigines enim id est ὠδῖνας hoc ẽ dolores partus uetus scriptura pericula appellat & calamitates: vt in eo (parturigines inferni circundederunt me.) cum vero inquit, (quatenus ab ea contineri illum impossibile erat) magnũ atq; admirandum eius opus declarat, q; non amplius moriatur. Post hæc adducit etiam prophetã Dauid sicut ante dictum est, non in se, sed in ipsum id est Christum, hæc dicere. & hic quoque ab humilioribus, humilioremque in modum prophetiam ꝓposuit, vtpote ad eos qui introductione, atque institutoria oratione indigerent. Q_uatenus impossibile erat &c.) ipse enim dixit. nullus tollit animam meam a me: sed ego ex me ipso pono eam, & rursus ego sumo eam. Pſal.17.a Ioan.10.d

Viri fratres licet cum fiducia dicere ad uos de patriarcha Dauid, q; & defunctus fuerit, & sepultus: et sepulcrum ipsius usq; in hodiernum diem apud nos sit. propheta igitur cum esset, sciretq; iureiurando iurasse sibi Deum de fructu lumbi ipsius, consessurum in solio ipsius, quantum ad carnem resurrecturum esse Christum prænidens, de resurrectione Christi loquutus est: q; destituta anima eius in inferno non fuerit, neq; caro ipsius uiderit corruptionem. Hunc Iesum suscitauit Deus, cuius omnes nos testes sumus. 3.Re.2.b Pſal.131.c

Vbi prophetiam expleuit, ab alio rursus exordio auspicatur, viri, inquiens, fratres. quando. n. magnum aliquid dicturus est, exordio qd' con-

ciliet, uti consueuit, fratresque vocat. non secus & Stephanus, fratres, inquit, et patres audite. deinde subdit (licet cũ fiducia dicere de patriarcha Dauid) qua in re nihil offendit, sed multa vtitur modestia. nam si ita simplici modo dixisset, hæc non de Dauid, sed de Christo dicta fuisse, asperi audientibus visus fuisset, magisque eos in iram incitasset, q̃ obtẽperantes reddidisset. nunc vero multa prius cum veneratione de beato Dauid loquutus eos ita prępărat, vt de Christo fuisse illud testimonium, non difficulter admittãt. ac tota quidem oratio in hunc modum disponitur. nã cum inquit Dauid defunctum fuisse & sepultũ, non adiungit nõ resurrexisse, sed sepulcrum eius apud nos vsque in hodiernum diem esse: qđ idẽ est ac si non resurrexisse eum dixisset. qđ cum fecit, neque ita ad Christũ deuenit: sed rursus Dauid ipsum cõmẽdat, cum inquit (propheta igitur cum esset) vt ex veneratione erga eum, & genus qđ ab eo est, orationem de Christi resurrectione admittãt. neque dixit promisisse ipsi Deum, sed qđ maius est, & inuiolabile, iurasse. Q_đ vero (quãtum ad carnem) ait, Christum quoque esse Deum, & semp simul cum patre esse denunciat. patri autem omnia attribuit, vt tunc ea quæ dicuntur, admittant. Sed quo modo in solio ipsius consedit? in eo sanè q̃ omnibus Iudais & gentibus dominatur in fidem & cultum eius comprehensis. q̃ autem neque caro ipsius viderit corruptionẽ, resurrectionis mysteriũ magis declarat.

Dextera igitur Dei exaltatus, promissionęq; ſpiri

tus ſancti accepta a patre, effudit hunc quem uos uidetis & auditis. non enim Dauid in cœlos aſcendit.

Rursus patri qđ effectum est, attribuit: quippe cum ita se auditores cõciliaturum atque illecturum cognosceret. cum dicit autẽ (exaltatus) & de assumptione innuit, et in cœlis eum esse significat: vnde etiam q̃ in cœlis sit, non aperte explicauit. posteaq̃ igitur eò processit, vt signorum eius & resurrectionis mentionem fecerit, postea subiungit (effudit.) nam cum a principio patrem non Christum promisisse hoc per Ioelem prophetam dixisset, vbi admirabilia Christi cõmemorauit, fidenter iam eũ effudisse ait: vt Ioelem cum inquit (effundam) non de patre, sed de Christo dixisse significet. Promissione autem spiritus sancti accepta inquit, vel qua ipse nobis discipulis promisit, cum dixit (cum venerit cõsolator, quem ego mittam vobis a patre:) vel qua pater ante passionem ipsi promisit, cum inquit: (& glorificaui, & iterum glorificabo) promissionem tamẽ patri attribuit rem ipsam obumbrãs, quo ab auditoribus facilius suscipiatur. quęcũq; enim dixerit aliquis, nisi ad id tendant qđ confert, frustra & incassum dicuntur. Hic autẽ crucem non solum ipsum non diminuisse, sed clario rem etiam reddidisse ostendit: quippe cum qđ p Ioannem Baptistam ante crucem pater promiserat, cum ait (ipse vos baptizabit spiritu sancto & igni) hoc post crucem dedit. Ioan.15.d Ioan.12.d. Matth.3.c

Dicit aũt ipſe: dixit Dominus domino meo ſede a dextris meis, donec poſuero inimicos tuos ſuppedaneũ Pſal.109. a

pedum tuorum, certo igitur sciat tota domus Israel, q̄ Dominum & Christum ipsum Deus fecerit hunc Iesum quem uos crucifixistis.

Non amplius quicpiam reformidat, quippe cum ex dictis fiduciam habeat, sed quid inquit? Dauid dicere (dixit Dominus domino meo) atq; ita ipso Dauid sublimiorem eum reddit. nam si Dauid dominū ipsum vocat, multo minus ipsi idem facere dedignabuntur. quin terrorem etiā ipsis incutit, dū inquit (donec posuero inimicos tuos) & ne fides his non adhibeatur, patri subiectionem hanc attribuit. Ceterum magna quoq; hæc rursus in humiliorem modum exponit, cum ait (certo igitur sciat totus Israel, q̄ Dominum & Christum eum Deus fecerit.) Fecerit autem, pro, constituerit, et ordinarit, non pro (essentiam dederit) positum est. Sublimius vero de Christo dixisset, qđ antedictis magis esset consentaneū, hoc modo: certo igitur sciat omnis Israel, q̄ a dextris patris sedeat.

Hæc cum audiuissent, compuncti sunt corde. dixeruntq; ad Petrum & reliquos apostolos. quid faciemus uiri fratres?

Cum concionem hanc modeste ita et mansuete tractasset, in compunctionem ipsos induxit. compuncti sunt autem, id est turbati, & affecti animo sunt, seq; ipsos damnatione dignos agnouerunt. vnde etiam mali liberationem quærunt: & familiariter atque amice fratres eos vocant, quos paulo ante subsannabant. neq; ex æqualitate hoc nomine vtūtur, quasi ipsis se adæquent, eos fratres appellando: sed eatenus, vt conciliationem atq; amicitiam præ se ferant. nam quia Petrus quoq; incipiens orationem ita eos vocauerat, inde etiam ipsi huiusce compellationis occasionem sumpserunt.

Petrus autem ad illos, pœnitētiam, inquit, agite: et baptizetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum: & spiritus sancti donum accipietis. uobis enim & filijs uestris promissio est, & omnibus qui longe sunt, quoscunque Deus noster aduocarit. aliisq; uerbis pluribus testabatur, et hortabatur dicēs: salui efficiamini a genere hoc distorto. atq; illi quidem libenter oratione eius admissa baptizati sunt. & addita sunt die illo animarum circiter tria millia. perseuerabant autem in doctrina apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus.

Quasi os commune omnium apostolorum propositus Petrus, pœnitentiam agite, dicit, & baptizetur vnusquisq;. non credat inquit, sed baptizetur: hoc enim in Christum credentium fundamentum est. Hoc igitur primum faciendum esse censet: deinde ad fundamentum finem adiungit, quod est donū spiritus sancti: eo q̄ per hæc media fides existat, atq; emicet. cum vero inquit (vobis enim & filijs vestris promissio est, & omnibus qui longe sunt, & qui sunt prope) doni abundantiam significat, quod non solum ipsis,

verum etiam filijs sufficiat: quin & in gentes quoq; superabundet. hoc enim indicat, cum ait (& omnibus qui sunt longe) si vero ijs qui sunt longe, multo magis proculdubio vobis qui prope estis, exhibebitur. Vide autem tunc eum fidē gentium significasse, vbi compūctos, & se ipsos damnantes cognouit. anima enim inuidere non amplius potest, cum se ipsam damnat.

Contigitq; omni animæ timor. & multa prodigia & signa per apostolos facta sunt. omnesq; credentes simul erant, cunctaq; habebant communia: & possessiones & facultates vendebant, distribuebātq; omnibus, prout cuiq; opus erat: unanimiter in templo quotidie perseuerantes.

Non enim quasi viles aliquos eos contemnebant: sed quia vehemens erat Petrus dum desup flueret, & futura per promissiones ostenderet, merito timore afficiebantur: quippe cum verbis facta etiam attestarentur. quemadmodum enim in Christo quoq; prius signa præcessere, deinde doctrina subsequuta est, postea miracula: ita etiā nunc. Cum autem possessiones venderent, & distribuerent, prout quisq; indigebat: non temere id faciebant, sed cum dispensandi ratione pro dignitate vnicuiq; diuidebant. atque id, vnanimiter perseuerantes, non vno die, aut duobus, sed quotidie, & vno consensu & animo. In templo autem assidebant credentes, vtpote cum studiosiores effecti, nulla alia re ex religione erga locū, q̄ templo ipso occupari vellent.

Frangentesque

Frangentesq; in domo panem cibum sumebant in exultatione, & simplicitate cordis, laudantes Deum, & habentes gratiam apud totam plebem. Dominus autem eos qui salui fierent, ecclesiæ quotidie adiūgebat.

Domum nunc templum vocat, in eo enim comedebant. Frangentes panem autem inquit, vt vilem ac parabilem victus eorum modum significet. panem enim frangentes sumebant cibum, non delicias quærebant. atque ita vitam ex fide componebant, ac moderabantur: atque amice se habebant ad totam plebem. q̄uis enim pōtifices ob inuidiam ipsis essent infensi, apud populum tamen gratiam habebant: id autem ex eleemosyna qua erga ipsum vtebantur, & pura conuersatione ostendebatur. In cordis autem simplicitate, id est humilitate, & abiectiōe, dum nihil sublime de se cogitarent, nihilq; ex beneficijs & eleemosynis quas faciebant, gloriarentur: id qđ maxime Iudaicum erat: Quemadmodum ex iactā te pharisæo perspicuum est. Luc.18.b

De claudi curatione, & Petri super ea re ad Israelitas monitione, & exhortatione ad pœnitentiam. Cap. III.

SIMVL autem Petrus & Ioannes ascendebāt in templum ad horam orationis nonam.

Multa erat inter hos duos vnanimitas & amicitia: quippe cum huic in Domini passiōe innue rit Petrus, vt magistrum interrogaret: & rursus ad sepulcrum simul cucurrerint: & de ipso rursus Petrus Christo dixerit, hic vero quid? Ascē- Ioā.13.c Ioā.20.a Ioā.21.f

C

debant autem in templum, non q̃ adhuc Iudaismum sequerentur, sed vtiliter ad infirmitatem aliorum sese demittentes accommodabant: vt cu rato claudo in templo multos qui viderãt, testes haberent. multi enim illuc ob loci venerationem conuenerant. Cum vero horam etiam indicat, semper eos orationibus, & precibus vacare ostẽdit. templi etiam meminit: vt vtrisq̃ & tempore videlicet & loco ea quæ scribit, confirmet. Cũ vero multa alia miracula ab apostolis fierent, vt qui hæc scribit Lucas, superius dixit, nullum ex illis nominatim commemorat: sed id tantum scribit, ex quo omnes cõmoti sunt. illa enim fortasse vel quia videbantur parua, negligebat: vel quia non iactantiæ causa opus hoc conscribebat.

Et quidam uir qui claudus ex utero matris suæ erat, baiulabatur, quem ponebant quotidie ad ostium templi qđ dicitur speciosum, ut eleemosynam ab ingredientibus in templum peteret. is cum uidisset Petrum & Ioannem qui ingressuri erant in templum, rogabat, ut eleemosynam acciperet. intuitus autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: respice in nos. ille uero intẽdebat ĩ eos sperãs se aliquid ab eis esse accepturũ.

Cur nomen claudi non refert? propterea q̃ neq̃ apostoli illud norant, prorsus enim ignotus ipsis homo hic erat. atq̃ id effectũ est, ne ex obsequio, & affectu sanationes facere viderentur: ne ve aliqua simulationis suspicio vel apud impudentissimos quosq̃ subesse posset, q̃ in gratiam apostolorũ aliq̃ ex eorũ familiaribus se sanos esse

factos simularent. Sed cur post sanationem nomen eius non didicerunt? eo q̃ ocium ipsis non erat, vt in rebus nullam vtilitatem afferentibus occuparentur. Sed qua de causa antea non adductus fuit ad Christũ, vt sanaretur? fortasse quia qui assidebant templo, infideles erãt: quippe cũ neq̃ ad apostolos eũ adduxerint, licet ipsos ingredientes viderent, & talia miracula fecisse cognoscerẽt. Claudum autem ex vtero matris hũc fuisse omnes qui in templo erant, sciebant. vnde quia hoc conspicuum erat, ne nominis quidem proprij eius curam vllam habebant ad eum compellandum. sed morbi appellatio nomen quoque eius superabat: læsioque ipsa ex præcipua notiõe in nominis vicem abierat. Cum multa autem miracula, vt diximus, ab apostolis fierent, non adducebant tamen ipsum curandum ad apostolos, sicut neque antea ad Christum Iudæi, vel ob inuidiam, vel ob infidelitatem: cum nondum eos tanta miracula facere posse existimarent.

Petrus autem dixit: argentum & aurum non est mihi, sed tibi id do quod habeo.

Hoc nihil prorsus pecuniarum possedisse eos ostendit. non enim q̃ nos sæpe dicere consueuimus, nunc non habeo, dixit, sed, non est: quod prorsus nõ subesse ipsi vllã pecuniam declarat.

IN nomine Iesu Christi Nazareni, Surge & ambula: & apprehensa eius manu dextera excitauit eum & protinus confirmatæ sunt plantæ eius &

tali. & exiliens constitit & ambulabat: & unà cũ ipsis in templum ingressus est, ambulans & saliens, & laudans Deum. uiditq; eum omnis populus deambulantem & laudantem Deum. agnoscebantq; illum esse eum qui ad eleemosynam ad speciosum ostium tẽpli considebat: ob idq; quod ipsi contigerat, admiratione ac stupore repleti sunt.

Id quod Christus sæpe faciebat in ijs qui imperfectius erant affecti, dum non verbis tantum curaret, sed etiã attingeret: id nunc Petrus quoq; facit. simulq; dum ipsum excitat, resurrectionis mysterium confirmat: & ea de causa, ne casu aut sponte id factum esse videretur. Exiliebat autem vbi surrexit, aut quia non credebat: aut quia tentabat an stabilius & firmius collocare plantas posset: aut quia neque sciebat deambulare. Quod vero inquit (agnoscebãt illũ) propterea addidit, quia post miraculum ignorabatur: id quod etiam in cæco ab ortu contigit. nos quoque de ijs qui vix agnoscũtur, tali vti loquutione consueuimus. Ambulans & saliens) vnde ex saliendo merito ignorabatur is qui antea non modo erat tardus, verum etiam ad ingrediendum aliorum auxilio indigebat.

Cum uero claudus qui sanatus fuerat, Petrum & Ioannem teneret, concurrit ad eos omnis populus in porticu quæ uocatur Salomonis, stupore correpti.

Tenebat apostolos post sanationem vel ex beneuolentia, vt quasi laudes ipsorum prædicaret,

seruatoresque suos omnibus commostraret: vel suspicatus si eos dimisisset, rursus se a morbo correptum iri. tantisper enim liberatum se esse a morbo existimabat, q̃diu ipsos cõtinuisset, eosq; attingeret. præsertim quia etiam Petrus apprehensum ipsum tenẽdo sanum reddiderat. In porticu quæ vocatur Salomonis) hæc sola enim porticus reliqua erat ex fabrica Salomonis. nam tẽplum incendit Nabuchodonosor: Cyrus Persa extruxit. 4.Re.25.e 1.Esd.1.b.e 4.a.&.5.a

Viri Israelitæ quid admiramini ob hoc? aut quid in nos oculos defigitis quasi propria potestate, uel pietate fecerimus, ut hic deambulet?

Appellatio Israelis dupliciter sumi potest: in laudem ab Iacob, cui diuinæ obediẽtiæ causa Israelis cognomentum attributum est, ab humi repentibus ad cœlestes & diuinas & intelligibiles sublimitates traductum: in vituperium ab exitu seminis eius ex Aegypto, qd̃ difficile, & inobediens, & exacerbationis plenum fuit. vtroque vero modo sumptum nomen Israelis ipsis affert, vel dedecus, si non obediuerint Deo, vt ipsorum progenitor: vel perditionem, vt qui ex Aegypto promissa sorte non fuerint seruati. quorum vtrorumque per hoc nomen significatio facit, vt ad alterum æmulandum, ad alterum vero fugiendũ similis perniciei metu excitentur. Atque hæc quidem concio maiore fiducia plena est, non q̃ in superiore timuerit, sed quia tunc cum infensi essent & proterui, audire non sustinuissent. pro- Gen.32.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

pterea illam incipiēs conuersionem ipsis ab exordio præparat, cū inquit (hoc vobis notum sit, & in aures admittite verba mea.) hic nulla huiusmodi præparatione indiget. non enim desides amplius erant: sed signum claudi omnes ipsos conuerterat, timorisque & stuporis plenos reddiderat. Sed vide, quo modo gloriam quæ ex hoc signo ipsis eueniebat, diminuendo, ac reiiciendo, nihil magni de se loquatur. quippe cū, si in præclare a se factis quispiam humiliter se gerat, ac loquatur, auditorem magis conciliare consueuerit. Iccirco etiam ipsi contempta humana gloria magis se glorioſos reddebant, cum non humanum, sed diuinum factum esse id ostenderent. Cū enim inquit (quasi propria potestate) non humana, sed diuina potestate sanatum fuisse hominem declarat. Nazarenus igitur Deus est, cuius nomē eum sanauit.

Deus Abraham, & Isaac, & Iacob, Deus patrum nostrorum puerum suum Iesum glorificauit, quem uos tradidistis, & negastis in conspectu Pilati, cum ille dimittendum eum iudicasset. uos autem sanctum et iustum negastis, & uirum homicidam petistis condonari uobis, auctorem uero uitæ interfeciſtis, quem Deus a mortuis excitauit: cuius nos testes sumus.

Mat.27.c. Mar.15.b Luc.23.c Ioā.18.g.

Adhuc humiliora persequitur & de se & de Christo. de se, cum inquit, non propria potestate miraculum se id fecisse: de Christo, cum addit puerum: qui enim ex se glorificatus est, additionem gloriæ non admittit. Cum igitur & se & Christum humiliarit, Iudæorum contra Christū scelus auget, neq; id offuscat, vt prius. id autem facit, vt magis eos conciliet: quanto enim magis pœnæ obnoxios eos ostendit, tanto magis fit, vt doleant, seq; ipsos Christo subiiciant. Cum vero ait (quem vos tradidistis, & negastis) duo crimina obiicit: nam & Pilato tradiderunt ad necem, cum dicerent (nobis interficere quempiam non licet) & negarunt, cum clamarent (non habemus regem, nisi Cæsarem.) Adde q; cum Pilatus q; Græcus erat, & neq; signum vllum a Christo viderat, neq; prophetas de Christo audiuerat, absoluere ipsum vellet: ipsi passi id non sunt, qui et Christum ipsum miracula facientem sæpe viderant, et prophetias de ipso sibi explicatas cognouerant. Dum vero ait (homicidam petiistis) acriter admodum potuisse eos Christum absoluere comprobat: nam si effecerunt, vt homicida, qui culpæ erat obnoxius absolueretur: nonne multo magis insontē liberare potuissent? sed ipsi e contrario sontem eripuerunt: insontem interficiendum tradiderunt. Auctorem autem vitę cum inquit, ipsum se ipsum suscitasse Christum ostendit. neq; resurrectionem prophetarum testimoniis confirmat, sed suo & cœtus apostolorum, quia iam auctoritatem & fidem apud ipsos habebant. Posteaq; vero accumulato crimine vehementer molestarat, rursus remittit orationem, ad pœnitentiamq; ipsos inuitat: q; videlicet ex ignorātia id egerint, q; que id qd' ab initio fuerat cōstitutum, prophetarumque vaticinio prænunciatum, præteriri nō potuerit. Vbi autem hucusque

Ioā.18.f Ioā.19.c

processit, nominatim etiam pœnitentiam necessario sumendam monet, quo & peccata ipsorum deleantur, & ex pœnitentia & bona operatione perpetua bona consequi valeant.

Et in fide nominis eius, hunc quem spectatis & nostis, nomen ipsius confirmauit.

Hoc est, quid dico credens in nomine eius firmatus est? immo prius q̄ crediderit, nomen solū inuocatum ipsum confirmauit. tantam gratiam nomen infundit. nondum enim crediderat, sed sola nominis inuocatio totum opus effecit.

Et fides quæ per ipsum est, integritatem hanc corā omnibus uobis ipsi dedit.

Quænam fides sit quæ per ipsum prædicata
Ioā.17.a est, ipse exponit: vt cognoscant te solum verum Deum & quē misisti Iesum Christum. ne enim aliquis dicat: ergo etiam si infidelis nomen eius inuocauerit, nihilo minus sanatio succedet: si modo sola nominis inuocatio hunc confirmauit, ac corroborauit: iccirco subiungit: & fides quæ per ipsum est. perinde ac si dicat, magnum quidem nomen est, sanationesque efficiens, sed animas tamen requirit quæ dignæ esse gratia queant. nam si ab infidelibus nomen inuocetur, infidelisque mansurus sit, qui sanatione indiget, nihil huiusmodi efficiet. Q d'vero inquit (nomē eius ipsum confirmauit) sublime ac perfectum est: & si ibi constitisset, Iudæos exasperasset. cum vero subdit (& fides quæ per ipsum est) rem humilem reddit. Ita enim alia rei naturæ attribuēs, alia affectui & facultati auditorum accommodās humilia sublimibus vt admittantur, commiscet.

Et nunc fratres ex ignorantia uos fecisse scio, quēadmodum etiam principes uestros. Deus uero quæ prænunciauit per os omnium prophetarum suorum passurum esse Christum, ita impleuit. pœnitentiam igitur agite, & conuertimini, ut deleantur peccata uestra. cum uenerint tempora refrigerij a facie Domini.

Noui, inquit, ex ignorantia hoc vos egisse, propterea q̄ plerosque vestrum conuerti, ac vel le esse saluos video. sciebat enim non ex ignorantia egisse, sed ita inquit, vt aditum ad pœnitentiam eis apperiat. vnde inquit (pœnitentiam agite) non de illis quæ perpetrarunt circa crucē sceleribus, in ignorātia enim illorum fuisse eos iam asseruit: sed de alijs peccatis intelligens. At cum ait (tempora refrigerij) in afflictationes multas eos incursuros, bellaque esse subituros significat: quippe cum ad eum qui ploraturus sit, consolationemque desideret, oratio huiusmodi conueniat. Cum venerint, inquit, refrigerij tempora, id est temporibus refrigerij quæ a facie Domini, hoc est ex diuina & paterna substantia dispositа ac præparata esse ostendit. Neque enim verisimile est, eos qui in passione Domini contumelioſe ita se gesserunt, meritam retributionem non fuisse consequutos: quam sanè Romani exercitibus Vespesianus & Titus in eos intulerunt, qui in Iudaica contra Christum rabie perseuerārūt, qui nō modo ciuili sua administratione fue-

runt priuati, verum etiam post metropolis suæ, & templi euersionem vagi per totum orbem dispersi errant. sique vsque ad corruptibilis huius vitæ cõsummationẽ perseuerarint, nullum vnq̃ refrigerium adipiscentur. tunc enim Christi de cœlo aduentus vnicuique pro merito laborum præmia distribuet. Eorum igitur quæ tunc euenient, notionem Iudęis nunc insinuat, vt illorum metu in maiorem pœnitentiam inducantur.

Et miserit eum qui ante prædicatus uobis est, Iesum Christum: quem cœlum suscipere oportet usq; ad tempora restitutionis omnium, quæ Deus per os omnium sanctorum suorum prophetarum a seculo loquutus est.

Vide quo modo ordinate ꝓgrediatur: in prima concione resurrectionem & in cœlos ascensum & consessum Christi significauit: hic de manifesto eius aductu mẽtionẽ facit, quẽ tẽpus refrigerij vocat, ĩ quo resurrectiõis nostrę tẽpora de-
2.Cor.5.a clarant: quæ et Paulus inquirit, cũ inquit (et nos qui in tabernaculo hoc sumus grauati ingemiscimus.) Si quis vero refrigerij tempora ad euersionem & captiuitatem Hierusalem referat, nihil obstat, quo minus intelligi ad eum modum etiã possit. nam eos etiam afflictationis & captiuita-
Mat.24.b tis illius dies propter electos truncauit atque abbreuiauit Christus, vt credentes refrigerium inuenirent, & a vehementi illa miseria & necessitate seruarentur. Cum aũt superius dixisset, (Deus vero quæ prænunciauit &c.) nullum e scriptura

exemplum de crucifixione subiunxit, propterea ꝙ cum vnumqd̃q; ex ipsis multis cum criminationibus, punitioneq; ipsorum dicatur, tristitiã auditoribus maiorẽ attulisset: id qd̃ facere minime volebat. simplicius item de Christo loquitur auditorum humili atq; abiecto adhuc sensui accommodans orationem. nam ad id quod visui expositum est in Domino, id est ad humanitatẽ eius missio de cœlo: ad futurum autẽ, eius in cœlum susceptio spectat. Quem enim, inquit, oportet cœlum suscipere. sed susceptus iã erat assumptionis tempore. quocirca dicendum est, ipsum hic vel rudius loquutione vsum fuisse: quemadmodum in epistola, vbi de Christo ita inquit: 2.Pet.1.d
accipiẽs enim potestatem a Deo patre, voce ipsi de cœlo allata. ibi enim (accipiens), ꝓ (accepit) positum est, sicut ad sententię perfectionem orationis cõstructio requirit. qua re etiam hic cum inquit (quem oportet suscipere) dixit, ꝓ (quẽ oportebat.) vel quia non ab omnibus assumptio in cœlos fuerat inspecta, iccirco ipsos sua ipsorum opinione vti permittit. sed cũ dixerit tamen cœlum ad susceptionem eius q missus fuerat paratum esse, dum inquit (quem oportet cœlum suscipere) filium esse eum significat, & coęternum patri, & a patre missum inde vbi simul cum patre viuebat, vtpote filius, et vnigenitus: & indubitato in cœlum ascensurum, vtpote qui de cœlo descenderit, & rursus in patriam sedem absq; vlla refragatione rediturum: & vnde ex dispensatione descendit, illic rursus in solio consessurum: vt & filius & cœlestis confirmetur; & demonstre-

tur idem rursus de cœlo esse expectandus. Atque vt hæc clarius cognosci queant, ad Moysen & prophetas eos relegat. Moyses enim inquit, prophetam suscitabit vobis dominus Deus noster sicut me. & Dauid, descensum eius de cœlo pluuiæ in vellus descendenti comparat. atq; absolute cum ad prophetas ipsos referat, rursus consolatur, quasi, si prophetis obtemperauerint, licet non natura, gratia tamen filios etiam ipsos futuros ex magnifico eius qui exhibet, dono. nam filium etiam natura habet. eius autem qui natura est, & eorũ qui sunt adoptione filij, maxima differẽtia est. hi enim ex spirituali prophetarum institutione in filios fuerunt adoptati: ille naturali habitudine filiationem extollit ac magnificat. ALITER. Q̃d inquit (quem oportet cœlum suscipere) positum est, p̃ (quem cœlum suscipere necesse est) vtpote qui Deus sit. Cur igitur non dixit, quem cœlum suscepit? sed hoc quasi de superioribus temporibus loquatur, ita protulit. Cum vero ait (vsq; ad tempora restitutionis) causam refert cur nunc non veniat: restituenda enim, inquit & ad finem deuentura omnia sunt, & tunc postea veniet.

Deu.18.c

Pſal.71.a

Deu.18.c *Moyses quidem ad patres dixit, prophetam uobis ſuſcitabit dominus Deus noſter ex fratribus ueſtris ſicut me. ipſum audietis in omnibus quæcunq; loquutus ad uos fuerit. eritq;, omnes anima qui prophetam illum non audiuerit, de populo diſperibit.*

Quid est q̃ inquit, sicut me? hoc sanè, quia

sicut Moyses in Aegypto, ita in Bethlehem nascitur Christus: sicut ille Israelita, ita hic quantũ ad carnem: sicut ex genere sacerdotali ille, ita hic ex Dauid per virginem: sicut Pharao contra illum, ita contra hunc Herodes. & sicut Pharao infantes interficiendos præcipit, ita Herodes quoq;: masculos Pharao, Herodes quoq; masculos tollit: ex qua internicione sicut Moyses p̃ matrẽ, ita p̃ matrẽ Christus & cũ mr̃e seruat̃: ille in fiscella apud fluuium, hic in Lyco vrbe Aegyptia, quæ apud eundem fluuium sita est: ille ab alienigena Pharaonis filia, hic ab alienigena similiter Pharaonis vrbe educatur. Atq; hæc dico non vt dominum seruo comparem, sed vt tempus & modum conferam, & veritatem in vmbra describam.

Exod.2.a Luc.1.a

Luc.1.c Exo.1.c.d Matth.2.c

Exo.2.a.b

Matth.2.c

Et omnes etiam prophetæ a Samuel, & qui deinceps loquuti sunt, dies quoq; hos annunciarunt.

Subintelligendum quoque hic est (ad patres nostros) vt sit sentẽtia huiusmodi: et omnes quicunque ad patres nostros loquuti sunt.

Vos filij estis prophetarum & testamenti, q̃d dispposuit Deus ad patres nostros ad Abraham dicens: et in semine tuo omnes familiæ terræ benedicentur. Vobis primum Deus cum suscitarit filium suum, misit ipsum qui benediceret uobis, ut auertat se unusquisq; ab improbitatibus suis.

Gen.12.a

Vos estis, inquit, filij prophetarum. quasi diceret, ne timeatis, neque putetis a promissiõibus

vos esse alienatos: vos estis filij prophetarum, quare vobis hæc dixerunt, & facta hæc propter vos sunt. sed vos quidem filij estis ꝓphetarum, hic filius Dei est substantię patris particeps: qui et illos sui participes reddidit. Vos estis filij prophetarum et testamenti, id est hæredes. nam si filij sunt, hæredes quoque sunt. hęredes autem non recenter ascripti, sed iamdiu, vtpote filij. Atque vt ostendat quantum ad adoptionem attinet, si modo etiã ipsi voluerint, hæredes ipsos quoque perinde ac filios esse: vobis, inquit, tanꝯ filijs filium suum Deus misit: misit quidem etiam alijs, sed vobis primum: neque id tantummodo, sed etiam primum. i. præcipue illis qui cruci ipsum fixerunt & interfecerunt. sed quando? non nunc solum, sed & ante crucem, tantumque facinus, et post resurrectionem. Vnde inquit, vobis primũ cum suscitarit filium suum. vt quid faceret? vt benediceret, & saluos faceret vos, si modo etiam vos a vitijs & improbitatibus vestris velitis auertere uos, ac recedere.

De pontificum inuidia ob miraculum, & Petri & Ioannis comprehensione: tum eorundem dimissione facta comminatione ne amplius Christum prædicent: de oratione ab ecclesia eam ob rem facta & gratiarum actione ad Deum. Cap. IIII.

CVM uero ipsi loqrẽtur ad populũ, supuenerũt ipsis sacerdotes, & dux tẽpli, et Sadducæi dolẽtes q, docerent populum, & in Iesu resurrectionẽ ex mortuis annunciarent: manusq; in ipsos iniecerũt, posueruntq; in custodiam in crastinum: erat enim iam

uespera. multi uero qui sermonem audiuerant, crediderunt.

Vide quo modo res dispẽsantur. primum omnes simul irridebantur: deinde vbi in concionibus claruerunt, & miraculum postea magnum ediderunt, tunc iam vbi fiduciam conceperant, Deo ita permittente, in pericula incidunt, certaminaque experiuntur. Sed hac in re Iudæorum impudentiæ incrementum considera. nam cum in Christo aliquem qui eum ipsis traderet, quæsiuissent, nunc post crucis scelus audaciores effecti manus ipsi iniꝯciunt: secumque ducem militũ habent, vt rursus facta hæc publico alicui crimini ascribant, non quasi priuatum aliquid vindicẽt. id qđ vbiq; facere studẽt. In conspectu autẽ multitudinis apostolos vinciũt, vt videntibus ẽt terrorẽ incuterẽt. Sed res e contrario cessit. multi enim qui sermonem audiuerant, crediderunt. Vides diuinam operationem? nam cum eos etiã q̃ antea crediderant, consternari, ac timidiores reddi verisimile esset: Petri tamẽ concio spiritu sancto composita animam audientium ita perculerat, vt etiam alij denuo ad fidem intrepide conuerterentur. Separatim autem ipsos examinant, ne ex libera eorum loquutione, & fiducia audientes lucrarentur.

Euasitq; numerus uirorum circiter quinq; milid. Factum est autem, ut in crastinum principes ipsorum congregarentur, & seniores, & scribæ in Hierusalẽ, & Anna pontifex, & Caiphas, & Ioannes, & Ale-

Universidad de Deusto
Biblioteca

xander, & quicunq; e pontificali genere erant.

Quinque milia hic ex apostolorum prædicatione & miraculis credunt. propterea enim in quinque milium esurientiũ multitudine eis prædixerat Christus, date illis vos vt comedant: quasi diceret, quinque virorum milia etiam uos post hæc fide saturabitis.

Constitutosq; eos in medio interrogabãt. in qua potentia uos, aut in quo nomine hoc feciſtis.

Nouerant quidẽ, nam dolentes q̃ in Iesu resurrectionem annunciarent, ipsos comprehenderãt: sed interrogant, eo q̃ ipsos iudicio & multitudine terrefactos negaturos esse sperabãt: atque ita se omnia hoc modo posse corrigere opinabãtur. Vide enim q̃ versute interrogent. volebant siquidẽ vt apostoli suum potius id opus, q̃ Christi potentiæ esse confiterentur. neque præterea claudi curationem nominant. neque enim quid sit id, exprimunt, sed, hoc feciſtis, dicunt.

Tunc Petrus ſpiritu ſancto repletus ad eos dixit. principes populi, & ſeniores Iſrael, ſi nos hodie diiudicamur de beneficio hominis infirmi, in quo iſte ſaluus factus ſit: notum ſit omnibus uobis, totiq; populo Iſrael, in nomine Ieſu Nazareni, quem uos crucifixiſtis, quem Deus ex mortuis excitauit, in eo hunc corã uobis ſanum aſtare. Hic eſt lapis a uobis ædificãtibus nihili factus, qui in caput anguli euaſit, neque eſt in alio quopiam ſalus. neq; enim nomen aliud eſt qđ datũ inter homines ſit, in quo ſaluos nos eſſe oportear.

Pſal.117.d
Mat.21.d
Mar.12.a
Luc.20.c
Eſa.28.d
1.Pet.2.a
Rom.9.g

Principes

Principes populi ex dignitate plebeæ turbæ: seniores Israel ex doctrina & intelligentia, qua a terrenis ad diuina populus attollebatur. in duo enim hæc auditorum cœtum diuisit: eo q̃ alij intelligere ea quæ dicebantur, ex æquo nõ possent, sed leuiter & superficie tenus ea perciperent: alij exactius & profundius in animum ea quę enunciarentur, admitterent. Quoniam igitur, inquit, quasi ordini cui præfecti estis, prouisuri, nos hodie in quæstionem & disquisitionem ob beneficium homini infirmo & debili collatum induce re voluistis, & non ex ipsa re admiramini, neque venerationem illi exhibetis, cuius nomine bonũ hoc effectum est: adeo peccatum in vobis abundat: quid post hac faciendum est? non ne quasi profundo torpore sopitos excitare vos debemus, vobisq; & populo aperte manifestare, hunc in nomine eo saluum esse factum? &c. Nomen autẽ pro existimatione & gloria sumit, non secus ac Psalmista: cum inquit: quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. quæ sanè existimatio, inquit, adeo apud vos viluit, tantoq; cõtemptui habita est: vt non modo venerabilem eam non iudicaueritis, verum etiam ipsum cui hoc nomen est, fontium ac maleficorum morti tradideritis. Nazarenum vocat a loco ex quo natum esse ipsum opinio erat, humiliora etiam hic de Christo commemorans: vt planum faciat, nullã humanam vilitatem veræ gloriæ detrimentum afferre: si modo perspicax sit, qui rem ipsam intuetur. Vnde etiam in eorum ignominiam apud quos est sermo, vbi inquit (quem crucifixistis)

Pſal.8.a

D

statim subiungit (quem ex mortuis excitauit) quis excitauit? Deus. nam quia inuidētes vos stæ
tucratis turpissima maleficorum morte gloriam
miraculorum eius inutilem reddere, atq; obrue-
re: dicebatis enim, quid facimus, quia homo iste
Ioan.11.f multa signa facit? cruci vestræ resurrectionem
obiecit. quis? Deus, qui ipsum suscitauit. Patri
vero resurrectionem attribuit, tum quia omne
diuinum opus, exceptis ijs quæ personales ineffa
bilis trinitatis notas præ se ferunt, commune est:
tum vt hinc etiam Deo ipsos aduersari ostēdat.
propria enim potestate id Christum fecisse ita
aperte dici non cōmode poterat, præsertim apud
homines qui ad sua ipsorum facta commenda-
da erant incitati, ita vt etiam Dei iustitiæ subie-
Rom.10.a cti non fuerint. In hoc igitur nomine inquit Pe-
trus, hic sanus astat. quem dum ait astare, erectū
quoque fuisse eum significat. cum vero subdit,
(hic est lapis) nō ad claudum, sed ad Iesum Chri
stum refert: cuius nomine claudus corroboratus
est. qui quidem lapis a vobis quidem qui ad ędi-
ficationem constituti estis, nihili fit & contemni
tur: in caput tamē anguli domus ipsius fidei eua
sit, vtroq; parietes, id est populum ex Iudæis,
& ex gentibus in vnius fidei consensum copulās
ac cōnectens. Vide vero, cum inquit (neq; in alio
quopiam est salus) psalmicum illud dictum ex-
Psal.117.d plicat (a Domino facta est hæc) connexio scilicet
& coniunctio salutaris, quam vnusquisque non
ex alio q̄ ex solo angulari lapide consequitur.
Neq; enim nomen aliud est, hoc est gloria vene-
rabilis, nisi sola hæc in Christum angularem la-

pidem fides, quæ omnes alias superexcellit: quip
pe cum ex ipsa sola salus data hominibus sit.
ALITER. Cum nondum a prioribus tenta
tionibus respirassent apostoli, in alias ex dispen-
satione inciderunt. Primum enim omnes quasi
ebrij essent, irridebantur, eo q̄ linguis quarum
erant ignari, loquebātur: deinde in pericula inci
dunt. sed neq; id tamen statim deinceps, sed vbi
prius in concionibus claruerant, & quasi ad fi-
duciam exercitati ex claudi miraculo fuerant:
Deo maxime ita permittente postea certamina
experiuntur. Vide autem Iudæorum malignita-
tem. in Christo aliquem qui eum traderet, quæsi
uerūt, hic ipsi audaciores post crucem effecti ma
nus inijciunt. Vnde etiam duce templi qui custo-
diæ templi fuerat præfectus, ad hoc vtuntur, vt
in publicum crimen, non in priuatū rem ipsam,
vt mos ipsis est, referant. Non statim autem in-
uecti contra apostolos sunt, quæstionesq; in eos
exercuerunt Iudęi, eo q̄ vespera iam occuparat.
atq; ipsi quidem versute dilatione illa vtebān-
tur, cum sperarent se in terrorem apostolos custo
dia esse inducturos, atq; ita mitiores reddituros.
sed apostolis dilatio ex dispensatione in bonum
cessit, vt alacriores ad resistendum efficerentur.
Quin ēt dum in cōspectu multitudinis vinciūt,
& clam interrogant, summam fraudem præ se
ferunt: quo videlicet & in conspectu multitudi-
nis eos qui vinciendi essent, terrerent, & in iudi-
cio quasi delinquentes examinarent. atq; id sepa
ratim, ne cum fiducia illis respondētibus, qui au
dirent, ob miraculum conuerterentur. In quali

autem potentia id fecerint, interrogant, cum tamen sciant: quo modo enim ignorabant, qui eo ꝙ Christi resurrectionem annunciabant, eos cõpræhenderant? id tamen faciunt existimantes timore iudicij eos esse negaturos, omniaq; sibi, si ita interrogarent, esse successura. dicũtque (in quali potentia hoc feciſtis?) quasi id non Christi, sed sua potestate effecerint: neq; nominatim claudi mentionem faciunt: ea enim re adeo cruciabantur, vt ne nominare quidem sanationem vellent. Atque iccirco Petrus respondet (in nomine Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit, &c.) cum vili patria passionis quoque & resurrectionis commemoratione facta. humilia enim ob excellentiam resurrectionis gloriantes prædicamus. Vbi his verbis ipsos corripuit, testimonia etiam ex scriptura subiungit, de lapide videlicet angulari, quæ superius a nobis declarata iam sunt. Aduerte tamen quando docendum est, eos prophetias etiam adducere, sicut in prima concione: quando uero tãtummodo cum fiducia loquendum est, asserunt. nam, neque nomen inquit aliud est qđ datum inter homines sit &c. de quo iam diximus. Non deducunt autem ad Pilatum apostolos, quemadmodum Christum antea, quia erubescebant, & uerebantur, ne ex his, illa quoque quę contra illum fecerant, redarguerentur.

Spectantes autem illi Petri fiduciam & Ioannis, & cum homines esse ipsos illiteratos & imperitos comperissent, admirabantur, agnoscebantq; ipsos ꝙ cũ

Iesu fuissent: cum uiderentq; hominem cum ipsis stantem qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere. Cum iussissent autem foras e concilio ipsos secedere, conferebant inter se dicentes. quid faciemus hominibus his? signum enim notum omnibus habitantibus Hierusalem per ipsos effectum esse, perspicuum est. neq; negare id possumus. sed ne latius diffundatur in populum, comminemur ipsis, ne amplius in nomine hoc cuipiam loquantur. aduocatisq; ipsis præceperũt, ne omnino in nomine Iesu loquerentur, aut docerent. At Petrus & Ioannes, respondentes ad ipsos dixerũt. An iustum sit coram Deo uos audire potius, q̃ Deum, iudicate. quæ enim uidimus & audiuimus non loqui nõ possumus. Illi uero insuper minati eos absoluerũt, cum non inuenirent quo modo ipsos punirent ob populum. quia omnes ob id qđ factum fuerat, Deum glorificabant. annorum enim erat amplius q̃ quadraginta homo, in quo factum sanitatis id signum fuerat. Absoluti igitur illi ad suos deuenerunt. quæq; ipsis pontifices & seniores dixerant, annunciarunt.

Non ambitionis & glorię causa hæc enarrãt, sed ut gratiæ Christi argumenta manifestent.

Quod cum audiuissent illi unanimiter uocem ad Deum sustulerunt, & dixerunt. Domine tu es Deus qui feciſti cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt: qui per os Dauid pueri tui dixiſti.

Vide ꝙ exquisite, atque opportune horum

preces efficiantur. quãdo enim rogabant, ut qui dignus apostolatu esset, demonstraretur, ita precantur: Tu Domine, qđ est, κύριε, id est princeps atque auctor, cordis cognitor omnium: pręcognitione enim ibi erat opus. quando uero hic aduersariorum ora obstruenda erant, clamant: Domine id est δέσποτα, quasi dicas here: & quasi ab ipso pacta requirentes prophetiam in medium adducunt: simul, ut sibi quoque consolationem afferant, ꝙ frustra etiam contra se & inaniter hostes meditentur.

Psal.2.a *Vt quid fremuerunt gẽtes & populi meditati sunt inania? astiterunt reges terræ, & principes congregati sunt simul contra Dominum & contra Christum eius. congregati enim re uera sunt contra sanctũ puerum tuum Iesum quem unxisti, & Herodes & Pontius Pilatus.*

Quænam gentes fremuerunt cõtra Christũ? Iudæorum uidelicet. q̃uis enim Iudæi essent omnes, ex diuersis tamen erant gentibus, in quibus erant dispersi.

Cum gentibus & populis Israel.

In Hierusalem Hebræi cum Caipha et Anna: populi cum Pilato.

Vt facerent quæcũq; manus tua, & consilium tuũ fieri prædestinarat.

Hoc est nõ ipsi potuerunt: sed tu es qui omne id permisisti, & ad finem perduxisti, qui potens

& sapiens es. conuenerunt enim illi ut inimici et hostes animo cędem inhiantes, ea tamen fecerũt, quæ tu uoluisti. ALITER. Idem significat manus et consilium. cui enim potentia adest, consilio opus non est. quęcũque igitur a principio statuisti, ea facta sunt. ALITER. Manus hic omnia cum ratione & opportune a Deo administrari significat: ꝓpterea ꝙ sola quoque natura composita rationalis, quę non alia q̃z homo est, manu plerumque uti ad maxime necessaria exequenda consueuit.

Et nunc Domine respice ad minas ipsorum, & da seruis tuis ut cum omni fiducia uerbum tuum loquantur, dum manum tuam ad sanationem extendis, & signa & prodigia per nomen sancti pueri tui Iesu efficiuntur.

Animaduerte orantium mansuetudinem. non enim precãtur Deum, ut perdat ipsos ac deiiciat, sed vt ad minas eorum respiciat: detque seruis suis ut cum omni fiducia loqui uerbum eius possint, dum extẽdit manum, id est dum inuicta sua potentia eos protegit. hic enim inexpugnabilem potentiam manus significat: quemadmodum quoque ibi. (Manus tua gentes in perniciem in- Psal.43.a duxit.) Oratio autẽ hæc ab apostolis fit, non ut molestias deprecentur, sed pro Euangelici præconij prospero successu. non enim dixerunt, libera seruos tuos: sed da seruis tuis, ut cum fiducia loquantur.

Cumq; hi precati essent, agitatus locus est in quo erant congregati: repletiq; omnes spiritu sancto sunt. & uerbum Dei cum fiducia loquebantur. Multitudinis autem eorum qui crediderant, erat cor & anima una. nemoq; erat qui aliquid eorum quæ possidebat, proprium esse diceret: sed erant ipsis omnia communia.

Signum q̄ exauditæ eorum preces essent, terræ motus est: tametsi quandoque etiam iræ indicium est. Quod autē spiritu sancto repleti sunt, id ostendit, totos ipsos diuini spiritus qui datus ipsis fuerat, fuisse effectos, a carnalibus his ferè penitus abstractos: uel quia refocillati sint, reaccensaque in ipsis gratia fuerit. Vnde etiam neglectis corporis periculis cum fiducia & libere loquebantur. ex quo cor & anima ipsis unum efficiebatur, & ex intellectualibus uidelicet motionibus, & ex uitalibus. Intellectuales enim motus nunc cor significat: quippe qđ primum in animalis constitutione subsistat. hoc siquidem innuit, cor & animam. i. intellectum & animam seu uitam in his ad unum & eundem bonum ac Deo gratum finem simul tēdere ac ferri. intellectualis enim indicium est, cum pericula negligūtur: uitalis, cum circa corporis necessaria adeo exacta diligētia seruatur, ut paucis quibusdam, quæ ad uitam traducendam satis sint, possessori exhibitis, cętera omnia indigentibus suppediten tur. amor enim hic mutuus ex magistri quoque
Ioan.13.d sponsiōe ipsis inerat: ex eo q̄ dixerat (in hoc co-

gnoscent omnes uos meos esse discipulos, si charitatem inter uos habueritis.) iccirco fiebat, vt vnusquisque proximum tanq̄ seipsum esse existimans, nihil ex ijs quæ haberet, sibi priuatim reseruaret, sed in communem vsum omnia exponeret. De motu autem & quassatione loci illud quoq; intelligi potest, q̄ terræ motus ille contigerit, vt sicut infideles & minantes terrefaceret, ita animaret & in alacritatem apostolos induceret: quippe cū in principio necessaria quoq; huiusmodi signa ad confirmandos eos essent.

Et magna potestate apostoli resurrectionis Domini Iesu testimonium reddebant. gratiaq; magna erat apud omnes ipsos: quippe cum neq; indigus quispiam inter ipsos esset.

Cū inquit (reddebāt) quasi recepisse ipsos aliquid ostendit: & quasi de debito loquitur. ex signis enim & prodigijs diuinam virtutem ac potentiam esse eum qui resurrexerat ex mortuis, manifestabāt. ex mutuo vero amore magna gratia inter ipsos existebat. cum enim aliquid proprij sibi vendicaret nemo, efficiebatur, vt nullus inter ipsos indigeret: id qđ ad eius imitationem proculdubio factum videtur, de quo dictum est. (aperis tu manum tuam, & reples omne animal benedictione.) Psal.144.d

Quicunq; enim possessores erant agrorum & domorum, uendentes afferebant precia eorum quæ uendebant, & ad pedes apostolorum statuebant. distribue

batur autem singulis, prout unicuiq; opus erat.

Quòd ad pedes apostolorum precia statuebant, & non ad manus, multum honorem, multamq; reuerentiam eorum qui ea adducebant, significat. ob idque non in manus ea tradebant, vt dominos eos & dispensatores facere viderentur: vtpote qui ex communibus cellis, & non ex priuatis per manus expenderent. Præterea hoc q̃ ad pedes hæc apponebantur, sicut venerationem ipsis afferebat, ita inopiam eorum qui alebãtur, vituperio vindicabat: tanq̃ enim ex communi promptuario distribuebant.

Ioses uero cognominatus ab apostolis Barnabas, hoc est filius consolationis, leuita, Cyprius genere, cũ haberet agrum eo uendito pecuniam attulit, & ad pedes apostolorum posuit.

Prius commemorat eum qui recte se gesserat, id est Iosen, ad maiorem Ananiæ redargutionẽ: q̃ cum tot essent qui ea facerent, & tanta signa, & tanta gratia inter eos, nullius exemplum fuerit sequutus. Iosæ autem Barnabas cognomentũ ab apostolis in virtutis misericordis testimoniũ impositum fuit. is cum esset leuita, Cyprius genere erat: quia lex iã soluebatur, & ex Iudæa quocũque volebat quispiam, habitatum migrabat. Barnabas vero ex Iudæa lingua in latinam explicatum, filium consolationis, & misericordiæ significat. Estq; hæc narratiõis de Ananię & Sapphiræ pernicioso facto quædam quasi præparatio. nam hic quoq; cum ad imitationẽ Iosę agrũ

vendidisset, neq; postea fine sic vt principio corresponderet, vsus fuisset, imprudenter sibi perniciem attulit.

De Anania & Sapphira ob defraudationem precij agri a Petro morte mulctatis: de apostolis in carcerẽ coniectis, & ab Angelo nocte eductis ad prædicandum Iesum: vbi rursus eos captos in concilio pontificum Gamaliel exemplis adductis dimittendos hortatur, & flagris cæsi dimittuntur. Cap. V.

VIR autẽ quidã nomine Ananias cũ Sapphira uxore sua possessionẽ uẽdidit, et fraudauit de precio conscia etiam uxore sua. & cum attulisset partem quandam ad pedes apostolorum posuit.

Omnino enim Satanico furore plenus erat is qui cum propria incitatione & nõ ex necessitate & vi Christum elegisset, statim vbi incepit, feruidam hanc ad bonum motionem refrigerauit, & rem totam perdidit. Tria autem hic simul signa existunt: occultorum cognitio: in meditationem animi terroris incussio: & post hæc occisio ex mandato.

Petrus uero dixit: Anania, cur impleuit Satanas cor tuum, ut spiritum sanctum falleres, & de precio agri defraudares? nonne manens tibi permanebat, & uenditus in potestate tua erat? quidnam rem hanc in cor tuum induxisti? non mentitus es hominibus, sed Deo. At cũ audiret hæc uerba Ananias cecidit, et exanimatus est, & timor multus in omnes qui audiebãt, est exortus. Surgentes autem Iuuenes composuerunt

ipsum, & cum extulissent sepelierunt.

Anania cur impleuit &c.) nũ, inquit, inuitos vos trahimus? vt quod sponte a vobis in Dei oblationem dedicatum fuerit, rursus in vestros vsus absumatis? id qđ proculdubio sacrilegium est. vnde etiam sacrilegorum pœna affecti sunt: quæ est mors. Nam cum inquit (exanimatus est) id est ἐξέψυξεν, quod refrixit, significat, et aruit, mortuum esse ostendit, vitali prorsus humore priuatum. nam contrà ζωὸς viuus apud veteres dicitur, quod humidum significat.

Quasi trium horarum spatium interceßit, et uxor eius facti ignara ingressa est. Petrus autem ei respondit. Dic mihi, tãti ne agrum uendidisti? ipsa uero ait, profectò tanti. at Petrus ad ipsam dixit. quid inter uos conuenit, ut spiritum Domini tentaretis? ecce pedes eorum qui uirum tuum sepelierunt ad fores, & efferent te.

Animaduerte Petrum minime eã vocare, sed expectare, vt ipsa quando vult, adueniat, ea causa vt & pœnitendi et non impudenter ingredien di copiam ei faceret. Accessit autem eorum quæ viro suo contigerant, ignara, propterea qꝺ enunciare ea ipsi timore & veneratiõe magistri nemo audebat. nam horarum trium spatium vt in multos factum id diuulgaretur, satis esse poterat: sed timor videlicet coercebat, hæc enim etiam euangelista Lucas admirãs, vtraq; hæc posuit & horarum trium spatium, & vxoris ignorationem.

Cum vero Petrus interroget quanti agrum vendidissent, ipsi venię prębet occasionem: quasi nõ in ipsius sed in mariti potestate vẽdere & defraudare situm fuerit. at vbi cum viri fraude consentientem eam deprehẽdit, simili pœna quoq; eam mulctat: quippe cum diuinarum rerum contemptus mansuetum etiam atq; ira vacuum in iram incendere consueuerit. confirmatio huiusce rei ex Moyse etiam peti potest: qui cũ esset mansue Num.15.d
tissimus, lignantem tamen in sabbato lapidandũ esse censuit. & tamen illic mandati violatio in officijs exequendis conspiciebatur: hic sacrilegiũ cummissum est. Deo enim dedicata ad pauperũ alimoniam ipsi in suos superuacuos vsus expendebant. nam necessitati satisfacere poterant, si ex ijs quæ in communi cella reposita fuerãt, pro indigẽtia sibi sumpsissent. Aduerte item q̃ vehemẽter aduersus domesticos & suos inuehantur. non enim volunt, vt qui semel spirituali gratia digni habiti sunt, & conuersationem cum ipsis sunt consequuti, fures & sacrilegi esse deprehendant. in alienos vero punitione non vtuntur: ne videãtur etiam nolentes homines terrore pœnæ cogere, vt ad fidem accedant. Atenim si Satanas cor Ananiæ impleuerat, totũq; opus perpetrauerat, cur in Ananiam tam seuere animaduertendum fuerat? non temere id factum est, sed iuste: quippe cum ipse ad ita suscipiẽdum Satanam idoneũ se prębstiterit.

Cecidit q; ea ad pedes ipsius, & exanimata est. ingressi uero iuuenes mortuã ipsam inuẽtam extulerũt,

& apud uirum ſuum ſepelierunt. timorq; in totam eccleſiam, & in omnes qui hæc audiebant, magnus exortus eſt.

Quo modo apud pedes eius expirauit? ppterea q̃ prope ipſum ſtabat. Petrus enim ipſam iuxta ſe conſtituerat, vt ſi vellet pœnitẽtiam agere & confiteri, non erubeſceret, neq; ob alios audientes deterreri poſſet. Terror autem hic a ſapiẽtiſſimo Petro contra peccantes incuſſus non temere eſt, ſed ex doctrina præcognitiõis, qua multa hominum peccata pręſanari cõſueuerunt. Nã cum tunc Euangelĩ ſemina iacere incepiſſent, ſtatim vbi internaſcentia zizania inſpexerunt, ea ſapienter extirparunt. ſic Moyſes in exordĩs legis eum qui uel leui peccato eam uiolauerat, lapidari iuſſit, ita Deum pręcepiſſe aſſerens. Idem in primis parentibus uidere licet, qui ob ligni gu ſtatum fuerunt condemnati. Dum enim peſtilẽs flagellatur, deſipiens uerſutior efficitur: ut ſacrũ illud prouerbium eſt. ita in his quoq; ſuppliciũ præſentibus & uidentibus ea quæ fiebant, in lucrum ceſſit. Nam quamuis alia quoq; ſigna præceſſiſſent, tantus tamẽ terror animos eorum non inuaſerat. ita cognoſcitur Dominus iudicia faciens. in operibus enim manuum ſuarum peccatore comprehenſo fit, ut ex animaduerſione cõtra illum ſalutaris alĩs timor incutiatur. id qđ etiam in Ozæ pœna contigit. eius ſiquidem punitio pleriſq; alĩs formidinẽ attulit: ut quæ Deo eſſent conſecrata, prophanorum manibus intacta conſeruarentur. Aduertẽdum autem hinc eſt,

Num.15.d

Gen.3.c

Pro.19.d

Pſal.9.c

2.Re.6.b
1.Par.13.c

ex mortuorum Ananiæ & uxoris eius elatione ab ĩſdem pollinctoribus facta, contemni iam legem. alioquĩ enim q̃ cadauer Ananiæ attigerãt, immundi uſq; ad ueſperam permanſiſſent. ſed illi ipſi nunc uxori quoq; ſepeliendæ uacarunt. Leui.11.f

Per manus autem apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in populo. erantq; unanimiter omnes in porticu Salomonis. ex reliquis autem adhærere ipſis audebat nemo. ſed magnificabat eos populus. magiſq; credentes Domino adiungebantur, multitudines uirorum & mulierum. ita ut per plateas exponerent infirmos, eoſq; in lectis, et grabatis collocarent, ut uel umbra ipſa tranſeuntis Petri aliquem illorum obumbraret. multitudo item uicinarum urbium in Hieruſalem conueniebat: infirmoſq; afferebant, & eos qui ab immundis ſpiritibus uexabantur: qui quidem omnes curabantur.

Vide quo modo apoſtolorum vita ex triſtitię & lætitiæ uiciſſitudine contexebatur. triſtitia primum ex aſſumptione orta eſt, deinde ex aduẽtu ſpiritus ſucceſſit alacritas: iterum ob irridentes mæror, ob fideles & ſignum lætitia: rurſus animi demiſſio ex comprehenſione contigit, poſtea ex defenſione & reſponſione alacritas: rurſus nunc ex ſignis & ſplendore fiducia, ex pontificis & comprehẽdẽtium inuaſione timor inceſſit. In ueteribus quoq; quicũq; ex Deo uitam traduxere, idem reperire quiſpiam poſſet. Ne mireris, inq;, quo pacto proprĩs domibus relictis in templo

in porticu Salomonis degere permittebantur. multitudine enim miraculorum quæ ab ipsis fiebant, omnibus erant formidabiles. hoc enim significat cum inquit (p manus apostolorum fiebant signa & prodigia multa in populo) & statim subiungit, (ex reliquis uero adhærere ipsis audebat nemo.) id est ne appropinquare quidem ipsis quispiam audebat. sed magnificabat ipsos populus. quis? Iudæorum. quosnam? apostolos. sed qualis hæc magnificatio fuit? q̄ p̄ter q̄ q̄ ad fidem Christi accedebant, & augebatur numerus, infirmos quoq; & ęgrotantes in uias & plateas in lectis et grabatis exportabant, ut uel ex umbra trāseūtis Petri sanitatē conseq̄rent: id q̄d in Christo non fiebat. cæterum hoc quoque eius ipsius opus erat qui promiserat, & dixerat: qui credit in me opera quæ ego facio, ipse etiam
Ioā.14.b faciet: & maiora quoque his faciet. quare hoc quoq; à Christo qui ita ꝓmiserat, apostolis eueniebat, ex ijs qui credebant, ex ijs qui curabant, ex ijs item qui puniebantur, ut Ananias. nam licet etiam ipsi apostoli modeste se gerentes miracula hæc in magistrum referrent, quæ in nomine eius efficiebant: uita tamen ipsorum & uirtus apostolica satis idonea erat, ut ijs qui ita uiuere proposuissent, mirabilium hanc factorum gloriam exhiberet.

Cum surrexisset autem pontifex & omnes qui cū eo erant, quæ erat Sadducæorum secta, zelo repleti sunt: manusq; in apostolos iniecerunt: atq; eos in publica custodia posuerunt. Angelus uero Domini per noctem

ctem apertis custodiæ foribus, ipsisq; eductis dixit: ite & stantes in templo loquimini populo omnia uerba uitæ huius. qd cum audiuissent, ingressi sub diluculū in templum sunt, & docebant. Cum uero pontifex aduenisset & qui cum ipso erant, concilium conuocarūt, et totum seniorum ordinem filiorum Israel: miserūtq; in carcerem, ut adducerentur. ministri autem eò profecti ipsos in custodia non inuenerunt. & reuersi renunciarunt, dicentes: carcerem quidem cum omni diligentia conclusum inuenimus, & custodes extra ad fores stantes, aperto tamen eo intus neminem offendimus. Vbi hæc uerba audiuerunt & sacerdos & dux templi & pontifices, ambigebant de ipsis, quid nam id esset. accedens autem quidam ipsis annunciauit, ecce inquiens, uiri quos in custodia posuistis, in templo stant, & docent populum. tunc abijt dux cum ministris, & adduxit ipsos, non tamen cum ui.

Cum hæc ab Apostolis fierent, quibus multitudo ad prædicationem accedebat, & fideliū turba quotidiano incremento mari per q̄ similis iā cōstituebatur, cum surrexisset, inquit, pontifex: id est cum excitatus esset, & motus ob ea quæ fiebant, vehementius in ipsos inuadit: a Sadducæis maxime inhumanius incēsus, atq; inflammatus: eo q̄ sibi inuisa resurrectione apostolos omnia efficere conspiciebant. nam cum Christum resurrexisse illi prædicarent, in fidem resurrectionis nomine eius qui resurrexerat, miracula facere cōspiciebant: id quod procul dubio nō euenisset,

si falsa ipsa res extitisset. Quocirca ita efferati, atq; ad cędem apostolorum incitati custodię vinculis eos tradiderũt, neq; statim in iudicium adduxerunt, versute id studẽtes vt terrore carceris occasionem mutandæ sententiæ eis exhiberent. Atq; hi quidem in hunc modum vafre consulebant: at Deus mora illa carceris versute ab illis procurata illos frustra dolose agere conuicit, & apostolos eductione per angelũ ministrata magis confirmauit: & quæ oporteret, & quo modo perseuerando operari commonefecit. ignoratio vero angelici subsidij scelestos opprimebat, quo tempore non misericordia ducti & clementia: quo pacto enim? qui serpentibus ęquius erant indignati? sed dolose in iudicium adducere apostolos distulerant. latuit igitur ipsos angelicum auxilium, vt cum consilium suum exequi se primũ comprehendendo, carcericq; intrudendo apostolos opinarentur, deinde cogitationibus omnibus suis diuina protectione frustrati fuissent, consilij inopia atq; hæsitatione erudirentur, diuinamque esse potentiam existimarent. eductio enim e carcere per angelum sicut apostolis in consolationem, ita Iudęis in vtilitatem cedebat: latuit siquidem eos, vt videlicet quemadmodum dixi, in dubitatione prius rei constituti, si vellent, etiam ipsi erudirentur, diuinaq; esse id potentia factum intelligerent. at ipsi adeo fuerũt debilitati atque excęcati, vt ne odiosissimos quidem sibi apostolos per vim e templo extrahere auderent. ex quo facile patere potest, plebeam turbam Iudæis principibus longe fuisse prudentiorem: cum imperiti

citius, q̃ legis consulti diuinis signis ad salutem accederent.

Timebant enim populum ne lapidarentur. cum uero ipsos adduxissent, in concilio statuerunt. interrogauitq; ipsos pontifex, dicens.

O stupiditatem: timore turbæ, id qđ tamen obscurum erat, modestius se gerũt. Dei vero qui ita aperte e manibus ipsorum semper eos tanq̃ pullos suos eripiebat, ne rationem quidem vllam habent.

Nonne præcipiendo præcepimus uobis, ne in nomine hoc doceretis? & ecce implestis Hierusalem doctrina uestra.

Legis periti cum certa & indubitata Dei signa viderent, impudenter ac stulte interrogant, nonne pręcipiendo pręcepimus vobis ne loqueremini? si pręcipiendo tantum, quò custodia, & multa illa coercendi diligẽtia spectabat, qua carceri custodes assidere constitueratis? sed horum nimirum non recordantur. id qđ ad angelici miraculi occultationem facit. Cæterum ita dicendum ipsis est: si ad præceptum vestrum consensus quoq; noster accessit, cõsentaneæ hæ disquisitiones vestrę, examinationesque sunt: sin vero nihil ex his est, stultum est criminari q̃ pręceptũ vestrum violauerimus.

Vultisque sanguinem hominis istius supra nos inducere.

Adhuc merus homo ipsis esse videbatur. hoc autem dicunt, vt necessariam fuisse eam præceptionem, salutisque suę causa factam ostendant: vtque contra ipsos multitudinem exasperent.

Respondens autem Petrus & apostoli dixerunt: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Deus patrum nostrorum excitauit Iesum, quem uos suspensum in ligno interemistis. hunc Deus principem & saluatorem dextera sua exaltauit.

Vide quanta dum examinãtur, mansuetudine vtantur. non audacter respondent: sed cum sint magistri, non irascuntur, sed miserentur: vtque ab errore ipsos amoueant, student. non enim diuinis signis elati quemadmodum ipsi contumeliose inuehuntur, monentque statim, ne aduersus stimulos recalcitrent: sed primum Dei obedientiam hominum præceptis esse anteponẽdam asserunt, latenter ita eos coarguentes, ꝙ ea contemnerent quæ per ipsos diuinitus efficiebantur. deinde quem merum hominem illi vocauerant, eũ aiunt & saluatorem et vitæ auctorem a Deo cõstitutum, ita vt a mortuis eum suscitarit. nam propriæ potentiæ hoc ascribere, nondum opportunum esse videbatur, ne Deo aduersari eo nomine existimarentur. huncque a Deo ita fuisse exaltatum quem illi crucis nece occiderant. ob qd quantam pœnam mereantur, quasi a profundo sopore eos excitans cogitandum suggerit.

Vt det pœnitentiam Israel & remissionem peccatorum.

Cum sermonem de cruce ita exaggerasset, quasi indignum venia scelus ijs qui eadem contra Christum rabie vsi fuerant, remque admodũ grauasset: nunc tanti oneris veluti subleuationẽ parans, inquit: Sed hic tamen a vobis ignominia affectus, & a Deo exaltatus spiritum penitentiæ Israeli & remissionem peccatorũ dedit: nihilque eum per crucem illatæ contumeliæ auertere a vobis possint: propterea ꝙ qui a Deo est exaltatus, iniuriarum non reminiscitur, ignoscitque illis qui ipsum per obediẽtiam et fidem agnoscũt. Qua in re animaduertendum est quo modo & factis & verbis admoniti & castigati Iudæi, attendere noluerũt: vt merito iusta eorum condẽnatio sit. factis quidem erudiebat ipsos Deus cũ capi apostolos, in carceremque intrudi permisit, & mirabiliter liberauit: verbis, cum facit vt apostoli cum fiducia loquantur, iudæosque omnes in sermonibus instruant. sed alij quidem compũcti sunt, & persuasi ad apostolos accesserunt: põtifex vero & principes contra apostolos frendebant, & clamabant: propterea ꝙ rabies qua cõtra Christum vsi fuerant, apertius deinceps, vtpote non iuste sed ex inuidia contracta procedebat, & in similem cædem ipsos instigabat. vnde etiam inquiunt, vultis sanguinem hominis istius supra nos inducere: sanguinem cædem appellantes: quemadmodum etiam Deus ad Cain, vox sanguinis fratris tui clamat ad me, id est cædes. Gen. 4.b Hæc autem dicebant Iudæi, quasi salutis suæ cautione: vtque multitudinem contra apostolos incitarent.

Nosq; horum eius uerborum testes sumus.

Quorum & remissionem, & pœnitentiam videlicet promiserit. resurrectio enim erat iam cõcessa.

Et spiritus etiam sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus ei. Illi uero cum hæc audiuissent, frendebant, & interficere ipsos cogitabant.

Quòd remissionem det, & nos testificamur, & spiritus etiam sanctus: qui sanè non accessisset, nisi prius peccata fuissent soluta. Sed humilitatem huiusmodi oratio præ se fert. nonenim dixit, nobis præfinite qui ipsum amamus, sed omnibus, communem rem faciens, qui obediunt ipsi: vt, si ipsi etiam obediuerint, licet scelus circa crucem commiserint, non futuros esse tamen doni eius expertes ostendat.

At surgens quidam in concilio Pharisæus Gamaliel nomine, legis magister, qui in honore erat apud uniuersum populum, iussit parumper foras apostolos educi: dixitq; ad ipsos. Viri Israelitæ attendite uobis super hominibus istis, quid acturi sitis. ante enim hos dies surrexit Theudas dicens se esse aliquem: cui numerus uirorum circiter quadringẽtorum adhæserat. qui occisus est: & omnes quicũq; ei crediderant, dissoluti, & in nihilum redacti sunt.

Hic Gamaliel Pauli magister fuit: quem, cum esset doctor & in legis iudicijs optime consultus, non credere in Christum, licet non integre, non

multæ prudentiæ est existimare. ex verbis siquidem eius manifestum est: quæ sapientia ipsum præstare satis declarant. Quin ex factis quoque ipsis idem patet. nam cum prius educi e concilio Apostolos iusserit, præterq; & terrorem ipsis incusserit, suspiciõe etiam omni se ipsum liberauit: ne verba ea in gratiam consentientium facere videretur. iccirco neque multa vehementia vtitur: sed quasi ad ira exturbatos, attendite, inquit, vobis quid acturi sitis: id est ne ita temere feramini. deinde exempla quorundam qui imprudenter & inutiliter in talibus rebus se gesserũt, pducit: Theudã, & Iudam Galilæum: qui in felicem exitum minime euaserunt. exempla autem non vetera sunt, sed recentia: quorum multi inspecto res extiterant.

Post hunc surrexit Iudas Galilæus in diebus professionis: & auertit populum multum post se. & ipse perijt. & omnes quicũq; ipsi paruerant, dissipati sunt.

Videntur Galilæi temporibus Pilati seditionibus laborasse Iudæ Galilæi sequuti dogma. id autem erat, vt in vltimis libris antiquitatum Iudaicarum testatur Iosephus, qd' ob pietatem speciẽ non mediocris constantiæ ac rigiditatis præ se ferre videbatur. Dominum enim, ne quantum ad nomen quidem attinet, appellãdum esse quẽpiam asserebat, neque honoris, neque humanitatis & obsequij alicuius causa: vt regi quoque hoc nomen attribuendum negaret: atque id ita pertinaciter, vt multi ex ipsis quia Cæsarem

dominum appellare nolebant, grauissimas pœnas subierint. Iidem hi docebant alia sacrificia, præter instituta in lege Moysis offerri Deo non debere: ac propterea ea quæ a seniorum populi consessu pro salute regis & Romanorum gente tradita fuerant, fieri vetabant. ob hæc verisimile est Pilatum contra Galilæos fuisse indignatum: ac iussisse vt super ipsa sacrificia quæ ex lege videbantur offerri, ipsi etiam mactarentur. vt tunc cum ipsis sacrificijs quæ offerebantur, offerentiũ quoque sanguis intermixtus fuerit. Quẽadmodum in Lucæ Euangelio habetur.

Luc.13.a

Et nunc dico uobis, absistite ab hominibus istis, & relinquite ipsos. quoniam si ex hominibus fuerit cõsilium aut opus hoc, dissoluetur: sin ex Deo, dissoluere ipsum non poteritis. ne forte etiam Deo repugnantes esse deprehendamini. Illi autem obtemperarunt ipsi, & cum aduocassent apostolos, cæsis eis præceperunt, ne in nomine Iesu loquerentur: & absoluerunt ipsos. atque illi quidem ibant gaudentes a facie concilij, q pro nomine Iesu digni habiti fuerant, ut ignominia afficerentur. omnique die & in templo & in domo docere, & euangelizare Iesum Christum non cessabant.

Exempla nota & recentia attulit: vt & aggressio huiusmodi atque innouatio caueatur, ne in euentum simílem incidant: & his ad causam suam accommodatis ab impugnatione contra Apostolos auditores remoueat. Ne forte, inquit,

si ad finem qui impediri nequeat, hæc tendant, habeantq; Deum adiutorem, in pugnam aduersus Deum deueniamus: atq; ita non contra illos, sed contra nos ipsos armemur. quippe cum qui contra id qđ Deo visum fuerit, inferre vim conatur, contra se ipsum id faciat, seque ipsum demum feriat. Nam si humana incitatione nituntur, contra ipsos indignari superuacuum est: cũ principium statim subsequutura dissipatio sit, vt ex exemplis collegi potest. Non dixit autem aperte Apostolorum consilium aut ex Deo, aut ex hominibus esse: eo q; si ex Deo dixisset, confestim restitissent, atq; aduersati essent: si ex hominibus, promptos atq; alacres contra Apostolos eos reddidisset. iccirco oratione sapienter dispositã expectandum euentum esse inquit: neq; ita temere contra rem ignotam irruendum. qui enim contra consilium Dei pugnat, non illud, sed se ipsum disperdit. Nam si humanum est, inquit, qđ suscipiendę molestiæ vobis sunt: per se ipsum. n. dilabetur. si autem est diuinum, neq; cum molestijs & laboribus omnibus dissoluere ipsum poteritis. ALITER. Non dixit ex Deo esse opus hoc, neq; humanum. nam si ex Deo esse asseruisset, illico restitissent illi: si ex hominibus, audaciores eos cõtra apostolos effecisset. iccirco hominis prudentiam specta, q; moderate orationem instituerit. expectandum euentum iubet. præterea non dixit, ex Deo esse cognoscetis, si dissoluere non poteritis: sed, si ex Deo est, non dissoluetur. illud enim sæuitiæ illorum ascriberetur: hoc Dei potẽtiæ attribuitur. Obtemperaue-

Universidad de Deusto
Biblioteca

runt autem eo q̄ non coram Apostolis sed semotis illis hæc dixit: tum quia cum ipsis consentire existimabatur, vereriq̄ finem rei, quo nam euaderet: sicut ipsis etiam consulebat. Accessit postea sermonis suauitas vnà cum iustitia, quæ ad persuasionem magnam vim habuit. Sed si obtēperarunt, et persuasi sunt, quo modo verberibus eos affecerunt? obtemperarunt quidem eatenus, vt a cæde abstinerent: ad eam enim furiose inhiabant. flagellarunt tamen ne temere & contra insontes incitati fuisse viderentur. ac profectò, q̄ impetus ipsorum resolutus ac retusus fuerit, virtuti consultoris: q̄ flagris ceciderint, insito ipsorum furori attribuēdum est. Veruntamen hac in re q̄ in melius ꝓfecerint apostoli, inde potes cōspicere, q̄ afflictationibus quibus illi eos opprimendos esse sperauerant, magis illecti sunt atq̄ incitati, vt aperte atq̄ interrite ad docendum ꝓdirent: neq̄ in abdito, sed in templo rursus vnde fuerant comprehensi, et vbicūq̄ alibi Christum denunciarent: atq̄ ita vanum eorum qui contumeliam in se intulerant, studium auditoribus ostentarent.

De creatione septem diaconorum, & Iudæorum in Stephanum calumniatione. Cap. VI.

IN diebus autem his cum augeretur multitudo discipulorum, orta est susurratio græcanicorū aduersus Hebræos, q̄ in ministerio quotidiano uiduæ ipsorum negligerentur. conuocata igitur multitudine discipulorum duodecim apostoli dixerunt: non æquum

est, ut nos relicto uerbo Dei mensis ministremus.

Non in ijsdem diebus, sed in quibusdam sequē tibus. more enim scribētium vtitur, cum ad principium alterius narrationis transituri sunt. Græcanicos autem id est ἑλληνιστὰς, non qui religione erant Græci, appellat, sed qui Græca voce loquebantur: quasi Græcissantes, dixeris. Cum vero susurrationem ortam inquit, aliud tentationis genus ostendit, non ab externis, sed a domesticis illatæ. atque in hoc apostolorum comprobationem videre licet, qui cum vndecūque & ab externis & ab internis appeterentur, vndiq̄ victoriam reportabant. Nam cum duodecim ipsi multitudinem aduocassent, eos videlicet in quos præsidentiæ huius vtilitas deuentura erat, electionem ipsis committunt. indignum ducētes si ipsi posthabita Dei prædicatione circa mensas exhibendas occuparentur. Vnde electos quosdam ministros creauerunt, id est diaconos: non illos quidem in gradu eo constitutos qui nunc est in ecclesiis: sed eo munere, vt accurate & pupillis & viduis & non negligenter alimēta distribuerēt: ac pupillis & viduis præcipue, ob quas susurratio exorta maxime fuerat. ministerium autem. i. διακονίαν vocat eleemosynā, id est misericordē erogationem, quæ & factentes sanat, & accipientibus honorem præstat. Potest etiam per ministerium quam διακονίαν dicit, publica suppeditatio intelligi. Diaconium siquidē publicum prōptuarium appellare Græci solent: eo q̄ eò vnusquisq̄ διακονούμενος, i. festinans ac celeriter acce-

dere consueuerit: atq; illuc ea inferre, q̃ ad vsum publicum comparantur. Quòd vero viduæ negligerentur, id non ex vitio, sed ex negligentia multitudinis eueniebat. vnde vbi rei huic cura adhibita fuit, omnis querela sublata est.

Dispicite igitur fratres, uiros ex uobis testimonio comprobatos septem, spiritu sancto & sapientia plenos, quos muneri huic præficiamus. nos autem obsecrationi & ministerio uerbi perseueranter incumbemus. placuitq; sermo coram omni multitudine. & elegerũt Stephanum uirum plenum fide & spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenan, & Nicolaum proselytum Antiochenum: quos ante Apostolos constituerunt. & precibus factis manus ipsis imposuerunt. Et Verbum Dei crescebat. & numerus discipulorum in Hierusalem ualde augebatur. & multa sacerdotum turba fidei obediebat.

Repletos spiritu sancto & sapientia esse eos q̃ eligendi sint, commissio hæc apostolorum vult: non enim dissipantium esse hoc munus videtur: neq; est cuiuslibet, viduarum & pupillorum cõuicia interdum ferre. nam licet fur quispiam non sit, si tamen vel deses atque eiusmodi fuerit, vt multa per negligentiam perdat: vel iracundus, vt qualibet vel leui causa indignetur, neque nugas vulgi patienter toleret, id qd̃ maximum sapientiæ indicium est: nulla præsidentiæ huius vtilitas existet. Crescebat autem verbum Dei inquit,

talem ob rem, quanta eleemosynæ vis sit, ostendens, vt ex collegio sacerdotum etiam nonnullos ad fidem adduxerit.

Stephanus autem plenus fide & potentia prodigia & signa magna faciebat in populo.

Cum septẽ horum creatio communis fuisset, is quia ipse aptior erat, maiorem gratiam ex electione consequutus est. nam cum ante creationẽ prodigia non faceret, vtpote nondum manifestus: vbi per creationem notus est effectus, tunc donum qd̃ ex creatione collatum ipsi fuit, manifestauit. vt planum esse omnibus posset, non solam gratiam sufficere, sed ad gratiæ incrementum electione quoque & declaratione esse opus: atque id pro excipientium aptitudinis diuersitate.

Surrexerunt autem quidam, qui erant e synagoga quæ dicebatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant e Cicilia & Asia: qui cum disputarent cum Stephano, resistere nõ poterant sapientiæ, & spiritui, quo loquebatur. tunc summiserunt uiros qui dicerent, se audiuisse eum uerba maledica loqui in Moysen, & Deum. concitarũtq; populum & seniores & scribas.

Surrectionem rursus iritationem, & incitationem Iudæorum vocat non ex se tantummodo, verum etiam ex alia turba, quæ videlicet ad disputandum & cauillandum esset idonea, Libertinorum, & Alexandrensium, & Cyrenensium,

& Cilicum,& Asianorum.& sicut ex alia turba disputatio, ita quoque per alios accusatio subor natur : id qđ doloſorum & diffidentium hominum est . nam cum a Gamaliele inuehi contra apostolos prohibiti fuissent,nihilque eis crimini dare possent: Stephanum nunc calumnioſe inua dunt , leguleorum inquisitione & disputatione frustrati . ALITER. Libertinorum & Cyrenensium,et Alexandrensium) vtpote qui apud Hebræos in captioſis disputationibus principatum obtinerent. quorum diuerſe per singulas nationes habitantium in Hierusalem erant synagogæ.synagogas enim , id est cõgregationes et cõuentus,loca videlicet separata,atque ad lectionẽ legis Moysis destinata habebant ; quippe cum multi adorandi causa cum in Hierusalem venitarent,prẽcipue ad Pascha , qđ extra Hierusalẽ celebrare non licebat,ibi commorarentur . ne.n. a patria discedere frequenter cogerẽrur, illic assidebant. Libertinos autem Romanorum manumissos vocabant . Cum igitur Stephanus cum ipsis eo ꝙ indurati erant corde , colloquendum sibi esse non censeret:ipsi propria temeritate freti,ad disputandum cum eo se ingerebant : cũ eo autem & non cum alio,partim ob inuidiam , eo ꝙ signa ab eo efficiebantur : vt si aliquo modo in hæsitationem eum induxissent , dedecus ipsi conciliarent: quippe qui eorum quæ prædicaret, esset ignarus: partim vt disputationis distractione efficeretur,ne ei ad signa facienda ocium suppeteret. ob hæc igitur cum eum inuasissent, vellentque versute ad dicendum aliquid contra legem inducere , id qđ præcipue studebant , ipse versutia ipsorum præoccupata vehementius à principio contentionem aggressus & potentia spiritus qui in ipso erat,& sapientia, eos in silentium compulit . tum ad ea etiam quæ ipsi volebant,deuenit , sed obscurius tamen , ac latenter, vt neque ea satis intelligere potuerint. Quo effectum est,vt postea latrocinabunde in eum impetum fecerint:& ipse apertius qđ cupiebant, ingereret. quid id erat? legis dissolutio sanè , et finis . id enim prius non explicabat , sed abstruse significabat , atque innuebat:nam si aperte dixisset,falsis testibus minime fuisset opus . id qđ sicut ipsi desideratum finem , ita illis perniciem præparabat.

Et superuenientes corripuerunt ipsum,& in concilium duxerunt.

Vtique latronum more se gerunt. prius Christum cum sanguinarijs hominibus cum facibus & laternis & gladijs comprehendunt: postea Petrum & Ioannem de templo abstrahunt : nunc Stephanum de magistrali loco correptũ ad cõcilium iudicandum abducunt.

Statueruntq; testes falsos qui dicerent , homo iste uerba maledica contra locum sanctum hunc & legem loqui non cessat.ipsum enim audiuimus dicentem, Iesum hunc Nazarenum locum hũc esse dissoluturum, & instituta quæ tradidit nobis Moyses, immutaturum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Subiecerunt ac subornarunt viros qui dicerẽt, se audiuisse eum verba maledica loqui in Moysen & Deum. quæ verba erant hæc? Iesum videlicet Nazarenũ locum hunc esse dissoluturum. atqui dixerat hoc quidem Stephanus, licet non ita aperte. quo pacto igitur supposititi hi & falsi testes sunt existimandi? quia nimirum non sicut audiuerant, ita nugabantur. Quoniam ergo aliter audiuerant, aliter vero ipsi in ijs referendis progressi fuerant, merito falsi testes appellãtur.

Matt.26.f Ioan.2.d

Quemadmodum de Christo falsum testimoniũ fuit, q templum posset dissoluere, non enim dixit, soluam, sed, soluite, illis non sibi dissolutionẽ ascribens. ita nunc quoque falsi sunt, qui Stephanum asserunt dissolutionem legis & loci Nazareno attribuisse, quasi homo Nazarenus manu sua, & non Deus Romano exercitu id esset facturus. nam Moysis instituta Deus ipse manifeste, & per discipulos suos & Apostolos in melius immutauit. Nazarenum autem per exprobrationem dictum est. nusq enim Stephanus Christũ Nazarenum appellauit, sed ipsi Hebræorũ principes. Nam Stephanus venerabilem ipsum Christum semper modo iustum a prophetis denunciatum, modo semper Deo assistẽtem vocat: vt ex proposita eius oratione pspicuum est, qua cum a misera hac vita absolutus recessit. Locum hũc esse dissoluturum) multa enim reuerẽtia ac cura templi ipsis erat, vtpote qui incolendum ibi sibi esse censerent. duplex autem accusatio est, q & instituta esset immutaturus, & alia introducturus. prętẽditur vero vbiq Moyses, propterea q non admodum Dei institutionum, sicut Moysis rationem habebant. ita penitus ad solam vulgi famam viuebant.

Et cum intente in ipsum inspicerent omnes qui cõsidebant in concilio, faciem eius uiderunt, quasi faciẽ angeli.

Ita siquidem effectum est, vt qui in inferiore etiam gradu esset, gratiosus, & splendidus inspicientibus appareret. vt igitur illi apud quos dicturus erat, terreantur, terrifico faciei splendore ad attentionem orationi conciliandam animos eorum percellit.

De Stephani concione, in qua de testamento Dei ad Abrahã & de duodecim patriarchis, de fame & emptione frumẽti, & recognitione filiorum Iacob: de ortu Moysis et apparitione ipsi facta in monte Sina: de exitu ex Aegypto: de fabricatione vituli ænei vsq ad Salomonis tempora, & templi ædificationem: de lapidatione Stephani. Cap. VII.

ET dixit Pontifex, nunquid hæc ita se habent? Ipse uero ait: Viri fratres & patres audite.

Vide ipsum non ingerere se ad docendum, sed ab interrogantibus cogi: & posteaq superior & oratione fuit et signis, intolerandum ipsis fuisse. Falsa autem mercede subornatorum testificatio introducta est, ne contumeliosa res, atq insolens esse videretur: quippe cum Deum non timerent, sed ad hominum gloriam tantum spectarent. Sapiens autem re vera & prudentia plenum exordium est, nominum enim hac cognatione signi-

ficare vult, apud fratres & patres contumelio-
sum quid, & damnosum introducere, non esse sa
pientis: sed afferre qđ & gloriam & vtilitatem
comparare cõsueuit, illud vero esse hominis qui
et naturã, cognationemq; perficiat, et pro salute
eorum apud quos est sermo, eloquatur. sed apud
vos, inquit, nihil tale animaduertere licet. in cõ-
trarium enim eius qđ mihi fratrum & patrum
appellatio suggerit, vos quasi communis cogna
tionis oblitos ferri video: cum immensum odiũ
nostri efficiat, vt quæ etiam ad diuinam poten-
tiam spectant, male apud vos audiant. nam vt
alia omittam, hæc quæ per nos facta sunt, signa
& prodigia videtis, quæ vos quoq; ipsi non alia
q̃ diuina potestate absolui posse testificamini.
Cum hęc per fratrum & patrum appellationem
innuere Stephanum deprehenderimus, reliqua
quæ sequuntur consideremus: non temere illa q̃-
dem, sed multa cum diuina sapientia collocata.

Deus gloriæ patri nostro Abraham uisus est cum
esset in Mesopotamia prius q̃ inhabitasset in Char-
Gen.12.a *ran, ad ipsumq; dixit. Egredere e terra tua & e co-*
gnatione tua, & ueni in terram quam tibi ostendam.
Tunc egressus e terra Chaldeorum inhabitauit in
Charran. atq; inde ubi mortuus pater eius fuit, habita
tum traduxit in terram hanc, in qua uos habitatis. &
non dedit ipsi hæreditatem in ea, ne gressum quidem
pedis.

Vide etiam hic quo pacto a principio gloriã
ipsorum destruat, cum non templo, neq; ipsorũ

genti, sed soli Deo eam attribuat. nam cum in-
quit (Deus glorię) pro (Deus glorificatus) dictũ
est. Hic igitur glorificatus Deus cum ex ijs quæ
fieri nõ possunt, & sunt difficilia, facilia efficiat,
& obscuros claros reddat, nos quoq; simili mo-
do claros faciet. qui enim a seculo homines sapiẽ
tia gubernauit, ille ipse nunc quæ videntur his
fieri non posse, difficiliaq; esse, producere ad fa-
cilitatem voluit. vtq; hoc manifestetur, Abrahã
eiusq; historia in medium adducitur, qui non in
templo, neq; ex sacrificijs sed in Mesopotamia
Dei visione fuerat dignatus. Hęc autem exordi-
tur, vt iam dictum est, vt significet glorificatũ
Deum sicut in illis, ita i nobis quoq; posse effice
re, vt ex obscuritate in claritatem inducamur.
nam cum multi populi & reges Abraham ipsi et
semini eius insidias struerent, infestiq; essent, la-
befactati sunt omnes ac destructi: qui vero erat
humilior, in sublimiorem statum est prouectus.
Si igitur in his ita Deus gloriæ dispẽsatione sua
se gessit, considerandum est in nobis quoq; simi
lia esse euentura. ALITER. Vide quo mo
do a corporalibus, & a loco eos abducit, dum
Deo non loco gloriam attribuit. Ipse enim est
gloriæ fons, inquit, qui nõ indiget gloria vestra
quæ per templum exhibetur. Cæterum cum scri Gen.11.a
ptura dicat Tharran patrem Abraham egredi e
Chaldęorũ terra cœpisse, quo pacto Stephanus
nunc oraculum hunc Abraham ipsi ascribit? ad
qđ dicẽdum: Abraham quidem oraculum fuisse
datum: sed quia filij incitationi ex oraculo con-
tradicere vel pater nõ potuit, exemplo hoc Ste-

phanum vti ad exprobrandam eis inhobedientiam,& incredulitatem. Quo modo enim non conuincuntur esse contumaces & inobedientes, cum Tharra filij incitationi non fuerit refragatus: ipsi post signa multa diuinitus facta non modo non crediderint, verum etiam inuidia exagitati contra eos qui digni habiti fuerant, vt miraculorum gloria illustrarentur, cædem inimice intentent.

Et promisit daturum se ipsi eam in possessionem, Gen.13.c & semini ipsius post ipsum, cum non esset ipsi filius. loquutusque est ita Deus, semen eius in terra aliena inquilinum futurum, et in seruitutem redigendum, & affliggendum annos quadringentos. & gentem cui seruient, iudicabo ego, inquit Deus. & post hæc egredientur, & seruient mihi in loco hoc. Deditque ipsi circũ Gen.17.b cisionis testamentum. atque ita genuit Isaac, & eum Gen.21.a die octauo circuncidit: & Isaac Iacob, & Iacob duo Gen.25.c decim patriarchas. Et patriarchæ æmulatione prose- Gẽ.29.f.g quuti Ioseph uendiderunt in Aegyptum. Deusque erat 30.a.35.c cum ipso & ex omnibus oppressionibus eum eripuit. Gen.37.f deditque ei gratiam & sapientiam coram Pharaone Gen.41.e rege Aegypti. ita ut super Aegyptum & super totam domum suam præfectum eum constituerit. Venit autẽ fames in uniuersam terram Aegypti & Chanaan, & oppressio magna: & annonam non inueniebant patres Gen.42.a nostri. Cum audiuisset autem Iacob frumenta esse in Gen.45. Aegypto, eò misit patres nostros primum: & secundo

agnitus est Ioseph fratribus suis: & genus Ioseph Pharaoni manifestum factum est. Sed cum misisset Ioseph, patrem suum Iacob accersiuit, totamque cognationem in animabus septuaginta quinque. descenditque Iacob Gen.46.a in Aegyptum: defunctusque est & ipse & patres nos- 49.a stri: & translati sunt in Sychem, positique in monu- Gen.50.b mento, qđ precio argenti a filijs Emmor filij Sychem Abraham emerat. Vbi uero appropinquauit tempus promissionis qua iurauerat Deus Abraham, auctus Exod.1.a est populus, multiplicatusque est in Aegypto, quoad surrexit alius rex qui non nouerat Ioseph.

Ex multis in hac concione beatus Stephanus & suam erga Iudæos beneuolentiam,& illorum in se feritatem manifestat. nam cum tanq̃ ad fratres & patres intendit orationem, quid aliud his nominibus ostendit, q̃ se sicut cognationis dignitas postulat, erga ipsos se gerere: Iudæos vero parum huic attendentes, ob signa magis quæ per ipsum fiebant, suspiciose & maleuole contra eũ inferri? Vnde etiam Stephanus contra illorum innatam malignitatem liberius inuehi conspicitur. ostendit enim promissionem ad patres, ob quam gloriabantur, ante locum, ante circũcisionem, ante sacrificium, et templum fuisse factam: ipsosque hos neque digne circũcisionem, neque legem accepisse: sed terram solam solius obedientiæ mercedem fuisse: neque data circumcisione fuisse expletam promissionem: quippe cum figuræ tantummodo ea fuerint. Cõsidera vero, si pa-

ter Tharra non particeps fuit cum filio Abrahã peregrinationis a terra Chaldæorum, quia erat indignus, multo magis filij, etiam si multum in via processisse videantur. Atque Abraham quidem ita obediens fuit, vt & genus & patriam ex solo oraculo deseruerit: isti vero si in omnibus inobedientes esse deprehenduntur, quo modo in filios Abraham deputari debent? non enim vitalis constitutio, sed morum imitatio filios efficit: quippe cum quantum ad generationem spectat, monstra quoque quæ præter naturæ ordinem nascuntur, germanam nationem sibi vendicent. Cum igitur Stephanus in hunc modum et si nõ explicata oratione, concisi tamen ac contracti & breuiati verbi copiosa sententia progressus fuerit, atq; impudentiam istorum vsq; ad Christi passionem redarguerit, ea ab ipsis est passus, quæ malos coarguentem a malis pati verisimile est. ALITER. Et promisit daturum se ipsi. Historia Abraham hinc progreditur: quæ tota tolerantiam, ac perseuerantiam Patriarchæ in promissionum euentibus commemorans, Abraham & similes qui diuinas promissiones patienter sustinent, celebres & claros ostendit: contemptores vero & dissidentes similes præsentibus auditoribus: qui etiam ipsi eadẽ quę illi infortunia sine vlla cunctatione consequentur, dum quę sperant, e manibus subinde ipsis effluxerint: Cũ tamen omnia quæ illi egerunt, parua sint, si ad extremum Christi passionis facinus comparentur. Vnde etiam duræ ceruicis, & incircũcisi corde, & obturati auribus appellãtur, occisoresque

Gen. 11.d

Rom. 9.f

prophetarum, & ipsius Christi. id qđ sanè & perniciem, & extremam dispersionem ipsis afferret. Atque hæc sunt, quæ in hac huius diuina sapientia instructi Stephani concione ex contracto & abbreuiato verbo recondita consideranda sese nobis obtulerunt: quæ nostra humilitas pro studio eius puritatis quæ in nobis est, adepta intelligentia ita disposuit, principio finem connectens, in ipsoque verbo ex quo hoc quoque diuinitus scaturiuit flumen, acquiescens. Quaq; non ab re est, vt particulatim quoque nonnulla consideremus, quatenus assequi ingenio possumus. Non enim temere ipsius Abraham nepotumque eius historia ad corroborationem conciõnatis assumitur: sed vt & maiorum erga Deũ obedientia, & minorum ex asperitate morum inobedientia ostendatur. Primumque exemplũ ex Abraham adducitur, ꝙ quæ in diuinis ꝓmissionibus continentur, cum festinatione exigenda non sint. quandoquidem neque Abraham exitũ nepotum suorum ex Aegypto festinanter requisiuit, cum tamen ei fuisset manifestatum, ꝙ quadringentos annos multa cum afflictatione in seruitute ipsos esse detinendos: ac seruitute sanè nõ qualibet, sed intoleranda: quippe cum ipsis non vt seruis, sed vt hostibus abuterentur. Neque petit, vt tempus contrahatur, sed sola contentus est ad recreationem vindicta eius, qui se eos qui hostiliter nihil mali agentes opprimebant, iudicaturum promisit. expectare autem vt e Perside in Palæstinam promissiones explerentur, & nõ ob soli longinquitatem fieri non posse qđ promit-

Rom. 9.f

rebatur, existimare, totã rem potestati eius qui promiserat, attribuendo: illud vero quantæ erga Deum consultorem fiduciæ est? Ad hæc æmulatio fratrum erga Ioseph subsequitur, & ipsius mansuetudo, iniuriarumque obliuio: dum non modo non vlciscitur fratres cum posset, sed beneficijs insup afficit. Postremo eos redarguit qui sine vllo prætextu, sed palàm contra Christum & discipulos eius rabiose inuehuntur. ALITER. Post ea quæ de Abraham dicta sunt, ex oraculo nepotum eius sub Aegyptijs afflictationem declarat. cuius quasi compensatio quædam consolatoria est Aegyptiorum pernicies, quæ ab ipso Deo in mari rubro ipsis impendere significabatur. atque id ne inuasione molestiarum desperatio salutis oborta efficeret, vt in diffidentiã & incredulitatem delaberentur. Vide autem fidei ꝓmissarum rerum stabilimentum ac pignus. quod nam autem id est? circumcisio genitalium membrorum: id quod solis ipsis, non alijs qui passi id nõ fuerant, agnoscebatur. Circũcisionis autem signum id sibi vult. Prætegmen illud qđ auctoribus generis nostri in Paradiso inuidia auctoris omnium malorum serpentis subortum fuerat, ita vt ad gustationem ligni probabilior eius oratio, q̃ conditoris Dei iussio visa sit, detrahendum circũcisio ei mandat, qui ad Deum vitã suam transferendam censet: eorum detractionem faciendam significans quæ in lege Moysis ex generatione & carne instituta habentur. Adde ꝙ tempus Christi aduentus hoc prætendebat, quo vmbrosa omnia ac figuralia ad veritatem Euãgelij tranferuntur. Vnde eos qui ita transmutari non patiuntur, duriceruices & incircũcisos procedendo appellat: duriceruices, quantum ad spiritus sancti subiectionem spectat: incircumcisos corde & auribus, quantum ad id, ꝙ non tolerabant pro occasione conuenienter res ipsas respuere, atq; immutare.

Ipse genus nostrum cauillatus patres nostros afflixit, ita ut infantes ipsorũ exponeret, ne fœtificarẽtur.

Cauillatus, id est qui versutis excogitationibus superare ipsos cogitauerat. cauillatio enim id est sophisma externa & violenta expositio dicitur. Vnde violenter ipsos inuasisse significat. vnde etiam cauillatores & sophistas præstigiatores vocant, qui veritatem deceptione & cauillis occultare conantur. Sed quo tempore afflictatorum exitus appropinquabat, tunc affligentium contumelia magis progressa marium necem nutricibus edixit. atq; alijs quidem afflictationibus efficiebatur, vt afflictati augerentur magis ac multiplicarentur: hac vero præterq̃ ꝙ facinoribus fuerunt frustrati, effectum etiam est vt ipse Moyses qui ipsos erat in perniciem inducturus, inopinato fuerit seruatus, & regiam educationẽ & curam cõsequutus. Ad quid autem assumptũ est hoc? vt significetur videlicet, nunc quoq; nõ esse desperandum, quin ꝝ qui contra Christum, & eius discipulos insurgunt atq; instruuntur, similia sint consequuturi, in factis manuum suarũ comprehensi. Nam si mirandum est, ꝙ Ioseph a Psal. 9.6

fratribus venditus eos ipsos a quibus fuerat Venditus, seruarit: mirabilius multo esse debet, q̃ rex eum educarit, qui regnum ipsius erat destructurus. Q uòd vero infantes exponẽdos iusserit, indicium est eum non aperte tollere ac pdere ipsos voluisse. Vide autem per quæ diabolus dissoluere promissionem Dei conabatur, per ea magis fuisse confirmatam. Exulat Moyses: sed in exilio
Gen.41.e illa visione fuit dignatus, populiq̃ ducatum accepit. sic fecit, vt & venditus seruus quando potissimum putabatur seruus, regnauerit. Q uin ipse etiam Christus in morte imperium & potẽtiam præ se tulit. Ita facile expedit omnia Deus, & prouidentia eius est incomprehensibilis.

Exod.2.a *Q uo tempore natus est Moyses: et erat uenustus Deo. qui menses tres in domo patris fuit educatus. expositum autem ipsum filia Pharaonis sustulit, educauitq; sibi in filium. Eruditusq; est Moyses omni scientia Aegyptiorum: eratq; potens & operibus & uerbis. Posteaquã uero expletum ipsi est quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius, ut fratres suos filios*
Exod.2.b *Israel inuiseret. atq; ibi cum uidisset quendam iniuria affici, ultus est: & uindictam ei qui opprimebatur, fecit percusso Aegyptio. Existimabat autem fratres suos intelligere, Deum per manum eius salutem ipsis esse allaturum. sed ipsi non intellexerunt.*

In ipso hoc tempore natus Moyses est. et erat venustus Deo, id est placitus, & Deo carus. vel venustus, qui Græce dicitur ἀστεῖος, id est, vrba-

nus, proprie dicitur qui in puerili ætate corpore elegans ac decorus est. Filia autem Pharaonis cũ eum expositum suscepisset omni Aegyptiorum sapientia instruendum curauit. Atq; hinc patet, externam eruditionem non prorsus esse aspernãdam: quippe cum hic Moysen omni sapientia Aegyptiorum eruditum fuisse, in laudem dictũ sit. quemadmodum etiam de tribus pueris et Da- Dani.1.d niele, q̃ Chaldæorum sapientia & reliquis scientijs omnes superarent. parum tamen ac moderate ipsis incumbere debemus in diuinæ scripturæ studio assidue immorantes. nam neq; Moyses, neq; Ananias, aut Daniel peregrinam scientiam didicissent, nisi necessitate & violentia dominorum fuissent coacti: quippe cum nulla in re etiã ipsa vsi fuerint. Tametsi diceret fortasse quispiã bonum esse, si peregrinas scientias adipiscamur ea de causa, vt subuertere & confutare illorum deceptiones valeamus. Interfecit autem Moyses Aegyptium nõ ira victus, aut cupiditati suæ indulgens, sed Dei zelo & æmulatione, quicquid vero Dei ratione fit, pietas est. nam si cædes etiã propter Deum committatur, cædes non est: quippe cum Phinees cum duos vno ictu interemisset Num.25.b ita commendatus fuerit (surrexit Phinees, & pla- Psal.105.e cauit: et cessauit profligatio. computatumq; ipsi in iustitiam est.) occisoris enim & pij hominis diuersum propositum est, etiam si vna atq; eadem sit res quæ agitur. Vnde inquit (existimabat autem &c.) Q d' enim factum a Moyse est, significabat Deum per Moysem & Aegyptios esse interfecturum, & Israelitas seruaturum. Atque ita

quidem, si de Moyse intelligamus: si vero altiore speculatione rem consideremus, Christi dispensationem historia hæc nobis ostendit: qui cum Israelitas graui cõtumelia oppressos inuenisset: insiliebat enim in ipsos quasi conculcaturus Satanas: misertus in libertatem asserere ipsos aggressus est. & cum quodam modo oppressorem interfecisset, sub terra occultauit: id est ad inferos detrusum, ibi cõclusit. atq; ita detruso Satana Saluator iustitiæ exequutor Israelitis esse videbatur. ipsi vero cum gratias agere ei deberent, econtrario vituperabant, & dicebant: hic nõ eiicit dæmonia nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. vnde effectum est, vt e Iudæa in Galilęã transierit, quemadmodum etiam Moyses in terram Madian: & congregationem ex gentibus conuocarit.

Luc.11.b

Exod.2.c

Et sequenti die ipsis pugnantibus apparuit, & cõpellebat ipsos in pacem, dicens: uiri, fratres estis uos: qua de causa iniuria uos mutuo afficitis? qui uero iniuriam inferebat proximo, ipsum repulit, quis te, inquiens, principem & iudicem in nos constituit? nunquid occidere etiam me tu uis, quemadmodum heri Aegyptium interemisti? Fugit autem Moyses in sermone hoc. factusq; est aduena in terra Madian, ubi filios duos progenuit,

Specta hinc quoq; ingratitudinem & insidias Iudæorum erga benemeritos. Moyses enim qui impetuose eum interfecerat, qui gentili suo iniuriam inferebat: erga iniuste agentem mansuete nunc se gerit. is vero patria petulantia contra benemeritos vsus, ipsum repulit magis calumniãs, & in perniciem Moysen qui salutarẽ gentili suo cædem commiserat, circũueniens. eodem modo contra Christum se gesserunt: beneficio ob beneficia mortem machinantes. vnde etiam dicunt: qd facimus, quoniam homo iste multa signa facit?

Ioan.11.f

Expletisq; annis quadraginta apparuit ipsi in deserto montis Sina angelus Domini in flamma ignis rubi. Moyses autem cum inspexisset, uisum est admiratus. et accedente ipso ut aduerteret, uox Domini ad ipsum facta est. Ego Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.

Exod.3.a

Filium Dei angelum nunc vocat, quemadmodum alibi etiam hominem: quippe cum ipse sit magni consilij Angelus. vnde etiam paulopost beato Moysi dicentem eum ostendit: (Ego Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Isaac, & Iacob.) In flamma autem ignis rubi manifestatur, in forma ignis enim etiam in monte Sina legem tradens Deus apparet. qua de causa? propterea q; videlicet diuinam naturam igni ob omnipotentiam, hominem lignis & herbis sacra scriptura assimilem facit: inquit enim, Deus ignis consumens est. et item: homo, quasi fœnum dies eius. Sicut igitur spinis tolerabilis ignis non est: ita nec; humanitati diuinitas. in Christo tamen cõuenit, tolerabilisq; effecta est: qui in se purum illum naturæ propriæ ignis afflatum vt perceptibi-

Esa.9.b

Exod.19.c d.&.20

Deu.4.d Psal.102.c

lis efficeretur, contraxit: quemadmodum etiam spinis ipsis nunc ignis euasit. Carnem vero suam Christum corruptione excellētiorem reddidisse, ænigmatice significare hic potest ignis, qui prorsus illæsum lignum conseruauit. diuinitas siquidem in humanitate comprehensa est. qđ mysterium in Christo fuit absolutum.

Tremefactus autem Moyses animaduertere non audebat. Dixit uero ipsi Dominus: Solue calceum pedum tuorum, locus enim in quo stas, terra sancta est. Inspiciens inspexi afflictationem populi mei in Aegypto, & gemitum ipsorum audiui, & descendi ut ipsos liberarem. Et nunc ueni, & mittam te in Aegyptum. Hunc Moysen quem negauerant, dum dicerent, quis te constituit principem & iudicem? hunc Deus principem & redemptorem misit, cum manu angeli qui apparuit ipsi in rubo. Hic ipsos eduxit, prodigijs & signis factis in Aegypto, & in mari rubro, & in deserto annos quadraginta.

Exod.7.8. 9.10.11.14

Exod.16.a

Licet nō ijsdem verbis in Exodo hoc dicatur, eādem tamen vim habet. siue enim, tremefactus, dicamus, vt hic, siue, pauefactus, vt illic, nō multum admodum interest. Idem etiam in narratione de monte Sina dicitur manēte eadem tremefacti, et pauefacti differētia. ibi enim inquit Moyses, pauefactus sum & tremefactus, vtrisq; his ꝑ eodem vsus. Stupefactus igitur beatus Moyses secum dicebat, accedēs visionem hanc magnam inspiciam, quid nam rubus nō comburatur. Sed

Exod.19.c Hebr.12.e

Exod.3.a

statim arcet eum Dominus: ne appropinques, inquiens, huc: calceamentumq; pedis iubet resoluere. Ecce quē paulo ante angelum dixerat, nūc eundem Dominum esse & Deum ostendit. ipse siquidē est magni consilij Angelus, et filius Dei. Sed quid nam est qđ sibi vult calceamenti alusio? Mortis & corruptionis calceamentum est signum: quippe cum omne calceamentum ex reliquijs & pelle iam mortui animalis conficiatur: oportet enim, vt omni mortali & carnali cogitatione, quasi calceamentis quibusdam absoluatur mens, quæ ad Dei contemplationem ascendere, & intelligere Christi mysterium conatur. Qui igitur in lege & pædagogi seruitute adhuc est: legis autem figura est Moyses: nisi prius peccati sordem absterserit, & figuralem et vmbraticam seruitutem deposuerit, accedere ad Christum nō potest. si vero resoluere sibi calceamentum hoc voluerit, accedet in spiritu & veritate adoratione accepta.

Esa.9.b

Hic est Moyses, qui filijs Israel dixit: prophetam uobis Dominus Deus uester ex fratribus uestris suscitabit, quemadmodum me.

Deu.18.c

Hoc subiungit beatus Stephanus Christi mysterium ipsis significans, ostēdēsq; Moysen ipsis de Christo loquutum fuisse. Deus enim & pater proprij geniti sui incarnationem per sapientissimum Moysen prædicit, eumq; secundum ad nos legislatorem venturum. cum enim ipse antiquis per angelos legem tradidisset, in vltimis tempo-

ribus ipse ad nos declaratus noui testamenti An
Esa.9.b gelus accessit: magni videlicet consilij patris An
gelus. atq; hoc est qđ inquit (quēadmodum me)
id est legislatorem. prophetam autem vocat, p-
phetarum dominum ob humanitatem. Quem-
admodum me) cōtemptum scilicet ab ijs, quibus
esse veneratiōi debebat. vterq; enim signis prius
factis legem dedit: sed neutrum ipsorum audire
voluerunt.

Exod.16.a *Ipsum audietis. hic est qui fuit in ecclesia in deser*
to cum angelo qui loquebatur ipsi in monte Sina, &
cum patribus nostris: qui accepit uerbum uiuens ut da
ret nobis. Cui obedire patres nostri noluerunt: sed re
Exod.32.a *pulerunt, conuersiq; sunt corde in Aegyptum, cum di-*
cerent Aaron, fac nobis deos qui deducant nos: Moy-
si enim huic qui eduxit nos e terra Aegypti, nesci-
mus quid cōtigerit. & uitulum in diebus illis fecerūt,
obtuleruntq; sacrificium Idolo, et in operibus manuū
suarum lætabantur. Conuertit autem Deus, & tradi
dit ipsos, ut cœli exercitui seruirent: sicut in libro p-
Amos.5.g *phetarum est scriptum. nūquid uictimas & sacrificia*
obtulistis mihi annis quadraginta in deserto domus
Israel.

Vide, primum inducit ipsos etiam tunc simu-
lacris sacrificia obtulisse: nam antehac nusq; sa-
crificij nomen est: sed mandata viuentia, & elo-
quia viuentia appellat. adducit autem testimo-
nium non absolute, sed etiam non esse opus sacri
ficijs ostendit, dū inquit; nūquid victimas &c.)

id est

id est, non potestis dicere vos ex eo q; sacrificaba
tis Deo, illis quoq; sacrificasse: sed illis prius sa-
crificastis, et in deserto præsertim, vbi vobis ma
xime præfui. Vide autem q̄ vehementer & non
odiose totam orationem contra vniuersam eo-
rum accusationem instituit: ita ferè dicens: si etiā
dixissem & templum dissoluendum esse, & cō-
suetudines, & sacrificia immutanda, nihil noui
dixissem: quippe cum & Moyses, ob quem vide
mini gloriari, quadraginta annos neq; sacrificia
obtulerit, neq; templum erexerit. Quin neq; Da
uid, neq; alius quispiā qui interceſſerit: licet vo-
bis terra in hereditatem esset tradita. Adde q; &
prophetæ ita de ipsis pronunciant, quasi mini-
me necessaria sint. Nunc vero quo pacto defen-
dere Moysen simulatis, quem repulerunt & pa-
tres vestri, & vos? & in tota deniq; concione vi
dere licet sapienter simul & mansuete & acriter
eorum refelli ac dissolui accusationem.

Et assumpsistis tabernaculum Moloch: & sidus
Dei uestri Repphan, figuras quas fecistis, ut adorare-
tis. in transmigrationem uos inducam trās Babylonē.

Moloch seu Molchom idolum est Moabita-
rum, qđ in summa fronte lapidem pellucidum
& eximium in formam Luciferi habebat. Rep-
phan autem species est obtenebrationis. nam cū
in montem ascēdisset Moyses, vitulum fecerūt,
stellarumq; adorationi se dediderunt. & taberna
culo facto simulacrū constituerunt, qđ Moloch
vocant, id autem, si interpretemur, rex ipsorum

significat: Repphã vero obtenebratio seu excæcatio. Assumpsistis igitur tabernaculũ Moloch, id est regis vestri. quis autem is est? sidus Dei vestri Repphan: id qđ in excæcationẽ vobis euasit: obtenebrata enim corda vestra sunt. Quoniã vero Moabitarum insaniam expleuistis, qui iuxta Damascum sunt, propterea vltra Damascũ abibitis, id est in Babylonẽ. Licet enim propheta vltra Damascum dixerit: ita enim septuaginta editio habet: beatus tamẽ Stephanus Hebræorum editionem sequutus dixit, trans Babylonẽ: vel quia Damascenorum & Syrorum Babylon terminus est.

Exod.25.d Heb.8.b *Tabernaculum testimonij fuit patribus nostris in deserto, quemadmodum instituit qui loquebatur Moysi, ut faceret ipsum ea figura, quam uiderat. quod etiã* Iosue.3.c.d *introduxerunt suscipientes patres nostri cum Iesu in possessione gentium, quas expulit Deus a facie patrũ* 1.Re.16.c Psal.131.a 2.Pe.17.c *nostrorum, usq; ad dies Dauid. qui inuenit gratiam coram Deo: & petijt ut inueniret tabernaculum Deo Iacob.*

Tabernaculum testimonij, hoc est mandatorum Dei, qđ in monte Sina Moysi a Deo fuerat monstratum: ita fuit appellatum propterea q̃ a Deo institutum fuit, vt testem Deum haberent, q̃ in monte descriptio eius fuerit facta, & ipse id Moysi instituerit & disposuerit.

3.Re.6.a *Salomon uero domum ipsi ædificauit. sed altissimus in manufactis templis non habitat, sicut prophe-*

ta inquit: cœlum mihi sedes, terra scabellum pedum meorum est. qualem domum mihi ædificabitis? inquit Dominus: uel quis locus requietionis meæ? Nonne manus mea omnia hæc fecit? Esa.66.a

Quadringẽtesimo quadragesimo anno post exitum filiorum Israel ex Aegypto cœpit Salomõ templum in Hierusalem ædificare, vt tertius liber regum docet. propterea autem tanto tempore post reditum ex Aegypto templum fuit extructum, vt post diuturnam circumuagationem per montes defatigati vnum locum, id est Hierusalem haberent, in quo conquiescerẽt, quẽ Deus sibi precio sum fecisset. ipsi vero cum & tardi ad intelligendum, & sermonis de Deo imperiti essent, vrbem Dei esse Hierusalem rati, in ea sola habitare ipsum dicebant. Parua igitur & humilia opinantes arguit Deus, & inquit: qualem domum mihi ædificabitis, qui cœlum sedem, & terram pedum scabellum habeo? Oportebat enim vt ijs qui contractam esse & circumscriptam locis naturam eius existimant: eum esse vbiq;, & nihil esse quod capere ipsum possit: quin per omnia ipsum permeare, plenumq; esse cœlum eo, & plenam terram manifeste declararetur. 3.Reg.3.a

Duriceruices, & incircuncisi corde & auribus:

Qua de causa cum hucusq; mansuete concionatus fuerit Stephanus, hic aspere inuehitur? q̃a scilicet ipsos non attendere his quæ dicebantur, videbat.

Vos semper spiritui sancto resistitis.

Non dixit Deo resistitis, sed spiritui sancto: quippe cum nullam differentiam nouerit: nam & spiritus est Deus, etiam si impijs non videatur. Vos igitur semper resistitis Deo. Quando enim volebat sacrificia esse, ipsi nō sacrificastis: quando vero non vult, sacrificatis. quando constitutum erat templū, simulacra colebatis. quādo sine templo adorari vult, contrarium facitis: quemadmodum patres vestri.

Sicut patres uestri, & uos.

Desuper a progenitoribus vitium hoc deueni
Matt.23.d re in ipsos ostendit. Sic etiam Christus faciebat: propterea ꝙvalde semper ob patres gloriabant.

Quem ex prophetis non persequuti sunt patres uestri?

Hæc cum dicat beatus Stephanus, vera quidē dicere eum vtpote spiritu sancto loquentem scimus: ostendere tamen ex veteri testamento, quo modo patribus horum qui in Iesum non crede-
2.Par.24.f bant, exprobet, ꝙ persequuti fuerint prophetas, & interfecerint, ex libris his qui habentur, non possumus. Si igitur, inquit, eos qui prænunciabant aduētum eius, interemistis, nihil mirum est, si me quoq; qui prænunciatum prædico, interficietis. se enim ab ipsis interficiendum esse minime ignorabat, vtpote spiritu sancto plenus. vnde etiam sine vlla dissimulatione libere loquit.

Et interfecerunt eos qui prænunciauerant de aduē

tu iusti: cuius uos nūc proditores & occisores effecti estis: qui legem in institutiones angelorum accepistis, & non seruastis.

Iusti, inquit, vt ostendat, si ille erat iustus, val de iniustos fuisse, qui illum occiderunt. iustum vero illum vocat, id qđ negare ne ipsi quidem poterant. nusq; enim quis valde impudentes essent, alicuius iniustitię vlla in re illū accusarunt: quo pacto enim cum ne tectum quidē haberet, Matth.8.c
ac iustum quidē Iesum appellat conciliare ipsos Luc.9.g
volens: ipsos vero proditores eius & occisores, vtpote qui consciꝫ cum ijs fuerint, qui ipsum cruci affixerunt. Quamuis, inquit, legem accepisse tis eiusmodi institutionum, quæ efficiebant, vt qui illam seruarent, æqualem angelis vitam traducerent. hoc enim est qđ inquit, qui legem in institutiones angelorum accepistis. Alij intelligunt legem ab angelis institutam, & traditam per angelū Moysi qui ipsi in rubo apparuerat. In institutiones).p, secūdū institutiones: quemadmodum videlicet illi apparentes in rubo, & monte Moysi instituerunt.

Cum uero hæc audirent, diserucibantur cordibus suis, & frendebant dentibus suis in ipsum. Ipse autem cum esset plenus spiritu sancto, intente suspiciens in cœlum uidit gloriam Dei.

Si volebant ipsum interficere, cur non statim id fecerunt, quia prętextum probabilem facinori suo afferre cupiebant. Nam cōtumelia in ipsos

non satis idonea causa esse videbatur, vt interficeretur: sed vt expelleretur fortasse & flagellaretur. præterea neq; eius erat contumelia, sed prophetæ contra ipsos accusatio. quapropter nolebant videri se eum interfeciſſe causa sua, quemadmodum neq; Christũ. non enim contenti erãt homicidio, sed famam quoq; eius obscurare conabantur. timebant enim ne occisus ab ipsis ob contumeliam qua in ipsos vtebatur, clarior ac venerabilior efficeretur.

Et Iesum stantem a dextris Dei. & dixit: ecce video cœlos apertos, & filium hominis a dextris Dei.

Stantem & non sedentem Iesum beatus Stephanus videt, vt auxilium sibi paratum cognoscat: vtq; certatori auxiliatoris habitus & status promptitudinem magnam atq; alacritatem afferat. Quia præterea audire de Christo quòd ad dexteram Dei consideret, ipsis odiosum erat, stare ipsum nunc inquit, suscitationem & resurrectionem ipsius ẽt significans. nam non stare eum sed sedere, etiam Paulus ostendit, cum ait patrẽ simul suscitasse ipsum & simul ad considendum collocasse in cœlestibus in dextera sua. Ephe. 1. d

Clamantes autem uoce magna aures suas cohibuerunt, & in ipsum unanimiter irruerunt. & eiectum eum extra urbem lapidabant.

Cohibuerunt aures qui falso erant cõtra sanctum testificaturi.

Et testes deposuerunt pallia ad pedes iuuenis qui uocabatur Saulus: & lapidabant Stephanum inuocãtem & dicentem.

Testes vocat eos, quos suppoſuerant et subornarant, vt falsum testimonium contra ipsum dicerent. ostenditque eos paratiores ad cędem fuisse, cũ pallia deposuerint, vt expediti & leues ad conijciẽdos lapides essent. Inquit etiam eum qui postea præco per totum orbem futurus erat, cędi huic tunc consensisse: vt ostendat diuinam eius & admirabilem, non humanam fuisse mutationem.

Domine Iesu suscipe spiritum meum.

Dũ hoc inquit, se nõ mori declarat: docetque iustorum animas a corporibus absolutas nõ amplius ad inferos descẽdere, sicuti antea: sed in manus Dei viuentis per Saluatorem omnium nostrum Christum deduci.

Et positis genibus clamauit uoce magna: Domine ne statuas ipsis hoc peccatum: cũq; hoc dixisset, obdormiuit. Saulus autem consentiens occisioni eius erat.

Cum precatus fuerit Stephanus ne statuatur ipsis in peccatum mors sua, quæsitu dignum videtur, an remissum ob id peccatum hoc ipsis fuerit. dicendum si eos pœnituit, dimissum fuisse. nam qui innumerabilibus manibus ipsum feriebat, & ecclesiam persequebatur Paulus, Ecclesię præses postea euasit.

De persequutione ecclesiæ,& sepultura Stephani: de Philippi predicatione & miraculis in Samaria, vbi multi crediderunt: inter quos erat etiam Simon magus: ad quos missi Apostoli impositis manibus spiritum sanctum in ipsos deduxerunt: de Simonis increpatiõe, & eunuchi baptizatione a Philippo.

Cap. VIII.

FActa autẽ est illa die psequutio magna in ecclesiã quæ erat Hierosolymis. omnesq; per regiões Iudææ & Samariæ dispersi sunt, exceptis apostolis. Viri autem pij Stephanum composuerunt,& plãctum magnum super ipsum fecerunt. Saulus uero deuastabat ecclesiam,in domos ingrediens, & trahens uiros & mulieres in custodiam tradebat. qui tamen dispersi erant,euangelizantes uerbum pertransibant.

Vide quo modo Deus insidias hostium in bonum exitum reducit. dispersi enim multo plures expiscati sunt, q̃ priusq̃ persequutionẽ fuissent passi. Apostoli non fuerunt dispersi,sed in Hierosolymis permansere. vbi enim maius bellum ingruit,prodire in aciem primores bellatores oportet, alijsque fortitudinis & fiduciæ exemplum proponi. Cæterum si pij erant qui sepelierunt Stephanum,cur planctum fecerunt:an quia nõdum erant perfecti. Vel planxere,dum indignitate rei mouerentur,quia præsidentia tali, tali doctrina, & signis talibus fuerant priuati: videbantque illum tam mansuetum & benignum tã sæua lapidatione mortuum iacere.

Philippus aũt cũ in urbẽ Samariæ descẽdisset,prædicabat ipsis Christum. attendebantq; turbæ ijs quæ dicebãtur a Philippo unanimiter dum audirent,& uiderent signa, quæ faciebat. Spiritus enim immundi ex multis qui ipsos habebant,clamantes uoce magna exibant: et multi resoluti,et claudi curati sunt: factũq; in urbe illa gaudium magnum est. Vir autem quidam nomine Simon prius erat in urbe qui magica utebatur, & gentem Samariæ in stuporem inducebat dicens se esse magnum quendam: cui attendebant a paruo usq; ad magnum omnes dicentes, hic potentia Dei magna est.

Philippus hic non est Apostolus inter duodecim connumeratus, sed vnus ex septem cum Stephano electus ad viduarum dispensationem. qd' verum esse inde patet: q̃ cum Apostoli soli in Hierosolymis relicti essent,reliqui vero discipuli aliò fuissent dispersi, sicut superius dictum est:(omnes vero per regiones Iudęæ & Samariæ dispersi sunt,exceptis Apostolis):inter dispersos erat etiam hic Philippus:qui Simonem etiam in Samaria de fide instruxit:& cum ex diuino oraculo eunuchum baptizasset, a spiritu Domini in Azotum est deductus. In Cæsaream proficiscebatur,vnde erat natus.dolore enim ex Stephani persequutione & morte affectus, timẽsque ne in similes molestias ipse incideret, domum reuertebatur. Præterea si qui baptizauit in Samaria Philippus vnus ex Apostolis fuit,eandem auctoritatem dandi spiritus habuisset, & non opus fuisset,vt Petrus & Ioannes descẽderent ab Hie

rosolymis, eisque gratiam spiritus exhiberent. Hic igitur baptizat tantummodo, vtpote discipulus: gratiam autem perficiunt Apostoli, quibus huiusmodi doni auctoritas data fuit.

Attendebant autem ipsi, propterea q̃ multo tempore magijs ipsos exturbauerat. quando uero crediderũt Philippo euangelizanti de regno Dei, & nomine Iesu Christi, uiri & mulieres baptizabantur. Simon autem ipse quoq; credidit, & baptizatus, non deserebat Philippum: spectansq; potentias & signa fieri, obstupebat. Cum audiuissent autem apostoli qui erant Hierosolymis, Sammariam Dei uerbum accepisse, miserunt ad ipsos Petrum & Ioannem: qui cum descendissent, precati pro ipsis sunt, ut spiritum sanctum acciperent.

Aduertendum est non debere nos cum magis versari: q̃ siquis deceptus cum ipsis cõsueuerit, cito ab ipsis recedat. quippe cum si diutius perseueret cum ipsis quispiam, in exturbationem mẽtis inducatur, vt discernere verũ amplius nesciat. Hic igitur Simon obsequutus Apostolis cũ esset magus, & sicut alij a Philippo vno ex septem cum multis baptizatus, non tamen per impositionem manuum Apostolorum spiritum sanctũ admisit. Sed quid? qui a Philippo erant baptizati, spiritum sanctum non acceperunt? acceperunt quidem spiritum remissionis, sed signorum minime. Vnde Simon cum videret per impositionem manuum eum dari, ad Apostolos accessit, ausus ab eis ipsum mercari. prius enim q̃ vidisset alios

spiritum signorum accipere, petere eum non audebat. Sed cur huiusmodi hominem Philippus baptizauit? quia etiã Iudam Christus elegerat. Cur eum nõ interemerunt, sicut Ananiam? quia videlicet etiam in veteri testamento vnus tantũ qui ligna collegerat, ad aliorum castigationem morte fuit mulctatus: nullusque alius id ppessus est. Sciendum autem dum dabatur spiritus sanctus, mirabile quid contingere consueuisse q̃d sensu percipiebatur. nam Simon nisi id vidisset, non accessisset petiturus. At vero cur cum nõ vidisset Apostolos pecunijs id agere, pecunias offere ausus est? propterea q̃ ignorantis id non erat, sed tentantis. vnde etiam Petrus ad ipsum, cor, inquit, tuum non est rectum: vt ostenderet ea quoque quæ in corde vafre moliebatur, sibi non esse inexplorata. vide autem Simonus huius impudentiam. nam cum deberet petere vt spiritum acciperet, id non curabat: sed petit vt alijs dare posset: volebat siquidem clarior Philippo etiam videri. Philippus enim cum esset vnus ex septẽ, & minister, potestatem non habebat, vt per impositionẽ manuum dare spiritum sanctum posset. Nam verum hoc esse, & spiritum signorum nondum hos accepisse, inde perspici potest, q̃ inquit, cum spectasset potẽtias & signa fieri obstupuisse, & accessisse, atque eum petijsse. Num.15.d

Nondum enim in quemquam ipsorum inciderat: sed baptizati tãtum erant in nomen Christi Iesu. tunc imponebant manus super ipsos, & spiritum sanctum accipiebant.

Perſpicuum hinc eſt eos qui a Philippo in Samaria fuerant baptizati, ſpiritum ſanctum non accepiſſe: propterea q̄ id donum non habebat Philippus: cum eſſet, vt diximus, vnus ex septē. hi ſiquidem septem poteſtatem quidem ſignorū faciendorum acceperant: non tamen alijs dare eū ſpiritum poterant: id enim præcipuum Apoſtolorum munus erat. Fortaſſe etiam ſpiritum ſanctum in baptizatos a ſe non deduxit Philippus, vel ob Apoſtolorum reuerētiam, munus id ipſis reſeruans: vel non q̄ eſſet vilis & indignus, quippe cum etiam ipſe & in curationibus morborū, & in eiectionibus dæmonum ſigna dicatur feciſſe: ſed quia id nondum fuerat precatus, cum nōdum illi ad eum ſuſcipiēdum eſſent idonei. quādoquidem etiam Simon ab eo baptizatus carnalia adhuc cogitans oblatis pecunijs dari ſibi ab Apoſtolis poteſtatem petebat dandi ſpiritus per impoſitionem manuum cuicūque vellet.

Cum uidiſſet autem Simon per impoſitionem manuum dari ab Apoſtolis ſpiritum ſanctum, pecunias ipſis attulit, dicens: date mihi etiam poteſtatem hanc, ut cuicumque manus impoſuero, ſpiritum ſanctum accipiat.

Sceleſtus iſte Simon non fidei cauſa oblatis pecunijs ſibi hoc petebat dari, ſed vt prouentum inde pecuniarum ſibi compararet. acceſſit enim vt accepta huiuſmodi gratia per portenta & ſigna diteſceret, quorum antea ſpeciem tantum p̄ dæmones exercebat. Vel hoc faciebat tentans

Apoſtolos, quo accuſationem poſtea in ipſos poſſet intendere. Vnde etiam ei dicitur: non eſt tibi portio in re hac. cor enim tuum rectum non eſt coràm Deo. pœnitentiam igitur age, ſi modo tibi peccatum remittatur.

Petrus uero ad ipſum dixit: argentum tuum tecum ſit in perditionem, quia donum Dei pecunijs exiſtimaſti comparare. non eſt tibi portio, neq; ſors in re hac. cor enim tuum rectum non eſt coràm Deo. pœnitentiam igitur age ab hac improbitate tua: & precare Deum, ſi modo tibi remittatur cogitatio cordis tui. in fel enim amaritudinis, & obligationem iniuſtitiæ te eſſe uideo. Reſpondens autem Simon dixit: precamini uos pro me ad Dominum: ut nihil eorum quæ dixiſtis, in me ueniat. Atq; hi quidem teſtati & loquuti uerbū Domini in Hieruſalem reuerſi ſunt: & per multos uicos Samaritanorum euangelizarunt.

Argētū tuū tecū ſit: non eſt hoc male imprecātis ſed erudientis: perinde ac ſiquis diceret, argentum tuum ſimul cum propoſito hoc tuo malo pereat. Præuidebat ſiquidem ipſum Petrus ad pœnitentiam non conuerſum iri. ac propterea inquit (ſi modo remittatur.) nam qd̄ ille ait (precamini vos) non pœnitentiæ & conuerſionis cauſa dicit: ſed repudiationis, ſimul vt ea ſe obligatione exoluiſſe videretur. nam vbi ſunt lachrymæ & confeſſio? Hinc animaduerti debet, q̄ grae peccatum ſit, q̄ſque magna pœnitentia indigēs, cum quis in Deum ipſum peccat: quemad-

modum hic Simon, qui spiritum sanctum pecuniis ad operationes inducendum arbitrabatur. ALITER. Non punit autem nunc Simonē Petrus, vt prius Ananiam, vt ostendat fidem nō esse eiusmodi, vt cogi debeat: tum vt pœnitentiā introducat. satis enim ad correctionem est, ꝙ & Petrus ipsum arguerit, qđ ꝙ in corde cogitabat, manifestarit: & ipse confessus sit. nam cum inqt (precamini vos pro me) confitentis est: quamuis non ex recto & vehementi affectu diceretur.

Angelus autem Domini loquutus ad Philippum est, dicens.

Cur eunucho non apparet angelus, ducitque ipsum ad Philippum? quia fortasse nō credebat, sed magis admiratione fuerat correptus: nō enim
Infr.10.a erat vt Cornelius.

Surge & ad meridiem progredere in uiam quæ ab Hierusalem in Gazam descendit: ea est deserta. & cū surrexisset, abijt, & ecce uir Aethiops eunuchus unus ex Candaces reginæ Aethiopum proceribus, qui erat supra omnem gazam eius, uenerat adoraturus in Hierusalem: & in curru suo sedens reuertebatur, & legebat Esaiam prophetam. Dixit autem spiritus Philippo, accede, & adhære currui huic. cum uero accurrisset Philippus, audiuit eum Esaiam prophetam legē tem, & dixit: nūquid intelligis, quæ legis? at ille ait: quo pacto id possum, nisi quis mihi prædemonstrarit? et rogauit Philippum, ut ascenderet & consideret cum

ipso. argumentum autem scripturæ quam legebat, hoc erat,

Ad meridiem: non ab Hierosolymis ad meridiem sed ad Septentrionem ibat. a Samaria vero vbi Philippus vnus ex septem tunc morabatur, & docebat, meridiem versus tendebat hæc via. ꝙ vero ait (ea est deserta) propterea inquit, ne Iudæorum occursum timeat. Mulieres vero illi Aethiopiæ tunc dominabantur: quarum vna ex successione erat Candace, cuius eunuchus regiorū thesaurorum erat custos. Sciēdum autem Aethiopas vnamquamꝙ regis matrem Candacen solere appellare. nam patrem eorum non agnoscūt, sed Solis filios esse eos tradunt. singulorum vero matrem Candacen vocant.

Tanq̄ ouis ad iugulationem ductus est: & sicut Esa.53.c
agnus coràm tondente ipsum est mutus, sic non aperuit os suum. in humiliatione eius iudicium ipsius eleuatum est. generationem autem eius quis narrabit? quia tollitur a terra uita eius. Cum respondisset autē eunuchus Philippo, dixit: rogo te, de quo propheta hoc dicit, de se, an de aliquo alio? cum aperuisset autē Philippus os suum, incepisset ꝙ a scriptura hac, euangelizauit ipsi Iesum. dum uero irēt per uiam, ad aquā quandam uenerunt: & ait eunuchus,

Hinc voluntaria Saluatoris nostri perpessio dispēsatarum rerum significatur. sicut ouis enim quę ducitur ad sacrificium, vel agnus coràm tōdente ipsum, nam dum necessitate & vi doma-

tur, ne balatum quidem edere, deditionem et ces-
sionem præ se fert: sic sponte ipse dum pateretur,
tacebat. Cum autem inquit (in humiliatione eius
iudicium ipsius eleuatum est) iudicium illud in-
iustum ostendit, quod occultata veritate contra
ipsum factum est. Cum vero subiungit (genera-
tionem eius quis narrabit?) carere ipsum genera-
tionis serie & genealogia declarat. Nam genea-
logia generationisque explicatione carebat, vt
Deus: quantum ad carnem autem spectat, erat
genitus, vtpote in cẽsu descriptus. Vel si de gene
ratione ẽt post resurrectionem intelligere veli-
mus, hic erit sensus: gloriam quæ ei post resurrec-
tionem acquisita est, nobilemq; eius dignitatẽ,
quam dispensatorum perpessio manifestauit, qs
explicare oratione vnq; poterit? cũ & ipsa mors
subiecta sit, omnesq; in incorruptibilitatem gra
tia eius viuificentur, & fide redimantur? Deinde
inquit, quia tollitur a terra vita eius: id est extol
litur, altiorq; terrestribus & sublimior vita eius
est: id est vitæ institutio et traductio. Tollitur itẽ
alio modo, & supra omnes vita eius est, hoc est
vnigeniti essentia: quando extra carnem conside
ratur, & nondum quantum ad nos attinet, geni-
tus. Nam cum ipse in mortem sponte descende-
rit, subleuata a terra vita eius est, & suspensa, &
supra cœlos ascendit. quoniam rex gloriæ erat,
& vita secũdũ naturam, & Dominus potestatũ:
licet ex dispensatione qua vsus erga nos est, &
uoluntaria exinanitione ignominias & infamias
in passione in terra sustinuerit: id qd caro exhi-
bebat, quæ ipsi in persona indiuisibili quadam
ratione

fuerat vnita. circa quam passio et ignominia cõ-
tigit, quæ cum contra Deum quidem incarnatũ
audacter fuisset illata, tangere tamen, id quod fie
ri nullo pacto poterat, impatibilẽ eius naturam
non valuit. Hunc igitur esse Iesum, & in eo scri-
pturam hanc fuisse expletã eunucho Philippus
euãgelizat. Quod cum ille credidisset, & statim
fuisset baptizatus, in Aethiopiæ regiones dimis-
sus est, id qd ipse crediderat, prædicaturus: Deũ
videlicet vnum esse qui per prophetas denuncia
tur: eiusq; filium humana forma iam aduenisse,
& tanq; ouem ad iugulationem ductum fuisse,
& reliqua, quæcũq; de ipso dicunt prophetæ. &
tunc expleta fuit prophetia, quę dicit: Aethiopia
manum suam Deo prius offerre præoccupabit. Psal. 67.

*Ecce aqua: quid prohibet me baptizari. Dixit au-
tem Philippus, si ex toto corde credis, licet. at ille re-
spondens, credo, inquit, filium Dei esse Iesum Christũ:
iussitq; ut consisteret currus. descenderuntq; utriq; &
Philippus & eunuchus in aquam, & baptizauit
ipsum.*

Animaduertendum hinc est, q̃ multum studiũ
sensibili baptismati adhiberẽt, qui perfecte Chri
stianam pietatem profitebantur. Nam cum du-
plex esset qd dabatur baptisma, aliquando per
aquam, aliquando in spiritu sancto & igni: ne-
quaq; ob excellentiam eius spiritualis corporale
hoc despiciebant: quippe cum ad salutem etiam
hoc, & resurrectionem corporis conferat.

Quando uero ascenderunt ab aqua, spiritus Domini Philippum rapuit. & non uidit eum amplius eunuchus: ibat enim per uiam suam gaudens. Philippus uero in Azoto inuentus est. & pertransiens per urbes omnes euangelizabat, quoad uenit in Cæsaream.

Non sine vtilitate rapuit Philippum spiritus: quippe cum voluisset fortasse cum eo ire eunuchus, & ipse renuendo et negando cum nondum esset occasio, molestiam ei attulisset. et simul Philippus ipse non parum erat lucraturus, cum id quæ de Ezechiele & Abbacuch audiuerat, sibi quoq; euenisse esset visurus. Multam viam autē pertransiisse ostenditur, siquidem in Azoto est inuentus, ibi enim eum spiritus constituit, vbi euangelizare posthac eum oportebat: atq; inde in Cęsaream quę ipsum procreauerat, proficisci.

Ezech.8.b
Dani.14.f

De diuina vocatione Pauli ad apostolatum, & eius baptisma te per Ananiam: de fiducia Pauli in prędicando Iesu: de coniunctione eiusdem cum apostolis per Barnabam: De Aenea resoluto in Lyda sanato a Petro: de Tabeta mortua ab eodem suscitata.

Cap. IX.

Saulvs uero cum adhuc spiraret minas et cædem in discipulos Domini, accessit ad pontificem, & ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas petijt, ut si aliquos inuenisset qui uiæ huius essent uiros & mulieres, uinctos in Hierusalem perduceret.

Qui viæ huius essent: viam enim vocabant fidem quæ ad Christum verum Deum nostrum nos deducit, quam prædicabant apostoli: merito

sanè: quippe cum per eam in regnum cœlorum, & non per aliam aliquam ingrediamur. Veriore tamen interpretatione viam institutionem vitæ intelligēdum est. vt apud Esaiam: vt quid in errorem nos induxisti a via tua? id est a tua vitæ traductione & institutione. ita nūc hoc loco viā traductionem vitę secūdū Christum appellat. nā alibi etiam vbi viæ facit mentionē, Christi prędicationem, institutionemq; intelligit. Sed fortasse in contemptum quoq; vt rem vituperarēt & carperent, ita vocabant: quippe cum ignobilem, e via hominem & triuio, soleant nuncupare. Non petijt autem Saulus potestatem puniendi eos illic, sed in Hierusalem reducendi, propterea q; maiori cum ocio facere id volebat.

Esa.63.c

Dum autem iret, factum est ut appropinquaret Damasco. & repente circūfulsit ipsi lux de cœlo. et cum in terram cecidisset, audiuit uocem sibi dicētem: Saule Saule quid me persequeris? ipse autem dixit, quis es Domine? Dominus uero, ego, inquit, sum Iesus, quem tu persequeris. durum tibi est contra stimulos calcitrare. tremensq; ille ac stupens ait, Domine, quid uis me facere? & Dominus ad ipsum: surge & in urbem ingredere, & dicetur tibi, quid tibi oporteat facere. Viri autem qui simul cum ipso iter faciebant, stabant stupidi, uocem quidem audientes, sed neminem tamen uidentes. Excitatus autē de terra Saulus est, apertisq; oculis, neminē uidebat. Vnde manu deducētes ipsum in Damascū introduxerūt. fuitq; ibi dies tres non uidens.

1.Cor.15.b
2.Cor.12.a

Visio hæc in vrbe non fit, sed in via per quietem: vt nullus alius aliter narrare qđ ei contigerat, posset: sed ipse qui illam viderat, casumq; sustinuerat, dignus esset cui narranti fides adhiberetur. Non omnes autem excæcat, nisi Paulum solum, ne communis & a fortuna proueniens calamitas ea existimaretur, sed diuinæ prouidentię esse videretur. At cur non crediderunt qui cum eo erant? vt testificantes id de Paulo fide digni haberentur. si enim credidissent, visi fuissent ad gratiam testificari. qui sanè vocem quidem audiuerunt non supernam, sed Pauli, neminem tamen viderunt, cui responderet. Nam supernam vocem Paulus solus audiuit. Procedens enim eũ
Iosr.22.b ita loquentem inducit: (qui vero mecum erant, lumen quidem viderunt, & terrefacti sunt: vocẽ tamen eius qui mecum loquebatur, non audiuerunt.) Si enim vocem illam audiuissent, nequaq; in diffidentia & perfidia perstitissent. sed cum viderent Paulum respondentem. admirabantur. Propterea autem non a principio hoc effectum est, vt vere Christum resurrexisse demonstretur. Vnde enim ille q ipsum exagitabat, resurrectionię; eius fidem non adhibebat, discipulosq; eius p̃sequebatur, credidisset, nisi magna resurrectionis vis esset?

Et non comedit, neq; bibit.

Qua de causa? quia valde se ipsum ob ecclesię persequutionem condemnabat: doloreq; conficiebatur, & Deum vt sibi id remitteret, implorabat.

Erat autem discipulus quidam Damasci nomine Ananias: dixitq; ad eum Dominus p uisum: Anania. ipse uero ait: ecce ego Domine. Dominus uero ad ipsum: Surgens abi in uicum qui uocatur rectus, & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tharsensem. Ecce enim precatur, & uidit per uisum uirum nomine Ananiam ingressum, & imponentem sibi manus, ut uisum recipiat.

Cur neminẽ ex auctoritate dignis & magnis traxit, & ad Pauli instructionem transmisit, sed Ananiam qui vnus erat ex septuaginta? Quia non erat per homines, sed per ipsum Christum initiãdus. Nã Ananias hic nihil ipsum edocuit, sed tantum baptizauit. Simul enim atq; illuminatus fuisset, multam ex zelo et prõptitudine spiritus gratiã erat cõsequuturus. Hinc animaduertendũ est, cũ dicat per visum. i. ἐν ὁράματι, ὁράματα autem visa in somnis dici consueuerint, somnia illa euulgari debere, quæ communem vtilitatem afferunt, atq; ad pietatem erga Deum cõducũt: quæ vel Domini p̃sentiam habent, uel angelorum. nam sunt etiam in somnis priuata, quæ dici non debent. Veruntamen etsi priuata quoq; Sauli fuit utilitas, sanatio tamẽ admirabilis quę ipsi contigit, ad pietatem, Deique cultum hominem prouocat: ut ob id tanq; ad communem utilitatẽ spectans debuerit euulgari. Ananias autem hic diaconus quoq; erat, ut in canonibus ipse Paulus testatur. hoc autem effectum est, quia Damasci ob persequutionem p̃sbyter nõ aderat. Vidit

autem Paulus per uisum & insomnis, propterea q̃ uidere re uera quia cęcus erat, non poterat.

Respõdit autem Ananias: Domine audiui ex multis de uiro hoc: quanta mala in Hierusalem sanctis tuis fecerit. & hoc loco habet potestatem a pontificibus ligandi omnes, qui tuum nomen inuocant. Dominus uero ad ipsum dixit: Abi, quia uas electionis mihi est iste, ut nomen meum coram gentibus & regibus et filijs Israel deferat. Ego enim ostendam ipsi, quot pro nomine meo pati ipsum oporteat. Abijtq; Ananias, & ingressus in domum est. & impositis super ipsum manibus, dixit: Saul frater.

Audiui ex multis: hoc inquit Ananias, non q̃ non credat his quæ dicuntur, aut se a Christo decipi existimet: absit: sed timore tremoreq̃ inductus. Verisimile enim est eos cum essent in timore, solicitos fuisse, & curiose indagasse quid contra ipsos statueretur. quo enim alio modo scire potuisset, hoc loco habere ipsum a põtificibus potestatem? Vnde cum id esset, quo pacto euenire ea quæ dicebantur, possent, admirabat. Quid igitur Dominus qui corda scrutatur et permeat, de Paulo testificatur? non esse naturalem improbitatem ostendit: quippe cum uas electionis eum esse inquiat. unde eum approbatum esse significat: probatum enim uas unusquisque eligit. Neque solum fidelis erit, inquit, uerum etiã doctor, & per totum orbem præco. quin etiam multa q̃ me patietur: quia uas uidelicet electionis est: & nomen meum gestabit. Nam quia fortasse cum audiuisset Ananias Paulum esse cæcum, gaudebat: & ferè ita dicebat: bene se habet hoc: sine eũ ita excæcatum permanere. quid mihi ut oculos eius aperiam, iubes? nũquid ut rursus nos liget? ut nos rursus puniat? non solum, inquit, nihil mali efficiet, uerum etiam multa pro me passurus est.

Dominus me misit, qui apparuit tibi in uia qua proficiscebaris, ut uisum recipias, & spiritu sancto replearis. & statim ex oculis eius quasi squammæ deciderunt, & respexit: & surgẽs baptizatus est: et sumpto cibo est corroboratus. fuitq; Saulus cum discipulis qui erant Damasci, per dies aliquot.

Licet non dixisset Ananiæ Christus se Saulo apparuisse, a spiritu sancto tamen didicit. Sed. n. non apparuit. at re ipsa tamen & effectu dicitur apparuisse. Non dixit autem (qui te excæcauit) ut exprobationem euiteret: sed (qui tibi apparuit.) Excidunt autem squammæ, ut & uehementia cęcitatis, & indubitata sanatio significetur.

Et confestim in Synagogis Christum prædicabat, hunc esse filium Dei asserens. stupebantq; omnes qui audiebant, & dicebant: non ne iste est, qui in Hierusalem eos diripiebat, qui inuocabant nomen hoc? atque huc ad hoc uenerat, ut uinctos ipsos ad pontifices abduceret? Saulus uero magis uires concipiebat, Iudæosq; confundebat, qui habitabant Damasci, cum eos ad consentiendum hunc esse Christum induceret. Vbi

uero expleti dies satis multi sunt, consultarunt Iudæi ut ipsum interficerent. Sed cognitæ insidiæ ipsorum a Paulo sunt. obseruabantq; portas die noctuq;, ut eum
2.Cor.11.g *occiderent. cum uero sumpsissent eum nocte discipuli, e muro in sporta demissum eduxerunt.*

Cum esset peritus legis Paulus in Synagogis Iudęos in silentium inducebat, neque loqui permittebat: sed ex scripturis ostendebat ad consentiendũ inducens, id est συμβιβάζων, cum mãsuetudine & æquitate docens, Iesum Christum esse filium Dei. At illi insidias ei struebant, ut interficerent. ipse uero e muro in sporta a discipulis demissus est, atque ita fugiens salutem est cõsequutus. Vide autem ipsum iam discipulos acquisiuisse: ita totus ardebat, & præconio undequaque erat plenus: ut quo tardius ad id accesserit, eo
Phil.1.c promptior fuerit effectus. Nam etiam si peregrinationem ab hoc mundo cupiebat, hominum tamen etiam salutem amabat: ut propterea talia sę penumero excogitaret, & machinaretur, prędicationi seipsum conseruans: neque humanis uti machinamentis recusaret, quando occasio postulabat.

Cum accessisset uero Saulus in Hierusalem, adhærere discipulis tentabat. sed omnes eum timebant, neq; esse discipulum credebant. Barnabas autem apprehensum ipsum ad apostolos duxit, narrauitq; ipsis quo modo in uia Dominũ uidisset, eumq; esset alloquutus: quo modo item Damasci fideiter in nomine Iesu se gessisset. cum ipsisq; uersans ingrediebatur & egrediebatur in Hierusalem, & in nomine Domini Iesu fiden-
ter loquebatur.

Dignum hic dubitatione est, quomodo in epistola ad Galatas se non abijsse Hierosolyma dicat, sed in Arabiam & Damascum: & post tres Gal.1.d
annos Hierosolyma uenisse, & uisisse Petrum, neminemque alium apostolorum uidisse: nunc uero econtrario dicatur a Barnaba ad apostolos fuisse adductus. Vel igitur ad Galatas inquit, se non abijsse ut conferret: ait enim, nõ retuli ad ipsos, neque ueni Hierosolyma. Vel si hoc non placet, ꝓspicuum est insidias quæ Damasci ipsi intentabantur, non statim posteaq; credidit, ei structas fuisse, sed annis tribus post q̃ ex Arabia rediit. Vel si neque hoc satis ad rem uidetur, dicẽdum est, eum nunc ad apostolos non abijsse, sed tentasse adhærere discipulis cum modeste se gereret, cum tamen nõ esset discipulus, sed magister. Barnabam uero ipsum etiam ad apostolos adduxisse, quibus & quæ uiderat, & quæ fideiter fuerat loquutus, cõmemorauit. Propterea, inquit, abij, ut ad eos qui ante me erant apostoli, uenirẽ: nihil tamen ab illis didici. Vel hũc ascensum ita accipe, ut intelligas eum in Arabiam abijsse, deinde uenisse Damascum, tum Hierosolyma, tũ Syriam petijsse. Vel si aliter uis, ascendisse eum Hierosolyma dicas, deinde Damascum emissum fuisse, postea in Arabiam, tum Damascum rursus redijsse, inde fuisse in Cæsaream profectum: & tunc post quatuordecim annos Hierosolyma Gal.2.a

rursus ascendisse, quando fortasse fratres vnà cũ Barnaba adduxit. Potes etiam alio quodam tempore hoc factum fuisse existimare: quippe cum Historiographus multa cõcise explicet, multaq; tempora simul coniungat. Videtur autem mihi Barnabas antea ipsi fuisse amicus. erat enim mã suetus admodum & benignus: vt filius consolationis cognomento fuerit appellatus. Vnde etiã facile effectum est, vt ad eum Paulus accesserit. Sup.4.g

Loquebaturq; & conquirebat aduersus Græcanicos. at ipsi eum interficere aggrediebantur. Quod cũ resciissent fratres, Cæsaream eum deduxerunt, atq; inde miserunt Tarsum.

Græcanicos id est Ἑλληνιστὰς eos appellat, q̃ græce loquebantur. Id autem Paulus valde sapienter faciebat. nam alij, id est germani ac meri Hebræi ne videre quidem ipsum volebant.

Atq; ecclesiæ quidem per totam Iudæam, Galilæã, & Samariam pacem habebant, ædificatæ, & in timore Domini ambulantes, & spiritus sancti consolatione multiplicabantur. Effectum autem est, ut Petrus pertransiens per omnes ad sanctos quoque peruenerit qui habitabant Lyddæ: inueneritq; ibi hominem quendam nomine Aeneã, qui ex annis octo iacebat in grabbato, & erat resolutus: dixitq; ei Petrus.

Cum inde discessisse Petrum esset dicturus, ne præ timore factum id esse existimares, ecclesias omnes ibi in pace esse inquit. Quando enim belli vis ingruebat, Hierosolymis morabantur apostoli: quando erat pax, alijs quoq; prædicabant.

Aenea sanat te Iesus Christus. surge et sterne tibi. et continuo surrexit. et uiderunt eum omnes qui Lyddæ habitabant, & Assarone: qui ad Dominum conuersi sunt.

Fidem hominis non expectauit, neq; interrogauit, an curari vellet: propterea q̃ nondum prioræ potestatis indicia exhibuerant: vt merito ab homine fides non fuerit requisita: quippe cũ neq; a claudo eam petierint. præsertim cum ad multorum inuitationem factum id miraculum fuerit: insignis enim erat vir. Sicut igitur Christus cum principium signorum fecit in nuptijs, non requisiuit fidem: sic neq; hi. Nam Hierosolymis merito fides ipsorum præcedebat, vt vel vmbra transeuntis Petri aliquem ipsorum obũbraret: quippe cum multa ibi signa edidissent. Hic autem primum hoc est, qd̃ fit. Signa enim efficiuntur, partim vt alij attrahantur, partim vt qui credunt, confirmentur. Ioan.2.a,b Sup.5.c

In Ioppe autem quædam erat discipula nomine Tabetha, quæ ex interpretatione dicitur caprea. ea bonis operibus erat plena & eleemosynis, quas faciebat. Contigit autem illis diebus, ut ægrotarit, & mortua fuerit. cumq; eam lauissent, in cœnaculo posuerunt. Cum uero Lydda iuxta Ioppem esset, discipuli qui audiuerunt Petrum ibi esse, miserunt ad ipsum, rogantes ne usq; ad se uenire grauaretur. At Petrus cum surre

Universidad de Deusto
Biblioteca

xisset, cum illis accessit. quem cum aduenissent, deduxerunt in cœnaculum: astiteruntq; ei omnes uiduæ flentes, & ostendentes tunicas & pallia quæ cum ipsis faciebat Caprea. Eiectis autem omnibus foras Petrus, & positis genibus preces effudit, & conuersus ad corpus, dixit: Tabetha surge. ipsa uero oculos suos aperuit: et intuita Petrum resedit. at ipse porrecta manu ipsam erexit: aduocatisq; sanctis et uiduis uiuã ipsam produxit. notumq; id factum est per totam Ioppen. et multi crediderunt in Dominum.

Quæ dicitur Caprea: significat hanc vigilantem & sobriam fuisse, quemadmodum caprea. multa enim nomina non sine dispensatione quadam imponuntur, quæ rei conuenientem habent appellationem. Contigit igitur vt hæc ęgrotarit, et mortua sit. cumq; eam lauissent, omniaq; quæ mortuis solent, fecissent: tunc accersunt Petrum. id qđ ante q̃ mortua esset, facere noluerunt, indignum ducentes si pro huiusmodi omnibus vexarentur discipuli, et a prædicatione impedirentur. Nam etiam ob hoc inquit, prope eũ fuisse: quasi significare velit, obiter id petitum fuisse: discipula enim erat. Cum vero ostendunt tunicas & pallia quæ cum ipsis faciebat Caprea, id faciunt, vt humilitatem eius declarent, quæ quasi vna ex multis cum ipsis versabatur, ac degebat. Quid igitur facit Petrus? omnes foras eiicit, ne lachrymis ipsorum impediatur, & turbetur. positis autem genibus precatur, propterea q̃ non omnia eadem cum facilitate signa faciebant: tum allo-

quutus ipsã, porrectaq; manu excitauit: atq; ita verbo vitam, manu vires ipsi exhibuit. Aduertẽdum autem nõ apud solos infideles, sed apud sanctos quoq; signa effici, ea dispẽsatione videlicet, vt alij ad fidem inducãtur. ecce enim post signũ hoc multi rursus crediderunt. ita vt fuerint rursus signa ĩfidelibus: quippe qui nõ credidissent, 1.Cor.1.d
nisi signa rursus vidissent. nam sancti etiam sine signis credebant Petrum suscitare eam posse: alioqui eum non accersiuissent.

Effectum autem est, ut dies satis multos apud Simonem quendam coriarium in Ioppe permanserit.

Non apud alium aliquem insignem virum moratur Petrus, sed apud coriarium: vt per omnia nos ad humilitatem inducat: & neque viles erubescere, neq; magnos & claros extolli permittat. doctrina enim eius indigebant, qui ob signa in Christum qui ab eo prędicabatur, crediderãt.

De visione Cornelij in Cæsarea, & visione Petri in Ioppe: De conuersione Cornelij & baptismo, & descensu spiritus sancti in gentiles. Cap. X.

VIR *autem quidam erat Cæsareæ Cornelius nomine centurio ex cohorte quæ dicitur Italica, pius & timens Deum cum tota domo sua: qui eleemosynas multas populo faciebat, & Deum semper precabatur. is per uisum quasi hora nona diei manifeste angelum Dei ad se ingredientem uidit, & sibi dicentem: Corneli: ipse uero intente in ipsum inspiciens, & pauefactus dixit: quid est Domine? at ille ait: pre-*

ces tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in monumentum coram Deo. & nunc mitte Ioppen uiros, et accerse Simonem qui uocatur Petrus: is apud Simonẽ quẽdam coriarium hospitatur.

Non cõmemorantur Aethiops & Cornelius, eo q̃ in dignitate essent constituti: sed quia ex diuitijs, & gloria in qua erant, non fuerunt impediti, quo minus ad piam et religiosam vitam se traducerent. Hic autem non erat Iudæus, neq; ex ijs qui sub lege essent, sed nostram iam vitæ traductionem præoccuparat. Hunc cum oculus veritatis inspexisset bona quidem opera exercentem, sed mortua tamen, quippe quæ fidem nondum haberent: angelum qui operibus præmium exhiberet, misit, ut fide bene certantem coronaret. Id autem facit, vt Petrũ immo imbecilliores ea de re certos reddat. Nona vero hora apparet ei angelus, quãdo videlicet liber a curis in quiete erat, & compunctione. Propterea autem notum facit virum hũc scriptor, ne mentiri eum dicere quispiam possit. vnde dignitatẽ eius manifestat, cũ dicat eũ e cohorte esse quæ Italica dicitur: σπεῖρα enim id est cohors, est militaris ordinis nomen.

Cui domus iuxta mare est. is dicet tibi, quid tibi oporteat facere.

Remotas vrbes persequebantur apostoli cum essent solitudinis & quietis amici. Quid vero si contigisset alterum esse Simonem? propterea signum subiungit, q̃ apud mare habitet. nõ dixit

autem, cur id facere debeat, ne ipsum negligẽtiorem reddat, sed permisit, vt in desiderio audiendi permaneret.

Vbi autem discessit angelus, qui colloquebatur cũ Cornelio, cum uocasset ille duos ex domesticis, & militem pium, ex ijs qui ipsi apparebant, narrasset̃q; ipsis omnia, Ioppen misit.

Vide humilitatem. nõ enim dixit vocate mihi Petrum: nõ enim ex auctoritate & dignitate sibi eum accersendum censebat. propterea narrauit ipsis omnia, vt p̃suadere ei posset: adeo erat modestus. cum tamen nihil magnum & superbum cõcipere de eo homine alioqui deberet, qui apud coriarium diuertisset.

Crastina autem die illis iter facientibus, urbiq; appropinquantibus, ascendit Petrus in superiora tectã hora circiter sexta ut preces effunderet. cumq; esuriret, uoluit gustare. Dũ illi aũt præparãrẽt, incidit in ipsum mẽtis excessus: et uidet cœlũ apt̃ũ, & descẽdere ad se uas quoddam tanquã linteum magnum, quatuor initijs alligatum, & demissum in terram, in quo erant omnes quadrupedes & bestiæ, & reptilia, et uolucria cœli. factaq; uox ad ipsum est.

Excessus mentis, id est, ἔκστασις & stuporem ex admiratione significat, & quando quis extra sẽsibilia ad spiritualia attractus excedit. Ex hoc ostenditur spiritualem quandam quasi contem-

plationem ei contigisse, cum anima a corpore quodam modo excessisset. videt enim linteum illud totius orbis terrarū figuram, in quo quatuor initia quatuor elementa significant. nam quod apparuit vas, crassiorem hunc mundum, diuersa animalia hominum constitutionem declarāt. Vel vt apertius dicā, linteum est ecclesia: bestiæ quæ in ipso erant, illi qui ex gētibus crediderūt. Ecclesiam igitur vidit Petrus quatuor euangelijs alligatam, in qua gentes omnes inerant.

Surge Petre macta & comede. at Petrus dixit, nequaquā Domine, propterea q; nunquā omne commune uel immundum commedi. Et uox rursus secundo ad eum. Quæ Deus purificauit, tu communia ne feceris. Atq; hoc ter effectum est, & rursus uas in cœlum est receptum. Cum uero secum dubitaret Petrus, quidnā esset uisio, quam uidisset, ecce uiri missi à Cornelio cū requisiuissent domum Simonis ad uestibulum astiterunt: & uocantes scisitabantur, an Simon qui uocaretur Petrus, illic hospitaretur. Petro uero cogitanti de uiso dixit spiritus: Ecce uiri te quærunt: surge, & descende, & uade cum ipsis nihil dijudicans, propterea q; ego eos misi. Cumq; descēdisset Petrus ad uiros qui missi fuerūt a Cornelio, dixit: ecce adsum, quem quæritis. quæ causa est, ob quam adestis? at illi dixerunt: Cornelius centurio uir iustus & timens Deum, & qui a tota gente Iudæorum testimonio comprobatur, oraculum ab angelo sancto accepit, ut te in domum suam accerseret, atq; ex te uerba audiret. Quos cum introduxisset

introduxisset Petrus, hospicio excepit. Crastina autē die egressus cum ipsis est. & nonnulli fratres ex Ioppe cum eo simul abierunt. & sequenti die Cæsaream ingressi sunt. Cornelius uero conuocatis cognatis & necessarijs amicis ipsos expectabat. Cumque effectum esset, ut ingrederetur Petrus, obuiam ei ueniens Cornelius ante pedes procidit & adorauit. at Petrus eum excitauit, surge inquiens, & ego ipse homo sum. & colloquens cum ipso ingressus est: et conuenisse multos inuenit: ad ipsosq; ait. Vos scitis quā interdictum sit uiro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam. & mihi deus ostendit, nullum communem, aut immundum hominem dici debere. unde accersitus sine ulla recusatione acceßi.

Terra est linteum: bestiæ quæ in ipso erant, ex gentibus ecclesia. cum vero inquit (macta & comede) illos quoq; id est gentiles accedere oportere ostendit. q; vero ter factum id fuit, baptisma significat. Quando autem dubitabat Petrus, homines hi opportune ad eum venerunt, dubitationem soluturi: facile enim sic anima solutionem admittit. prius autem in hæsitatione constitutus fuerat, vt etiam Ioseph: qui cum prius turbari Matth. 1.c
fuisset permissus, aduentu angeli postea ea de re factus est certior. Vocantes scisitantur, vtpote in domo vili domesticos in inferiore parte interrogabāt, non à vicinis requirebant. Multa vero potestas spiritus ostenditur, cū ait (ego eos misi.) Sed cur Petrus cum descēdisset, qua de causa il-

luc accessissent, interrogat vt videlicet si res vrgeret, nullam moram faceret, sed simul statim cũ ipsis exiret: sin minus, in domum prius hospitio susciperet. Vt autem fratres nonnulli ex Ioppe eum sequerentur, non sine dispẽsatione effectum est. vt quãdo Petrus se ad discipulos esset expurgaturus, testes ipsi essent, a spiritu fuisse definitum, ne inter Iudæos & gentiles vlla fieret dñudicatio. GREGORII Nissæi. Bestias, id est bestialem et irrationalem speciem hominum mactare Petrus iubet, vt ipsis expurgatis, quod reliquum est, esui aptum efficiatur. EIVSDEM. Simpliciter atq; aperte pietatis ratio traditur, cũ non semel dixerit diuina vox, non esse commune id qd' Deus purificauit, sed ter: vt intelligamus, prima voce Deum patrem: altera Deum vnigenitũ: tertia spiritum sanctũ purificare. Fortasse genibus flexis orans visum hoc inspexit: vnde & vox dixit, surge Petre, macta & comede. Diuinum autem id esse ostenditur, cum & desuper videat, & in excessu mentis. et q̃ vox inde emissa fuerit, et ter impura minime esse illa confirmarit: & inde illa venerint, & illuc postea fuerint attracta, purificationis magnum indicium est. Id autẽ propter eos fit quos instructurus postea est. Nã ipse audiuerat, in viam gentium ne abieritis. Q uòd vox autem ter insonuerit, visionis illius veritatem ipsi manifestat. Perspicuum sanè est nõ ad omnes cibos pertinere, qd' inquit (nũquam commune & immundum comedi) vt & boues & capras & oues & aues communia & immunda ab eo dicantur, eo q̃ ex Iudæis erat

Matt. 10.a

Petrus: quippe cum Iudæi carnes comedant, & carniũ esus apud ipsos minime sit interdictus. cum igitur vel ipse a principio comederit, vel quoad ad Saluatorem nostrum accessit, cur non esse planum debet, non de omnibus, sed de ijs tantum quæ lex communia & impura appellabat, dictum hoc a Petro fuisse? Q uocirca cum de his tantum loqueretur Petrus, quæ in lege communia & immunda habebantur, Deus sanctæ Christi Ecclesiæ formam ac notam ipsi tradens, vt nihil immundum existimaret, præcepit: quippe cũ omnia ei sint pura & munda, quæ cum gratiarũ actione et benedictione sumuntur. Nam q̃uis de gentium vocatione hic latens significatio sit, ne scilicet eos qui in præputio erant, communes & impuros arbitraretur: oratio tamen Petri non de hominibus, sed de ijs quæ in lege erãt interdicta, loquitur: sicut demonstratum est.

1. Tim. 4.b

Requiro igitur qua de causa me accersiueritis.

Omnia iam etiam a militibus audiuerat Petrus: vult tamen vt primum ipsi confiteantur, secq; fidei addicant.

Et Cornelius dixit, die abhinc quarto usq; ad hãc horam ieiunans, & nona hora preces effundens in domo mea eram.

Videtur hic vitæ exactioris & perfectioris tẽpora sibi præfiniuisse, & in quibusdam diebus. Propterea enim inquit (quarto abhinc die.) quando enim apparuit ipsi angelus, is vnus dies erat: & quando missi a Cornelio abierunt, is item al-

ter: quando venerunt, tertius, & quartus, hora circiter tertia: post quam precibus incumbebat. Vide magnitudinem et vim precum: vt quando sese religioni, & pietati dedidit, angelus ei apparuerit.

Et ecce uir coràm me constitit in ueste splendida, & dixit.

Vir, inquit, & non angelus, ob humilitatem.

Corneli, exaudita oratio tua est, & eleemosynæ tuæ coràm Deo cõmemoratæ sunt. Mitte igitur Ioppen, & Simonem accerse, qui cognominatur Petrus. is in domo Simonis Coriarij apud mare hospitatur: qui cum accedet, loquetur tecum. Ex ipso ergo die ad te misi: & tu recte feciſti cum aduenerís. Nunc igitur omnes nos coràm Deo adsumus, ut omnia mandata tibi a Deo audiamus. Aperto autem ore suo Petrus dixit: Re uera comperio, non esse personarum acceptorẽ Deum, sed in omni gente eum qui timet Dominum, operaturq; iustitiam, ipsi esse acceptum.

Deu.10.d
2.Pa.19.c
Iob.34.b
Sap.6.b
Eccle.35.b
Rom.2.b
Gala.2.b
Epheſ.6.b
Coloſ.3.d
1.Pet.1.c

Iustitiam operatur, id est, omnem virtutem exercet.

Verbum quod misit filijs Israel euangelizans pacẽ per Iesum Christum, hic est omnium Dominus. Vos nostis quod factum est uerbum per totam Iudæam, incipiens a Galilæa, post baptisma quod prædicauit Ioannes, Iesum e Nazareth.

Hæc eorum qui aderant, causa dicit, vt eos

quoq; in fidem inducat. filijs tamen Israel principatum attribuit, ne loco abiectorũ ipsos quoq; esse existiment: hic est inquit, omniũ Dominus.

Quo modo unxerit eum Deus spiritu sancto & potestate. qui pertransiit beneficio efficiens, & sanãs omnes qui a diabolo erãt oppressi. quoniam Deus erat cum illo. nosq; omnium quæ & in Iudæorum regione & Hierusalem fecit, testes sumus. quem suspensum in ligno interfecerunt. eum Deus tertio die suscitauit: deditq;, ut manifestus fieret non omni populo, sed testibus a Deo præordinatis nobis.

Vnctum fuisse Iesum spiritu sancto a Deo, quantum ad humanitatem spectat, est intelligendum. Cum enim se ipsum exinaniuisset, & non secus ac nos carnis & sanguinis factus particeps fuisset: quæ ex natura sua vt Deus habebat, ea quatenus homo, dicitur accepisse. quippe cum non sibi ipse quatenus est Deus, ea susceperit, propria enim sua erant: sed nobis, vtpote qui in primitijs per eum constituti simus.

Quicũq; cum eo simul comedimus & bibimus, postquã a mortuis resurrexit. & præcepit nobis, ut prædicaremus populo, & testaremur eum esse illum, qui iudex uiuorum & mortuorum a Deo fuisset destinatus.

Hinc resurrectionem Christi confirmat, ex eo ꝙ simul cum eo post resurrectionem comederãt. non enim signum aliquot post resurrectionem

fecit: quippe cum resurrectio ipsa magnum satis signum fuerit: cuius sanè nullum perinde esse indicium poterat, vt comedere & bibere.

Huic testificantur omnes prophetæ, q̃ remissionem peccatorum per nomen eius unusquisq; acceperit, qui in eum credit.

Hier.31.f
Mich.7.d

Quotquot prophetæ de remissione peccatorum loquuti sunt, in hoc Iesu omnes remittenda peccata esse dixerunt. Ita & Esaias persona eius introducta inquit: Ego sum, qui peccata tua & iniquitates tuas deleo.

Esai,43.d

Adhuc loquente Petro uerba hæc spiritus sanctus in omnes qui audiebant, incidit. & stupuerunt qui ex circũcisione erant fideles, quicũq; uenerant simul cum Petro, q̃ etiam in gentes donum spiritus sancti effusum fuisset: audiebant enim ipsos linguis loquentes & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus: nũquid prohibere aquam quispiam potest? quo minus baptizẽtur hi qui spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? iussitq; ut ipsi in nomine Domini baptizarentur. Tũc requisiuerunt, ut per aliquot dies ibi permaneret.

Quando crediderunt baptisma omnino peccatorum remissionem afferre, tũc spiritus ei aduenit. id autem fit Deo magnam Petro defensionem procurãte. Neq; simpliciter spiritus accessit, sed ita, vt linguis etiam loquerentur. id quod eos qui cum Petro venerant, in admirationem et stuporem induxit. Vnde etiam Petrus præcepit,

vt statim in nomine Domini baptizarentur. & non dixit, quid opus est aqua, cum spiritus sanctus in ipsos aduenerit? Nouerat siquidem diuina in baptismate mysteria ac sacramenta inesse, sepulturam videlicet & mortificationem, & resurrectionem & vitam. Quemadmodum enim facile nobis est demergi & emergi: ita Deo sepeli re veterem hominem, & nouum proferre facile est. Ter autem id fit, ut patris & filij & spiritus sancti potentia id fieri intelligamus: alij ea causa dicunt, vt Christi resurrectio quæ hoc in nobis efficit, triduana significetur.

De disceptatione Petri cum Apostolis, quibus de Cornelio omnia recenset: de Barnabæ missione in Antiochiam: de prædictione famis ab Agabo. Cap. XI.

Audiuerunt autem apostoli & fratres qui erant in Iudæa etiam gentes uerbum Dei admisisse. & cum rediit Petrus Hierosolyma, disceptabant aduersus ipsum qui erant ex circũcisione, & dicebant: ad uiros præputium habentes ingressus es, & simul cum ipsis comedisti. Cũ incepisset uero Petrus, seriatim rem exposuit: dicens. Ego eram in urbe Ioppe orans. et uidi in excessu mentis uisum: descendens uas quoddam quasi linteum magnum quatuor initijs e cœlo demissum, q̃d ad me usq; deuenit. in quod intente inspiciens animaduerti, & uidi quadrupedes terræ & bestias, & reptilia, & uolucria cœli: & audiui uocẽ dicentẽm mihi: Surge Petre, macta & comede. at ego dixi, nequaquã Domine, propterea q̃ omne commune

uel immundum nunqnam in os meum est ingressum. Respondit q; mihi uox secundo de cœlo: quæ Deus purificauit, tu communia ne existimes. Atq; hoc ter effectum est. Et rursum in cœlum omnia subtracta sunt. Et ecce euestigio tres uiri ad domum astiterunt, ubi eram, missi ad me Cæsarea. dixit q; mihi spiritus simul cum ipsis ut abirem nihil dijudicans. & sex etiam fratres hi mecum uenerũt. ingressiq; in domũ uiri sumus. at ille narrauit nobis, quo modo angelum in domo sua stantem uidisset, ac sibi dixisset: Mitte in Ioppen uiros, & Simonem accerse qui cognominatur Petrus, qui loquetur uerba ad te, quibus tu et tota domus tua salutem consequetur. Dum uero ego incepissem loqui, decidit spiritus sanctus in ipsos, non secus atq; in nos a principio, Et recordatus uerbi Domini sum, cum diceret. Ioannes quidem baptizauit aqua, uos uero spiritu sancto baptizabimini. Quòd si æquale donum dedit ipsis Deus, quemadmodum & nobis, qui credidimus in Dominum nostrum Iesum Christum: ego quis eram, qui prohibere Deum possem? Cum uero illi hæc audiuissent, quieuerunt, & Deum glorificarunt, dicentes. Ergo etiam gentibus Deus pœnitentiam in uitam cõcessit.

Supra ca. 1. a

Defensione hac sua Petrus se nusquam, sed ubiq; Deum in causa fuisse ostendit. in excessum enim mentis inquit, ipse me induxerat. ipse vas produxit. ego contradixi: ipse rursus loquutus est. ego neq; ita sum obsequutus, sed discedere

me iussit spiritus. et ꝓfectus neq; ita cucurri. dixerunt illi Deum eos misisse, ego neq; sic eos baptizaui: sed Deus omnia est exequutus. Deus ipse baptizauit, non ego: propterea q; me adhuc loquente spiritus sanctus in ipsos decidit, ita vt & linguis loquerentur, & Deum quemadmodum & nos, glorificarent.

Atq; illi quidem qui ab oppressione quæ contigerat in Stephano, fuerant dispersi, usq; in Phœnicem et Cyprum & Antiochiam pertransierũt, nemini nisi tãtũ Iudæis uerbum loquentes. Erant autem ex ipsis quidam uiri Cyprij & Cyrenæi, qui ingressi Antiochiam ad Græcanicos loquebantur Dominum Iesum euangelizantes. eratq; manus Domini cum ipsis. & multus numerus credens conuersus ad Dominum est.

Græcanicos fortasse appellabant. i. ἑλληνιστάς, eos qui loqui Hebraice nesciebant. ad eos igitur loquebantur Dominum Iesum euangelizantes, crediderunt q; omnes. Quoniam manus, vt inquit, Domini erat cum ipsis: id est signa faciebant. propterea enim signorum necessitas fuit, Vt ad fidem inducerentur.

Quod cum de ipsis ad aures ecclesiæ peruenisset quæ erat Hierosolymis: miserunt Barnabã, ut usq; Antiochiam proficisceretur. Qui cum accessisset, & uidisset gratiam Dei lætatus est: hortabatur q; omnes ut proposito cordis in Domino permanerent: quia erat uir bonus & spiritu sancto plenus & fide. & adiun-

cta multa satis turba Domino est. In Tarsum autem profectus est Barnabas, ut inquireret Saulum: cumq; eum inuenisset, duxit Antiochiam. Effectumque est, ut annum totum conuersati in ecclesia fuerint, & multã turbam docuerint.

Cur nõ Paulo scribunt, sed Barnabã mittũt? propterea q̃ nondum viri virtutem nouerant. Cum vero inquit (quia erat vir bonus) non repugnat ei qđ dicitur, nullus bonus nisi solus Deus: quippe cum non idem sit Deum esse bonum, & hominem. ille enim substantia & essentia est bonus, cum initium & fons bonorum omnium sit: homo vero vt bonus sit, non ex substantia, sed ex virtutum acquisitione habet, & participatione. non enim absolute est bonus. In hunc igitur sensum & quod dicitur (bonus homo) & (Euge serua bone & fidelis) & huiusmodi cætera accipies.

Matt.19.b Mar.10.b Luc.18.d

Matt.12.c Luc.6.g Matt.25.b Lu.9.b

Primumq; in Antiochia nomen discipulis imposuerint, ut Christiani appellarentur.

Pauli quoque hoc fuit præclarum factum, vt quasi quoddam signum nomẽ hoc in tantam altitudinem sustolleret. In Iudæa enim cum tot essent qui crederent, nihil tale effectum est, sed uiæ eius homines uocabãtur. Aduertendum autem ob id præcipue Antiochiam regia sede fuisse dignatam, quia primum ibi ut appellarentur Christiani discipuli, constituerunt. quod nomen sanè multideitati, ideſt multorum deorum religioni contrarium est.

His diebus Hierosolymis prophetæ Antiochiam deuenerunt. quorum unus cum surrexisset Agabus nomine, ex spiritu significabat, famem magnam per totũ orbem terrarum futuram esse: quæ sub Claudio Cæsare contigit. Ex discipulis autem prout abundabat unusquisq;, statuerunt singuli in ministerium mittere fratribus qui in Iudæa habitabant. id qđ etiam fecerunt.

Nõ est contrarium huic, illud quod dictum a Domino est, lex & prophetæ vsq; ad Ioãnem: quippe cum id de prophetis illis dixerit, qui aduẽtum eius prẽnunciauerãt. Ne autem propterea existimarent famẽ contigisse, quia Christianorum cultus fuerat introductus, eam spiritus sanctus prædicit, hoc et Christus prædixit, non quia a principio euenire oportebat, sed ob mala quæ aduersus Apostolos fiebant. Deus enim vindictã differebat & tolerabat. Posteaquam vero ingruẽbãt, fames magna oritur futura mala Iudẽis prẽnuncians. Nam si ob Christianos euenisset, prorsus tunc cessare debuerat: quippe cum bene se gerere aduersarij eius magis viderentur, eo q̃ quod debebant, faciebant: interficiebant, puniebant, cruciabant, vndecunq; persequebantur. Sed ob hoc ipsum fames inciderat, etiam si miseri ipsi non intelligebant: & simul cum ipsis Christiani patiebantur.

Matt.11.b

Matt.24.a Mar.13.b Lu.21.d

Mittentes ad præsbyteros per manus Barnabæ & Sauli.

Aduertendum, apostolos præsbyterorum dignitatem habuisse. in alijs etiam capitibus diaconorum, & episcoporum gradum obtinuisse eos adnotatum est.

De Iacobi occisione, & Petri comprehensione ab Herode, liberationeq; eius e vinculis ab angelo facta: de acerba & pernicioſa Herodis morte. Cap. XII.

SVB illud autem tempus Herodes rex manus iniecit, ut quosdam ex ecclesia affligeret.

Illud tempus vocat tempus sub Claudio Cæsare. Caius Imperator Romanorum Agrippam Iudææ regem constituit, Herode ob turpitudinẽ vitæ vnà cum vxore Herodiade Lugdunum in Galliam relegato. Hic erat ille qui tempore quo passus est Dominus, erat rex, vt in decimo octauo libro antiquitatum Iosephus, & in secundo historiæ ecclesiasticæ Eusebius memorię prodiderunt. Vel igitur diuersitas nominis hic est, vt p Agrippa Herodes dicatur: vel error, vt par est, scriptorius contigit: vel ex duplici nomine dictũ est. Nam & tempus & gesta Agrippã sub Claudio Cæsare significant, qui post Caium fuit Imperator.

Et Iacobum fratrem Ioannis gladio interemit. & cum rem gratam esse Iudæis uidisset, adiecit animum, ut etiam Petrum comprehenderet: erant autem dies Azymorum: quem cum comprehendisset, in custodiam posuit.

Ne aliquis dicere posset, propterea tuto et au-

dacter morti eos sese exponere, quia a Deo eripiuntur & liberantur. ideo permittit Deus, vt et principes ipsorum interimantur: interfectoribus se non prohibere ostendens.

Quatuor militum quaternionibus custodiendum eum tradens: cum post Pascha producere eum ad populũ uellet. Ac Petrus quidem in custodia obseruabatur. preces autem assiduæ pro ipso ad Deum fiebant. Quando uero ipsum Herodes erat producturus: nocte illa dormiebat Petrus inter duos milites, duabus catenis uinctus: & custodes ante ostium custodiam seruabant. & ecce angelus Domini astitit, & lux in domicilio efulsit: percussoq; Petri latere excitauit ipsum, dicens: surge celeriter: & catenæ e manibus eius deciderunt.

Quatuor quaternionibus, id est, sexdecim numero. quater enim quatuor sexdecim euadunt. fortasse quia per singulas custodias, id est, p unũ quodq; trium horarum spatiũ quatuor erant vigiles, qui custodiebant. tres horæ enim vigiliam vnam constituebant: vt in spatio totius noctis duodecim horarum quatuor vigiliæ contineren tur. in quibus singulis per vices quatuor milites custodiẽtes, omnes simul numero sexdecim erãt. Petrus autem non erat in solicitudine, neq; in timore constitutus, sed tota re in Dominum reiecta dormiebat securus. Efulsit, inquit, vt & videret & audiret Petrus, neq; visionem esse existimaret. Quòd vero ait (celeriter) non trepidantis Psal. 54. d

est, sed suadentis ne cunctetur. Vide autē Iudęos in diebus Azymorum huiusmodi facinora machinari.

Dixitq; angelus ad ipsum: præcinge te, & calcea te sandalijs tuis. ille autem ita fecit. dixitq; ipsi: induete pallio tuo, & sequere me. et egressus sequebatur eū. & uerum esse id qđ per angelum fiebat, ignorabat: sed uisum se uidere opinabatur. Cum transiuissent autem primam custodiam & secundam, ad portam ferream deuenerunt, quæ ad urbem deducit quæ sponte aperta ipsis est. & egressi processerunt in uicum unum. & confestim ab ipso angelus discessit. & Petrus in se reuersus dixit: Nunc scio uere angelum suum misisse Dominum, & de manu Herodis omnique Iudæorum expectatione me eripuisse.

Matt.10.b
Mar.6.a.b
Luc.9.a

Cum discipulis Dominus dixerit: ne possideatis aurum, neq; argentum, neq; duas tunicas, neque calceos, neque zonam, neque virgam: quo modo Petrus pręter hoc præceptum faciebat, cū pallia & zonam & calceos haberet? Paulus quoque cum Timotheo mandat ita scribens: pe-

2.Tim.4.c

nulam quam Troade apud Carpum reliqui, cū veneris, tecum affer: ecce, penulam habebat. neque potest dicere quispiam, nihil aliud eum habuisse quod gestaret. Quid igitur? nūquid non obediebāt Christo? Obediebāt sanè. sed mandata illa pro tempore data fuerant, non vt in perpetuum seruarentur. Atque hoc verum esse Lucas ipse Euangelista testatur. Inquit enim Christum

discipulis dixisse: quādo misi vos sine marsupio & pera & zona & calceis, nūquid defuit vobis? dicunt ei: non. at ille inquit ipsis: igitur posthac ipsa hæc possidete. Sed qua de causa hoc tūc mādauit? quia ostendere ipsis potentiam suam volebat. Nam si alioqui vnam tunicam habere Paulus debuisset, & abluere ipsam opus fuisset: nūquid vel nudum eum domi cōsidere oportuisset, vel vrgente necessitate nudum circumuagari, & indecore se gerere? non sanè decebat eum qui tanta cum vtilitate, totq; præclare gestis orbem terrarum circūibat, ob indumenti inopiam domi se continere, totque necessarijs negocijs impedimento esse. Quid? si tempestas vehemens ingruisset, & vel pluisset, vel ninxisset? quam gestabant tunicam quo pacto potuissent exiccare? an eodem modo nudū domi opotuisset cōmorari? Quid? si frigus vehemens corpus inuasisset, nunquid obrigescendum fuisset, nihilque dicendum? sed quid hoc fuisset molestius? non enim adamantina corpora ipsis erant. nunquid fuisset moriendum? minime. Sed hoc, sicut dictum est, tunc præcepit, vt potentiam suam ipsis ostenderet: q; etiā sic nihil ex necessarijs ipsis esset defuturum.

Luc.22.d

Cūq; id secum considerasset, uenit ad domum Mariæ matris Ioannis qui Marcus cognominabatur, ubi multi erant collecti, qui preces effundebant. cūq; pulsasset fores ostij, accessit puella ad respondendum nomine Rhode. quæ agnita uoce Petri præ gaudio non aperuit ianuam, sed intro recurrens astare Petrum

ante fores annunciauit. At illi ad ipsam dixerunt: insanis. illa autem sic rem se habere, confirmabat.

Quid sibi vult quod inquit, (cũ secũ considerasset:) ut ostendat, non simpliciter ita esse abeundum, sed beneficij memoria repetita considerandũ, quo modo beneficio gratias referamus. Qui Marcus cognominatur, inquit, ut non esse eius Ioannis matrem ostendat, qui cum ipsis semper uersabatur: sed alterius qui Marcus dicebatur: q euangelium uidelicet secundum Marcum conscripsit, Barnabæ consobrinus. De quo Paulus
2. Tim. 4. c ad Timotheum: Marcum assumens, inquit, tecũ adduc. est enim mihi ad ministerium utilis.

Ipsi uero dicebãt: angelus eius est. At Petrus perseuerabat pulsare. cumq; aperuissent, uiderunt ipsum, & obstupuerunt. Innuens autem ipsis manu ut tacerent, narrauit ipsis, quo modo ipsum Dominus e carcere eduxisset. dixitq;, annunciate hæc Iacobo, & reliquis fratribus. & egressus in alium locum profectus est. Orto autem die turbatio non parua inter milites erat: quid nam Petro euenisset. Herodes uero cũ ipsũ requisiuisset, & nõ inuenisset, examinatis custodibus, abduci eos ad pœnam iussit. Et descẽdens e Iudæa in Cæsaream, commorabatur. Indignabunde enim cum Tyrijs & Sidonijs pugnabat. at illi unanimiter ad ipsum accesserunt, & suaso Blasto qui cubiculo regis erat præfectus, pacem petebant, eo q regio ipsorum e regia ditione aleretur.

Hinc

Hinc planum fit, unumquemque nostrum angelum habere. Illi enim ex occasione hoc existimabant. inquit enim, ubi sunt congregati aliqui Matth. 18. c
in nomine meo, illic ego in medio illorum sum: ubi uero est Christus, angeli quoque sint, & omnes potestates, necesse est. Petrus autem in alium locum abijt, quia tentare Deũ nolebat. Poterat autem Deus custodes quoque eripere et liberare. sed si id factum esset, fuga potius q̃ miraculum uisum fuisset. Maiore enim dolore torquebatur, q illusus fuerat, nõ secus atque auus ipsius a magis, q que ludibrio esse uidebatur.

Constituto autem die Herodes ueste regia indutus, & sedens pro tribunali ad ipsos concionabatur. populus uero acclamabat, Dei uox, et non hominis. Cõtinuo autẽ angelus Domini eum percußit, propterea q non dedit gloriam Deo. & uermiculari morbo cõsumptus expirauit. Verbum autem Dei crescebat & multiplicabatur. Barnabas uero & Saulus reuersi sunt ex Hierusalem cum expleuissent ministerium, assumpto secum etiam Ioanne, qui cognominatus est Marcus.

Populus acclamabat, sed quid ad ipsum attinebat, si illi clamabant? quoniam videlicet vocem eam admittebat, secq; ea adulatione dignum existimabat. Cæterum cur non etiam adulatores puniuntur? vtriq; quidem digni pœna erant, sed quia hic iudicij non est tempus, ille tantum qui crimini maxime erat obnoxius, supplicio affi-

K

citur. Q d' si hic eo cp acclamationem eam (vox Dei, & non hominis) tantum audiuerat, & nihil ipse insolenter fuerat loquutus, tam grauiter est ictus: quanto magis Christus, si Deus nō fuisset, perpessus huiusmodi percussionem esset, cum ipse semper diceret: verba hæc non sunt mea: & angeli mihi ministrant. Tunc tertius agebatur annus regnanti Agrippæ in Cæsarea, quæ prius Stratonis turris vocabatur: cūcp illic spectacula in honorem Cęsaris celebraret, secundo spectaculorum die stola indutus, quæ tota ex argento ita erat contexta, vt mirabilem speciem præ se ferret, die oriente in theatrum est progressus. cumcp ibi primis solarium radiorum appulsioni bus argentum illustraretur, mirum in modum efulgebat, coruscationēcp quandam, & horrorē inspicientibus afferebat. Vnde statim adulatores hinc inde acclamabant, deumque ipsum appellabant. dicebant enim, licet hucusqp te vt hominem timuerimus, nūc tamen superiorem natura te esse confitemur. cumcp hæc atcp huiusmodi iactarent, non increpauit eos rex, necp impiam hanc adulationem elt auersatus. Quocirca cum paulo post suspiceret, supra caput suum angelū in funiculo quodam insidere conspexit. hunc statim malum, sibi esse, & pernicioſum intellexit. cordis igitur dolore affectus, & ventris vehemētibus torminibus exagitatus, ad amicos exiliēs: Ego, inquit, apud vos deus commutare vitam iam cogor. iam fatum voces quas de me effundebatis, falsas esse coarguit. qui enim a vobis vocabar immortalis, iam ad mortem abducor.

Ioan. 7. b
Matt. 26. e

De Barnabæ & Pauli missione in Cyprum a spiritu sancto: vbi Paulus Elymam magum excęcat: de conuersione eorundem ad gentes cum Iudæi admittere prædicationem eorum nollent.

Cap. XIII.

ERANT autem in ecclesia quæ erat Antiochiæ prophetæ & doctores, Barnabas, et Simō qui uocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manaen Herodis tretarchæ collactaneus, & Saulus.

Ecce mores vniuscuiuscp, non educatio a pueritia est quæ salutem afferat. Vide enim, Manaen cuius nam cum esset collactaneus, prophetia tamen dignatus est.

Dum autem administrarent ipsi Domino, & ieiunarēt, spiritus sanctus dixit: separate iam mihi Barnabam & Saulum ad opus, ad quod ipsos aduocaui. Tūc cum ieiunassent, & preces effudissent impositis super ipsos manibus dimiserunt. Atcp hi quidem emissi a spiritu sancto Seleuciam deuenerunt, atcp inde in Cyprū nauigarunt. & cum uenissent Salaminam uerbum Dei in Iudæorum synagogis annunciabant. habebant autem & Ioannem ministrum. cūcp insulam uscp Paphum pertransiuissent, magum quendam falsum prophetam Iudæum inuenerūt, cui nomen erat Barieſus: qui cum proconsule Sergio Paulo prudente uiro erat. is cum aduocasset Barnabā & Saulum requisiuit, ut uerbū Dei audiret. sed ipsis resistebat Elymas magus, ita enim nomen eius interpretatur: studens proconsulē a fide distorquere.

Dum administrarent, id est, λειτουργούντων, dum munus suum obirent, id est, prædicarent, ad opus autem inquit, id est, ad apostolatum. Sed a quo creat & eligit Paulus? a Lucio & Manaë: imo vero a spiritu. creatur autem & declaratur apostolus, vt cum potestate possit prædicare. In Seleucia non morantur, cum scirent se ex vicina vrbe magnam vtilitatem esse consequuturos.

Saulus autem qui & Paulus dicitur, repletus spiritu sancto, & intente in ipsum inspiciens dixit: o plene omni dolo & omni uersutia fili Diaboli, omnis iustitiæ inimice, non ne cessabis uias rectas Domini disturquere? Et nunc ecce manus Domini contra te: & eris cæcus: & solem usq; ad tempus non uidebis. & continuo in ipsum caligo & tenebræ inciderunt: & circumiens deductores quærebat. Tunc proconsul cũ uidisset id qđ factum fuerat, credidit, super doctrina Domini admiratus. Paulus autem et qui cum eo erãt, cum a Papho soluissent, Pergen Pamphyliæ uenerunt.

Saulus qui & Paulus dicitur) vt neq; hac parte reliquis apostolis minus habeat Paulus, mutat ei nomen Deus, et Saulum Paulum appellat. vt quod prȩcipuum habebat princeps discipulorum, id etiam ipse habeat: & maioris coniunctionis argumentum accipiat. Vt autem ostẽdat verba hæc Pauli quæ aduersus Elymam magum dicuntur, non ex ira & indignatione dici, iccirco prævccupat, & inquit, (spiritu sancto repletus) quippe cum verba hæc nõ punientis sint, sed castigare & conuertere volentis, si enim vindicare & punire voluisset, in perpetuum eum cæcum reddidisset. nunc vero non id facit, sed quoddam ad tempus excæcat, vt, pconsulem moueat, atq; ad fidem adducat. Nam vsque ad tempus dixit, quo animo terminum daret, vt in se luminis receptionem tantisper haberet, quæ mores in melius permutaret. quo enim signo ipse est ad fidem inductus, eodem hunc quoq; voluit inducere: non igitur pœna fuit, sed sanatio.

Ioannes autem ab ipsis recedens Hierosolyma est reuersus. ipsi uero Perga profecti in Antiochiam Pisidiæ deuenerunt. & ingressi in synagogam die sabbatorum consederunt. post lectionem autem legis & prophetarum principes Synagogæ ad ipsos miserunt et dixerunt: uiri fratres, si uerbum adhortationis ad populum in uobis est, dicite.

Hic est Ioannes qui & Marcus vocatus est, Barnabæ consobrinus, qui euangelium secũdũ Marcum etiam conscripsit: & discipulus principis apostolorum Petri fuit. De quo ipse in epistola inquit: Salutat vos Marcus filius meus. Is igitur, cum Paulus in lõgius iter, pficisceretur, cui esset minister, ab ipsis recedit, propterea q; ferre pericula & labores non poterat. 1.Pet.5.d

Cum surrexisset autem Paulus manu silentio indicto ait: Viri Israelitæ & qui timetis Deum, audite. Deus populi huius patres nostros elegit, & populum exaltauit cum esset aduena in terra Aegypto: et cum Exod.1.a Exod.15.d Exod.16.a

brachio excelso ipsos inde eduxit. & per quadraginta circiter annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto. & cum destruxisset septem gentes in terra Chanaan, terram eorum in hæreditatem ipsis dedit. & post
Iosue.14.a
hæc annis ferè quadringentis et quinquaginta, Iudices
Iudic.3.b
dedit usq; ad Samuelem prophetam. Et inde petierunt
1.Re.8.a
regem, & dedit ipsis Saul filium Cis uirum e tribu
1.Re.9.c 10.a
Beniamin per annos quadraginta.

Hic primum in Antiochia Pisidiæ prædicat Paulus. In synagogas autem habitu Iudæorum ne ejiceretur, sunt ingressi. atq; ita bene rem gesserunt. Septem gētes autem Chetæos, Pergeseos, Amorrhæos, Chananæos, Pherezæos, Euæos, & Iebusæos intelligit.

Et Amoto eo ipsis Dauid in regem excitauit: cui
Psal.88.b
dixit etiam attestatus, inueni Dauid Iessæ uirum ex
1.Re.16.c
corde meo: qui omnes uoluntates meas faciet. Ex semine huius Deus ex promissione saluatorem Iesum Israe-
Matth.3.a Mar.1.a Luc.3.a
li eduxit, cum Ioannes ante faciem ingressus eius baptisma pœnitentiæ populo Israel prænunciasset.

Aduertendum, nusq; in libro regum hæc verba reperiri, nisi tantum prophetice a Samuele ad Saul dicta, in hunc modum: & nunc regnum
1.Re.16.f
tuum non stabit. & quæret Deus sibi hominem ex corde suo. & mandabit ipsi Dominus in principem supra populum suum: quia quæcūq; mandauit tibi Dominus, non seruasti. Atq; hinc Paulus ita dicit: inueni Dauid Iessæ filium virum ex

corde meo, qui voluntates omnes meas faciet. Cum vero inquit, (ante faciem ingressus eius) ingressum & introitum incarnationē intelligit.

Vbi uero Ioannes cursum expleuit, dixit. Quem
Ioan.1.c Mar.1.a
me existimatis esse, nō sum ego: sed ecce post me ueniet, cuius ego calceamentum pedum soluere dignus non sum. Viri fratres filij generis Abraham, & qui inter uos timetis Deū, uobis uerbum salutis huius missum est. nam qui habitant Hierusalem, & principes ipsorū cum hunc ignorassent, & iudicassent, uoces prophetarum quæ per omne sabbatum leguntur, expleuerunt.
Mat.27.c Mar.15.b Luc.23.c Ioan.19.c
Et cūq; nullam mortis causam inuenissent, petierunt a Pilato, ut interficeretur. Vbi uero omnia quæ de ipso scripta sunt, peregerunt: detractum eū de ligno in monumento posuerunt.

Ioannes non simpliciter & absolute testificatur: sed cum omnes ipsi gloriam traderent, ipse eam depellit. necq; enim par res est, si quis honorē repudiet, cum nemo, & cum multi eum ipsi attribuunt. Cum vero, inquit, vobis verbum salutis missum est, nobilitatem Iudaicam ostendit. Pilati vero mentionem facit, vt grauius accusentur, quippe qui viro alienigenæ eum tradiderint: & ab eo etiam, vt interficeretur petierint. qd' cum inquit, quasi ipse nollet, gratiam quoq; ab eo accepisse ipsos significat: id qd' Petrus manifestius declarat, cum ait: (cum ille dimittendum eum iudicasset.)
Sup.3.c

Mat.28. Mar.16. Luc.24. Ioan.20

At Deus ex mortuis ipsum excitauit: qui per cõplures dies ijs apparuit, qui cum ipso e Galilæa Hierusalem ascenderant: qui testes eius ad populum sunt. Et nos uobis euãgelizamus promissionem quæ ad patres facta est, eam Deum nobis filijs ipsorum expleuisse.

Absurdum nihil est, q̃ Iesus suscitatus esse a Deo dicatur. nam si nihil aliud est Iesus, q̃ verbum quod carnem assumpsit: verbum autem patris vis est ac potentia, quo videlicet omnia operatur: iuxta illud, Christus Dei vis: ipse seipsum etiam suscitasse intelligetur: etiã si a patre fuisse suscitatus dicatur, in quem vt principium et causam tempore carentem, omnia referuntur. quippe cum etiam ipse dicat: soluite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.

1.Cor.1.d

Ioan.2.d

Resuscitato Iesu, quemadmodum in primo Psalmo scriptum est.

Quoniam nomen Iesu de homine male accipiunt nonnulli, & superius, verbum positum in monumento fuisse dixerat, ne quispiam sine carne verbum ipsum dixisse opinaretur, rursum Iesum eũ vocat: nusq̃ incarnato verbo post vnionem diuisionem attribuens: vt vbique impiorũ os obstruat.

Psal.2.b Heb.1.b

Filius meus es tu: ego hodie genui te.

Hæc verba ex psalmo incarnationi Christi conueniunt: quæ aduentum tẽporarium habuit. Hodie enim & cras tempus significant: ipse vero, vt verbum, sine tempore genitus a patre est.

Nam q̃ suscitarit ipsum a mortuis, ita ut non amplius reuersurus in corruptionem sit: ita dixit: Dabo uobis sancta Dauid fidelia. iccirco & in alio, inquit: Non dabis sanctum tuum, ut uideat corruptionem. Dauid enim propriæ generationi cum inseruisset, Dei cõsilio obdormiuit: & ad patres suos adiunctus est: corruptionemq; uidit. At quem Deus excitauit, corruptionem non uidit. Esa.55.b Psal.15.d 3.Re.2.b

Aduertendum, non debere nos corpus Saluatoris & Dei nostri Iesu Christi vel post resurrectionem patibile, id est, affectibus & perpessionibus obnoxium, vel ante resurrectionẽ impatibile. i. incorruptibile, et ĩmortale fuisse cõfiteri. Nã incorruptibilitate quantum ad peccata attinet, præditum fuisse statim etiam ex ipso incarnationis tempore, perspicuum est.

Notum igitur uobis sit uiri fratres, per hunc peccatorum remissionem uobis denunciari: & ex omnibus quibus in lege Moyses iustificari minime potestis, in hoc unumquemq; qui credit, iustificari.

Cur testimoniũ nõ subiunxit, quo per ipsum remissionem peccatorum fieri comprobaretur? propterea q̃ propositum ipsi erat tunc demonstrare Dominum resurrexisse. quo cõcesso, illud indubitatum postea erat futurum.

Videte ergo ne in uos superuenerit, quod dictum in prophetis est: Inspicite contemptores, et admiramini, & perdimini. quoniam opus ego in diebus uestris ope Abac.1.b

ror, cui etiam si quis narrauerit uobis, non credetis.
Egressis uero e synagoga Iudæis hortabantur gentes, ut in intercedens sabbatum uerba sibi dicerentur.

Multæ siquidem erat admirationis, ꝙ Israel, qui filius primogenitus nominabatur, per quem Aegyptus perierat: inimicis Babylōijs ī gladiū, captiuitatem, et seruitutem traditus fuisset. Cum enim clamasset propheta Abbacuch de iniusto iudicio, & de nimia Dei patientia, & diceret. vt quid mihi labores & dolores ostenderunt? quia contra me factum iudicium est: & iudex accipit: & impius dominatur in iustum: & iudicium in finem non traducitur: Respondet Deus, & iniuste agentibus futuras calamitates prænunciat: admirandaque appellat quæ eis sunt euentura: atque ea tot ac tanta, vt si quis etiam eis ea prædiceret, non essent crediturī. Intercedēs vero sabbatū, id est, τὸ μεταξὺ σάββατον vocat, id quod sequebatur: vt inferius explanat.

Cum soluta autem esset synagoga, multi ex Iudæis & expie colentibus aduenis Paulum & Barnabam secuuti sunt: qui alloquebantur ipsos, & permanere in gratia Dei suadebant. & ueniente sabbato ferè tota ciuitas ad audiendum uerbum Dei congregata est. Cū uidissent autem Iudæi turbas, æmulatiōe repleti sunt. & contradicebant ijs quæ a Paulo dicebantur, repugnantes, & maledicentes. Paulus uero & Barnabas fidenter loquuti dixerunt. Vobis necesse erat primum prædicari uerbum Dei.

Pie colentes, id est, σεβομένους hic & inferius etiam eos vocat, qui circa proprium cultum calidi ac feruidi sunt, maioriq; q̄ cæteri æmulatione afficiuntur. huiusmodi enim homines tum citius q̄ alij fidem in Christum admittebant, quippe q̄ & magnificentiam eius & excellentiam melius possent conspicere, neq; humano affectu sed veritatis exploratione, pietatisque amore moueren tur: tum quem perceperunt cultum, eum æmulatione prosequebantur. Hi quoque e contrario aduersus discipulos eorumque prædicationē magis incitabantur ac furebant, vtpote qui maiorē q̄ alij erga proprium cultum æmulationem præ se ferrent. Vel σεβομένους, id est, pie colentes, seu Dei cultores uocat, pprie aduenas & proselytos. nam cum superius concionatur & dicit, Viri Israelitæ & inter vos qui timetis Deum, timentes Deum aduenas seu aduentitios appellat: ut eos q̄ e genere erāt Iudæorum honorifice nominet Israelitas: qui vero id non habebant, eos religionis appellatione illis adæquet.

Quoniam uero ipsum reijcitis, neq; dignos uos uita æterna iudicatis, ecce conuertimur ad gentes. ita enim Dominus nobis mandauit. posui te, inquit, in lucem gentium, ut sis in salutem usq; ad extremum terræ. Audientes autem gentes gaudebant, et uerbum Domini glorificabant. et quicūq; ordinati ad uitam æternam erant, crediderunt. Verbumq; Domini per totam regionem diffundebatur. Esa. 49. b

Ne modestię esse et religionis quispiam putet

Universidad de Deusto
Biblioteca

qđ inquit, neque dignos vos vita æterna iudicatis, ideo prius, (ipsum reĩcitis) dixit. Conuertimur ad gentes) autem inquit, & non (deserimus vos) vt ostendat fieri posse etiam, vt ad ipsos iterum conuertantur.

At Iudæi cultricibus & honestis mulieribus, & primis e ciuitate uiris concitatis, persequutionem contra Paulum & Barnabam excitarunt: eosq; e finibus suis eiecerunt.

Honestas mulieres vocat diuites & nobiles, quas Romani matronas appellant. cultrices autẽ dicit, id est σεβομένας, nõ fideles, sed Græcas, vel Iudæas etiam Græce tamen loquentes: vnde etiã propterea q̃ legem obseruabãt, cultrices vocat. Vide in quantum dedecus mulieres induxerunt. ad imitationem enim Diaboli sicut ille per Euã e paradiso, ita isti per mulieres e salute homines excludere nitebantur.

Mat.10.b Mar.6.b Luc.9.a

Illi autem excusso puluere pedum suorum in ipsos, Iconium peruenerũt. Discipuli uero replebantur gaudio, & spiritu sancto.

Hic exequuntur, qđ mandauerat ipsis Dominus, cum diceret: si quis uos non admiserit, excutite in eum puluerem pedum vestrorum. isti vero non solum non admiserunt, verum etiam e finibus suis eos expulerunt: id quod peius multo est. non enim vult Dominus, vt discipuli puluerem ex terra impiorum in pedibus suis habeant: vt ostendant videlicet per hoc se nihil ab infidelibus reportasse: quippe cum puluis laboris quẽ causa ipsorum sustinuerunt, indicium sit.

De persequutione Pauli & Barnabæ in Iconio ob prædicationẽ: de sanatione Claudi in Lystris a Paulo facta, ob quam Lycaones Barnabam & Paulum Deos existimabant: de Pauli lapidatione. Cap. XIIII.

EFFECTVM est autem in Iconio, ut simul ingrederẽtur ipsi in synagogam Iudæorũ, & loquerentur, ita ut Iudæorum & Græcorum magna multitudo crediderit. Qui uero non credebant Iudæi, incitarunt, & in malignitatẽ induxerunt animos gentium contra fratres. Sed multum quidem tempus illi immorati sunt fidenter loquendo in Domino, qui attestabatur sermoni gratiæ suæ, & faciebat, ut per manus eorum signa & prodigia fierent. Multitudo autem ciuitatis in duas partes diuisa est, ut alij cum Iudæis, alij essent cũ Apostolis. Vnde cum factus esset impetus gentium & Iudæorum cum principibus suis, ut contumelijs afficerent eos, & lapidarent: ipsi animaduersa re in urbes Lycaoniæ Lystram & Derben, & circũuicinam regionem confugerunt: atq; ibi euãgelizabant.

Aduertendum hic, non oportere vt in pericula nos proĩciamus, sed si opus sit, pro tempore aliquando esse fugiendum: cum principes Apostolorum id fecisse conspiciãtur. Tametsi quasi studiose effectũ sit, vt latius diffunderetur Christi p̃coniũ, et ex p̃sequutionibus magis augereť. Matth.10.c

Et quidã uir Lystris infirmus pedibus considebat, claudus ex utero matris suæ, qui nunquam ambulauerat. is loquentem Paulum audiuit: qui cum in eũ intente inspiceret, & uideret fidem eum habere, ut salutem consequeretur, magna uoce dixit: Surge in pedes tuos erectus: & exiluit, & deambulabat. Turbæ uero cum uidissent quid fecerat Paulus, uocem suam sustulerũt, Lycaonice dicentes: Dij hominibus similes effecti ad nos descẽderunt: uocabantq; Barnabam Iouẽ, Paulum Mercurium, propterea quod in sermone ipse dux erat. Sacerdos autem Iouis qui urbi ipsorum præsidebat, cum tauros & serta ad ianuam attulisset, sacrificare cum turbis uolebat. Quod cũ apostoli Barnabas & Paulus audiuissent, dissciſis indumentis suis in turbam insiluerunt clamantes & dicentes: Viri quid hæc facitis? et nos similibus perpeßionibus obnoxij, ut uos, homines sumus, qui annunciamus uobis, ut ab his uanis ad Deum uiuentem conuertamini, qui cœlum, & terram, & mare, et omnia quæ in eis sunt, fecit: qui in præteritis ætatibus permisit, ut omnes gẽtes uijs suis ingrederentur: cum non intestatum tamen se reliquisset q, benefaceret, de cœlo nobis pluuias dando, & tempora frugifera, replendoque alimento et lætitia corda nostra. Et hæc dicentes uix turbas sedauerunt, ne ipsis sacrificarent.

Pſal.145.a
Apo.14.b

Mos erat Iudæis vt ob maledicta in Deũ vestimenta sibi dissinderent. Vnde & Caiphas, cũ

Christus Dei filiũ se esse diceret, vestimento dissciſſo clamauit, & eum maledixisse asseruit. Hoc ẽt nunc diuini discipuli Barnabas & Paulus faciunt, cum dij esse existimarẽtur, dum ex affectu quodam animi rem auersantur atq; abominantur, luctusq; indicia ostendunt. Luctus enim ipsis re vera contigisset, si dij fuissent habiti, atque, ita simulacrorum cultum & idololatriam ad quam destruendam venerant, induxissent.

Matt.26.b

Superuenerunt autem ab Antiochia et Iconio Iudæi, qui cum suasissent turbis, & lapidassent Paulum cum mortuum esse opinati extra urbem traxerũt. At ille cum circunsteti ssent ipsum discipuli, surrexit, atq; in urbem est ingressus, & crastino die cum Barnaba egressus Derbẽ est. cũq; ciuitati illi euangelizaßent, & discipulos satis multos fecissent, Lystram & Iconium & Antiochiam reuersi sunt, discipulorum animos confirmantes, & adhortantes, ut permanerent in fide, & q, nos per multas afflictationes in regnum Dei intrare oporteat. Cumque creassent ipsis presbyteros per ecclesias singulas, precibus effusis cum ieiunijs commendarunt eos Domino in quem crediderant, & cum pertransiuissent Pisidiam, in Pamphyliam uenerunt, loquutiq; uerbum Pergæ, descenderunt in Attaliam, & inde Antiochiam abnauigarũt, unde erant traditi gratiæ Dei in opus quod expleuerant. cumque illuc aduenissent, & cõgregassent ecclesiam, annũciarunt quanta cum ipsis fecisset Deus, et quo modo gẽ

2.Cor.11.f

tibus ostium fidei aperuisset. Moratique ibi non pauco tempora cum discipulis sunt.

Cur neq; in Cypro neque in Samaria, sed hic apostoli Presbyteros fecerunt? quia loca illa iuxta Hierusalem & Apostolos erant: præterea in ipsa quoq; Antiochia uerbum Dei inualescebat. Hic vero multa adhortatione indigebant, præsertim qui erant ex gētibus, cū non pauca essent ea quę doceri deberent. Animaduertendum autem, Paulum & Barnabam episcoporum dignitate fuisse præditos, ex eo q̄ non diaconos tantum, sed presbyteros etiam creabant: et discipulos cū precibus & ieiunijs creationes huiusmodi facere consueuisse. Illud etiam considerandum, Barnabam & Paulum creatos atq; electos Antiochiæ fuisse: tametsi aliud exemplar reperi quod loco Antiochię Miletum habet: sed prior lectio verisimilior est.

De decreto Apostolorum Hierosolymis facto, ac missoq; per Epistolam ad eos qui ex gentibus crediderant: in quo quid obseruandum eis sit, statuunt: de dissensione Barnabę & Pauli ob Marcum.

Cap. XV.

ET cum nonnulli a Iudæa descendissent, docebāt fratres, ac dicebant, nisi circumcidamini more Moysis, esse salui non potestis. facta igitur seditione et
Gala.5.a disceptatione non parua a Paulo & Barnaba aduersus ipsos, statuerunt, ut Paulus & Barnabas & nonnulli alij ex ipsis ad apostolos & presbyteros in Hierusalem de quæstione hac ascenderent, atque hi deducti ab ecclesia

ab ecclesia Phœnicem & Samariam pertrāsibant narrantes conuersionem gentium, & gaudium magnum fratribus omnibus faciebant, cūq; in Hierusalem peuenissent, ab ecclesia & apostolis & presbyteris suscepti sunt, annunciaruntque quanta Deus cum ipsis fecisset.

QUo modo in epistola ad Galatas, neque ascendi, inquit, Hierosolyma ad eos qui ante me erant Apostoli, neque contuli euangelium, quod in gētibus prędico: hic uero inquit statuisse hos, vt Paulus & Barnabas Hierosolyma ad apostolos & seniores ascenderēt: dicimus primum non ascendisse ipsum, sed ab alijs fuisse missum: deinde non vt disceret, sed vt alijs persuaderet, accessisse: quippe cum ipse a principio eiusdem esset sententiæ, quam etiam apostoli postea confirmarunt, vt circuncidi non oporteret. quia tamē tūc auctoritatē ipsi non deferebant, sed illis qui Hierosolymis erant, magis acquiescendum putabāt: ascendit, non vt ipse aliquid amplius cognosceret, sed ut persuadere contradicentibus posset, cū etiam q Hierosolymis erant, eadem statuissent. Gal.1.d

Surrexeruntq; e Pharisæorum secta quidam qui crediderunt, qui dicebant, oportere ut circuncideren eos, & legem Moysis seruare præciperent.

Non fideles ex gētibus, sed qui ex Iudæis erāt requirebant, vt fideles circunciderentur & reliqua legis carnalia facerent: quos, vtpote qui in propriam gloriam id vellent, discipuli licet etiā

ipsi ex circuncisione essent, nō admiserunt: quippe cum non proprium commodum, sed communem mundi vtilitatem, & salutem quærerent.

Congregati sunt autem Apostoli & presbyteri, ut de uerbo hoc inspicerent. multaq; inquisitione habita surrexit Petrus, atq; ad ipsos dixit.

Hinc quoque conñcere possumus, aliā quandam dignitatē qua presbyteros excedebāt, Apostolos habuisse: propterea q̄ cū presbyteris eos minime coniunxit.

Viri fratres, uos scitis ex diebus antiquis Deum inter nos elegisse, ut per os meum gentes uerbum euangelij audiant, & credant: & cordium cognitorem Deum testificatum ipsis fuisse, cum spiritum sanctum non secus ac nobis, ipsis dederit: nihilq; inter nos & ipsos fide purificatis cordibus ipsorum distinxerit.

Fortasse aderāt et illi qui olim de Cornelio ipsi criminati fuerant, & qui cum eo ad ipsum simul fuerāt ingressi: propterea testes ipsos producit. Quid vero est q̄ inquit, (inter nos elegisse) vel in Palæstina, vel cū nos adessemus. Purificatis vero cordibus ipsorum fide, i. cum purificationem peccatorum quæ e corde ipsorum exibant, fecisset: quę sanè purificatio circuncisioni correspondet: et pro ea quæ in carne fiebat, in spiritu nunc datur, quę per fidem in Christum occulta mala expurgat, atque expiat. Nam carnalem circuncisionem non communiter vtilem

fuisse, inde perspicuū est, q̄ solis maribus erat cōcessa. In Christo vero Iesu uera fide fit, vt neque mas, neque fœmina: neque seruus, neq; liber: neque grœcus, neque barbarus quispiam sit, sed omnes vnum simus. Gala. 3.d

Nunc igitur quid Deum tentatis, ut imponatis iugum supra ceruices discipulorum, qđ neq; patres nostri, neq; nos gestare potuimus? Sed per gratiam Domini Iesu Christi saluos esse nos futuros credimus, quo modo etiam illi. Tacuit autem omnis multitudo: & Barnabam & Paulū audiebant, qui narrabant, quanta signa & prodigia inter gentes per ipsos Deus fecisset.

Quid tētatis Deū? id est, quid diffiditis Deo, quasi fide accedentes ad se facere saluos nō possit? Aduertendum autem, carnis mandata quę expleri difficulter queunt, vt nimium ieiunium, nuditatem, silentium, atque huiusmodi non esse alicui imponenda: nisi quispiam sibi ipsi ea imperarit. Licet enim difficilia sint, & grauia, non sunt tamen ex se bene facta existimāda, cum & facta a multis fuerint, & fiant. Sed per gratiam Dñi Iesu saluos nos futuros credimus, quo mō etiam illi. Quēadmodum. n. antiquitus lex eis qui mandata ipsius seruabant, salutem exhibebat: ita nūc gratia etiam sine legis veteris observatione per fidem saluos nos facit.

Qui ubi tacuerunt, respondit Iacobus, & dixit: Viri fratres, audite me.

Hic Iacobus est, qui Hierosolymorum a Domino constitutus episcopus frater Domini appellabatur. Prudēter autem & ex recētibus et ex veteribus prophetis rem confirmat. non.n. factum aliquod habebat quod ostenderet, sicut Petrus & Paulus. Bene autem res disponitur ac dispensaī, vt & per eos facta hæc sint, qui immoraturi Hierosolymis non erant: & hic qui ipsos docet, licet eorundem factorum non sit particeps, diuersam tamen sententiam non habeat.

Symeon exposuit, quo modo primum Deus inuisit, ut sumeret ex gentibus populum in nomine suo.

Quidam Symeonem esse dicūt, qui in Lucæ Euangelio prophetauit, & cecinit: nunc dimittis seruum tuum Domine &c. Alij Simonem Petrum intelligunt.

Luc.2.c

Et *huic concordant uerba prophetarū, sicut scriptum est: Post hæc reuertar, & tabernaculum Dauid quod cecidit, reædificabo: & diruta eius instaurabo, & erigam ipsum, ut qui reliqui sunt ex hominibus, et omnes gentes requirant Dominum, super quas uocatū nomen meum fuerit: inquit Dominus, qui fecit hæc omnia. Nota a seculo sunt Deo omnia opera sua. Propterea ego iudico non esse ijs molestiam afferendam, qui ex gentibus ad Deum conuertuntur: sed scribendum ipsis, ut a piaculis simulacrorum, & fornicatione, & suffocato, & sanguine abstineant. Moyses enim ab ætatibus antiquis per singulas ciuitates habet, qui eū præ-*

Amos.9.c

dicent in synagogis, dum per omne sabbatum legitur.

Iudæi hæc de ędificatione templi Hierosolymitani post captiuitatem dicta esse intelligunt: cum tamen verum id non sit: postea.n. sæpe fuit subuersum. prophetia vero æternam reædificationē pollicetur. Qui etiam ad Zorobabel hoc referri existimāt, vtpote qui a Dauid genus deduxerit, non recte sentiunt. verum.n. neque hoc est. nā Zorobabel cum breui tempore principatū gessisset, mortis termino est conclusus. at prophetia hæc ęternorum bonorum promissionem continet, et gentium omnium ad Deum conuersionem. Quorū nihil sub Zorobabel factum esse inuenimus. Perspicuum igitur est, de Domino nostro Iesu Christo hęc esse intelligenda. Dominus siqdē noster ex Dauid genus carnale deducens promissionem quæ ad Dauid facta est, expleuit: quippe cum verbum caro factum fuerit, & i nobis sumpto ex Dauid tabernaculo habitarit. Merito igitur propheticus sermo tabernaculum Dauid reædificandum inquit, atque id nō in breue tempus, sed in omnes dies seculi: & gentibus donū Dei cognitionis promittit: hoc est gentes ad Christum esse conuertendas, nomineque eius appellandas. Alij sunt, qui ad Christi resurrectionem e mortuis referendum hoc censeant. Vbi enim tabernaculum eius collapsum, id est, carnem e terra suscitauit Deus pater, tota humana conditio in pristinam figuram est restituta. & omnia in nobis diruta ac destructa in nouam faciem excitata sunt, simul enim cū Christo ex-

1.Esdr.5.a

Matt.1.a

Ioan.1.b

citati sumus. mors siquidem omnium tabernacu la prostrauerat ac diruerat. Deus vero et pater ea in Christo reædificauit. Alio enim modo natura nostra instaurari non poterat, nisi ille qui eam a principio finxerat, manum porrexisset, & desuper aquæ & spiritus regeneratione reformasset. Irreparabili enim vere casu ceciderat, & qui potentis illius manus auxilio indigeret. Atque hoc nō in breue tempus, sed in dies seculi euenturum nobis asserit, eo q̄ incorruptibilitatis donum in nobis amitti nunquam valeat. Tunc inquit, et qui reliqui sunt ex hominibus, post eos qui ex Israel crediderunt, eum qui natura & vere est Deus, ab errore veteri recedētes agnoscent: uocabunturque omnes gentes, & in ipsis nomen meum erit, quibus a principio etiam nominatū est.

Rom.8.f Quos enim præsciuit, inquit, & prędestinauit.

Tunc uisum est Apostolis & presbyteris cum tota ecclesia, ut delectos uiros ex ipsis unà cum Paulo & Barnaba Iudam qui uocabatur Barsabas, & Silam uiros præcellentes inter fratres, Antiochiam mitterēt: atq; hæc per manus eorum scriberent. APOSTOLI & presbyteri & fratres ijs qui Antiochiæ sunt, & in Syria, & Cilicia, fratribus ex gentibus salutē. Quoniam audiuimus quosdam ex nobis egressos uerbis uos turbasse animas uestras euertentes, cum dicerent circūcidendos uos esse & seruandam legem, quibus non distinxeramus, uisum nobis est unanimiter collectis ut electos uiros ad uos mitteremus cum dilectis

nostris Barnaba & Paulo, hominibus qui pro nomine Domini nostri Iesu Christi animas suas tradiderunt. Misimus igitur Iudam & Silam qui etiam ipsi uerbis eadem annunciarent. Visum enim est spiritui sancto & nobis, ut nullum amplius onus uobis imponatur, nisi horum quæ necessaria sunt: ut ab ijs quæ simulacris sacrificantur, & sanguine, & suffocato, & fornicatione abstineatis, a quibus uos custodientes bene agetis. Valete. Hi igitur dimissi Antiochiam uenerunt, & congregata multitudine epistolam reddiderunt. Quam cum legissent, ob adhortationem gauisi sunt. Iudas etiam et Silas cum ipsi quoq; essent prophetæ, multa oratione adhortati sunt fratres, & confirmarunt. Cum uero tempus aliquod morati essent, cū pace a fratribus dimissi ad Apostolos sunt. Visum autem est Silæ ibi remanere. Paulus autem et Barnabas Antiochiæ morabantur: & unà cum alijs multis uerbum Domini docebant, & euangelizabant.

Delegerunt viros quos mitterent, nō enim epistolam solam mittendam censuerunt, ne dicere videlicet possent, illos cum aliud pro alio retulissent, in suam sententiam apostolos induxisse, ideo vt res auctoritatem maiorem haberet, mittunt viros ex se, vt Barnabas et Paulus suspicione omni apud ipsos vacent. Ne autem quia illi missi fuerant, id calumniam aliquam Paulo & Barnabæ posset conflare, ipsos laudant, cum homines esse testentur, qui pro nomine Domini nostri Iesu Christi animas suas tradiderint. Visum

est, inquiunt, spiritui sancto & nobis. Nusquam enim de his loquutus fuerat Christus: sed ipsi hi ex lege hęc dicunt. Quocirca ne humanum id esse decretum exstimarent, spiritui sancto visum esse dicunt: vt autem ipsos quoque qui e circuncisione erant, id admittere cognoscant, subiungunt (& nobis.) Poterant sanè sine literis etiam hæc manifestare, sed vt & suspicio omnis tolleretur, & hæc quasi lex scripta ipsis esset, epistolā scribunt: & quatuor his tantum interdictis, consuetudines reliquas ipsis concesserunt. Sed quę sunt hæc? vt ab ijs quæ simulacris sunt sacrificata, abstineant, a sanguine, a suffocato, & fornicatione. cum vero a suffocato abstinēdum monēt, ęqdem prohibent.

Post dies uero quosdam Paulus Barnabæ dixit: reuersi inuisamus fratres nostros per singulas urbes in quibus uerbum Domini prædicauimus, quo modo se habeant. & Barnabas consulebat, ut Ioannem qui uocabatur Marcus, simul assumerent. Paulus uero quia ille recesserat ab ipsis e Pamphylia, et ad opus cum ipsis simul non iuerat, non esse simul assumendum censebat.

Ioannes qui vocabatur Marcus, simul cū ipsis in euangelicum cursum iter faciebat, sequutusque eos est a Palæstina usque in Pamphyliā: deinde cum Apostoli intento cursu vterentur, & intento animo ad certamina essent incitati, Marcus vt homo defatigatus, & ad tam longum cursum, & certamina item, & pericula quæ in vna-

quaque vrbe ipsis intendebantur, non admodū fortis, recusato eo labore in Palæstinam est reuersus: non quòd Christū quidem negaret, sed quòd iter illud longum et laboriosum ferre nō posset. Paulus vero & Barnabas fructibus pietatis & religionis pleni, & ecclesiæ quæ erat Hierosolymis, euangelizantes labores eos deserere nullo pacto voluerunt. Quocirca cū gentes omnes Paulum & Barnabam ob pręclare facta laudarent, Marcus dolore affectus perculsus animo est, & fortasse secum cogitabat, & dicebat: si laborum particeps fuissem, nunc easdem laudes quoque fuissem consequutus: & volebat iterum se Apostolis ad præconium Christi deferendum adiungere. Barnabas igitur cum uideret ipsum pœnitētia adductum, admittere volebat: Paulus contendebat, & dicebat, eum qui ad opus Domini simul prius venire noluerat, assumendum nō esse. Vnde dissensio orta est, non iræ illa quidem, sed iustitię. Paulus siquidē iustitiam, Barnabas humanitatem requirebat. Marcus autem cum Barnaba aderat et prōptum sese exhibebat: sed Paulus in ecclesiis non admitti eum monebat, nō sanè vt molestia afficeret, sed ut studiosiorem, prōptioremq; efficeret. Nam vbi cognouit studium iam pristinum recepisse Marcum, eum commendare postea incepit. In epistola enim ad Colossenses, Salutat vos, inquit, Marcus Barnabæ cōsobrinus, de quo mandata accepistis, vt si venerit, eum suscipiatis. Colos. 4.b

Facta est igitur inter eos iritatio, ut separati a se

mutuo fuerint: & Barnabas assumpto Marco in Cyprum nauigarit. Paulus uero electo sibi Sila egressus est gratiæ Dei a fratribus traditus. pertransibatq; Syriam & Ciliciam ecclesias confirmans.

Iritatio quædam facta est & dissensio, nõ inimicitia & contentio. tãtã tamẽ iritatio hæc uim habuit, vt eos a se mutuo separarit. atque id non iniuria. Quod enim vtile esse vnusquisque existimabat, id postea admisit. Videtur autem ex cõsẽsu facta fuisse huiusmodi separatio, et vterque sibi mutuo dixisse: quia ego volo, & tu non vis, ne inter nos contendamus, loca diuidamus: vt videlicet valde sibi mutuo indulgentes id fecerint. Volebat enim Barnabas vt Pauli consilium staret: atque iccirco abeo recessit. Quin in Prophetis quoque huiusmodi dissentientes opiniones, et mores diuersos videre licet. Helias enim erat austerus, Moyses mansuetus. Eodem modo quoque hic vehementior erat Paulus quàm Barnabas. Marco vero huiusmodi discordia admodum profuit. Pauli enim seueritas, ipsum conuertit: Barnabæ benignitas, vt non amplius eos desereret, fecit. Vnde pugnare inter se cum videantur, ad vnum tamen finẽ, ad vnamque vtilitatem deueniunt. Nam cum Paulum videret Marcus nolle se amplius admittere, valde timebat, et facti sui se condemnabat: cum Barnabã contrà se ita humane suscepisse cõspiceret, summopere eum amabat: ita vt & magistrorum dissensione corrigeretur ac confirmaretur discipulus: tãtum aberat, ut scandalo aliquo afficeretur. Vbi enim

vidit se à Paulo ob ignauiam ita fuisse iectum, dedit operã, vt in secundo itinere maiore promptitudine priorem segnitiem occultaret: atq; ita magnam vtilitatem ab hac Pauli seueritate cõsequutus est. Cæterum nunquid inimici recesserunt? minime. Nam hanc non fuisse inimicitiam Apostolis illud indicio est, quod ubique posthac Barnabas multis laudibus a Paulo in epistolis commendatur.

De Timothei circumcisione, & profectione Pauli cum eo ex reuelatione in Macedoniam: de purpurariæ Lydiæ mulieris conuersione: de eiectione spiritus e puella Pythonẽ habente, ob quam concluſi in carcerem Paulus & Silas oratione facta e carcere orto terræ motu liberati sunt: & de custodis carceris cõuersione. Cap. XVI.

DEVENIT QVE Derben & Lystram: & ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus mulieris cuiusdam Iudææ fidelis filius, patre autem Græco: cui testimonium a fratribus qui Lystris erant & Iconij exhibebatur. Hunc uoluit secum egredi Paulus: & assumens propter Iudæos qui in locis illis erant, circuncidit: quippe cum omnes nossent patrem eius Græcum esse. Cum uero pertransirent p urbes dogmata obseruanda eis tradebant, quæ ab Apostolis & presbyteris qui erant Hierosolymis, fuerant decreta. Atq; ecclesiæ quidem fide confirmabantur, & abundabant numero quotidie.

Dogmata appellat, abstinẽtiam ab ijs quę simulacris sacrificabãtur, a fornicatiõe, & sangui-

ne,& sanguine, & suffocato, quæ videlicet ad regularis vitæ informationem spectãt. hæc enim vitam temperantem,rationecq; præditis homini bus conuenientem moderantur.

Cumq; pertransiuissent Phrygiam & Galaticam regionem,loqui uerbum in Asia a spiritu sancto prohibiti sunt. In Mysiam uero profecti per Bithyniam ire tentabant,& spiritus eos non permisit. præterita ergo Mysia in Troadem descenderunt.

In Asia & Bithynia prohibet loqui verbum Dei spiritus prænoscens πνευματομάχειν,id est cõtra spiritum pugnantium hæresin ibi esse dominaturam.

Et uisum per noctem Paulo apparuit. Vir quidam Macedo astabat a luocans ipsum et dicens: transiens in Macedoniam nobis auxiliare.

Non per angelum vt Philippo,& Cornelio annunciatur,sed per visum,humanum magis in modum apparet. Vbi enim facilis persuasio est, humanius: vbi vis maior est afferẽda, diuinius fiunt apparitiones. Quoniam enim ad prædicandum tantũmodo inducebatur Paulus, somnium ipsi apparet. cum vero prædicare non permittitur,spiritus sanctus est,qui quid faciendum ipsi sit,reuelat. Profecti enim,inquit,per Mysiam,tẽtabant etiam per Bithyniam ire,& non permisit eos spiritus. facilia enim spiritus non efficiebat: sed satis ad ea erat somnium.

Vbi uero uisionem inspexit,statim dedimus operã, ut in Macedoniam eximus: in animum inducentes, Dominum nos aduocasse,ut eis euangelizaremus. soluentes igitur a Troade recto cursu in Samothracen uenimus,& sequenti die Neapolim, atq; inde Philippos,quæ est prima partis Macedoniæ ciuitas Colonia.

Animaduertendum,in his vrbibus cum Paulo Lucam quoq; ipsum fuisse. id qđ ex eo intelligi potest,q; personam suam simul assumit, cum inquit, (dedimus operam) &(recto cursu venimus.

Atq; in ea urbe dies quosdam commorati die Sabbatorum foras sumus egressi ad fluuium, ubi precatio esse consueuerat: & considentes cum mulieribus quæ conuenerant,loquebamur. Et mulier quædam nomine Lydia purpuraria ex urbe Thyatirorum colens Deũ audiuit,cuius Dominus cor aperuit,ut ijs attenderet, quæ a Paulo dicebantur. Vbi autem baptizata est, et domus ipsius,hortata est dicens: si me fidelem Domino esse iudicastis,ingressi in domum meam manete: et coegit nos.

Non solum vbi erat synagoga,& conuentus, verum etiam extra preces effundebant,quasi locum quendam separantes, atq; huic rei dedicantes, vtpote cum corporalius Iudæi hæc tractare consueuerint. Vel magis ita est intelligendum, vt cum non esset ibi synagoga, quia rari essent, ad fluuium extra vrbem clam qui videlicet pñ

erant, congregabantur. Neapolis autem est, quæ nunc Christopolis appellatur.

Effectum autem est, ut cũ ad preces effundendas pgeremus, puella quædam quæ pythonis spiritũ habebat, nobis occurrerit: quæ uaticinando quæstum multum dominis suis exhibebat. hæc sequuta Paulum & nos clamabat, & dicebat: hi homines serui Dei altissimi sunt, qui uiam salutis nobis annunciant. atq; hoc per multos dies faciebat grauatus autem Paulus & conuersus spiritui dixit: præcipio tibi ĩ nomine Iesu Christi, ut ab ipsa egrediaris. & eadem hora egressus est. Cum uidissent autem domini ipsius spem quæstus sui omnem exisse, apprehensum Paulum & Silam in forũ ad magistratus traxerunt, & cum ad prætores adduxissent, dixerunt. homines isti ciuitatem nostram conturbant: cum sint Iudæi, & consuetudines annunciãt, quas nobis qui Romani sumus neq; admittere licet, neq; facere. & turba etiã simul instabat contra ipsos. & prætores iusserũt, ut eos discissis indumentis ipsorum uirgis cederent. cumq; ipsis multa uerbera inflixissent, in custodiam iniecerunt, præcipientes custodi carceris, ut eos diligenter obseruaret. qui cum præceptum hoc accepisset, ipsos in interiorem carcerem intrusit: pedesq; ipsorum ligno obstrinxit.

2.Co.11.f

Pythia hæc, mulier quædam esse dicitur quæ in tripode Apollinis insideret, atq; ita per genitalia malum spiritum qui ab inferiori parte ascendebat, exciperet; quo plena effecta in furorẽ indu

ceretur: ita vt postea passis crinibus debacchãs spumam ex ore emitteret, furoreq; percita vaticinaretur. Sed qua de causa dæmon tunc ea de Apostolis dicebat? quo se videlicet dignum cui fides adhiberetur, in posterum redderet. Nam si testimonium eius admisisset Paulus, multos etiã ex fidelibus decepisset, vtpote q a Paulo fuisset admissus. propterea enim dicere contra se tolerabat, vt quæ supra se sunt, commẽdando, ad perniciem postea homines detraheret. Primum igitur Paulus cum taceret, non admittebat, sed despiciebat: cum nollet temere ita ac leui qualibet de causa ad signa facienda se exponere. Cum vero ille perseueraret, & rem patefaceret, tunc eum eiecit. Grauatus enim, ĩquit, Paulus, id est, molestia affectus atq; incitatus, vt etiam vera dicentem in obmutescentiam induceret, egredi ex ea dæmonium iussit: docens nos quoq; dęmonas, licet veritati patrocinari simulẽt, nullo modo admittere debere: sed omnem deceptionis viã ipsis intercludere, ad omniaq; quæ ab ipsis dicuntur, aures obstruere.

Media autem nocte Paulus & Silas preces effundentes Deum laudabant audiebantq; eos illi qui uincti erãt in carcere. Repente uero magnus terræ motus factus est, ita ut fundamenta carceris agitarentur: & statim ostia omnia aperta sunt, & omnium uincula soluta.

Terræ motus factus est, vt custos carceris expergefieret. Ostia vero aperta sunt, vt qd' factũ

esset, admiraretur, & crederet: quippe cum non ad ostẽtationem, sed ad salutem hæc fierent. vinctí tamen hæc non viderunt: omnes enim effugissent.

Expergefactus autem custos carceris, & aperta ostia carceris intuitus, stricto ense se erat interfecturus, cum aufugisse omnes uinctos existimaret. clamauit autem uoce magna Paulus dicẽs, nullo malo te afficias: omnes enim hic sumus. at ille cum petijsset lumen, insiluit, & tremefactus procidit ante Paulum & Silam, & foras ipsis productis, inquit: Domini quid me facere oportet, ut saluus sim? illi autem dixerunt: crede in Dominum nostrum Iesum Christum, & saluus eris & tu & domus tua. Loquutiq; sunt uerbum Domini ipsi, & omnibus, qui in domo eius erant. & ille cum eos assumpsisset illa hora noctis, ipsorum uerbera abluit: & baptizatus ipse est, & omnes eius cõtinuo. cumq; eos in domum suam deduxisset, mensam apposuit, & exultauit cũ tota familia sua credens in Deũ.

Carceris custos Stephanas erat, cuius in prima ad Corinthios mentionem facit Paulus. 1.Cor.16.c

Exorto autem die miserunt prætores lictores, dicentes: dimitte homines illos. annunciauitq; hæc uerba custos Paulo: miserunt prætores, ut dimittamini. nunc igitur egressi ite in pace. Paulus autem ad ipsos dixit: cæsos nos publice incondemnatos homines Romanos in custodiã iniecerunt, & nunc clã nos eijciunt? non sanè,

sanè, sed accedentes ipsi educant. renunciaruntq; prætoribus lictores uerba hæc. & timuerunt cum eos Romanos esse audiuissent. & profecti hortabantur ipsos, & cum eduxissent, rogabant, ut ex urbe egrederentur. Egressi autem e carcere ad Lydiam introierunt, & cum uidissent fratres, adhortatique essent, egressi sunt.

Cæsos nos publice, inquit: duplex crimẽ ostẽdit, q̃ cecidissent eos publice, & Romanos et indamnatos. Sæpe enim humana prætendebat quadam dispensatione, ne vel vt reus & peccans dimitti videretur, vel gratiæ ipsorum id ascribere-
tur. Cum sciret præterea principatibus & potestatibus nos debere esse subiectos, se Romanum appellabat. quippe cum Iudæę, & totius ferè orbis Romanorum rex dominium obtineret. Iudæi siquidem plerique tributum ei soluebant, non repudiato regno Romanorum, quemadmodum reliqui: qui se ipsi decipientes Deum solum dicebant proprium regem habere, nõ hominem aliquem. cum tamen re ipsa tãq; subditi serui tributum soluerent, ac verbis negantes, re essent subiecti. Quos Vespesianus vtpote minime subditos depopulatus est. Rom.13.a 1.Pet.2.c

De seditione facta in Thessalonica ob prædicationem: de fuga Pauli & Silæ in Berrhœam & inde Athenas: de oratione Pauli ad Areopagitas: & conuersione Dionysii Areopagitæ.
Cap. XVII.

CVM pertransissemus uero Amphipolim & Apolloniã, Thessalonicam uenimus, ubi syna-

goga Iudæorum erat. de more autem Paulus ad ipsos est ingressus: et per tria sabbata disserebat ipsis e scripturis, aperiens & allegans, q̃ oportuisset Christum pati, & ex mortuis resurgere: & hic est, inquiens, Christus Iesus, quem ego annuntio uobis.

Quoniam hi signis aduersabantur, eosq; tãq; impostores & præstigiatores calumniabant, iccirco ex scripturis ita ipsis suadet, cum inde habere suspicionem huiusmodi nullam queat.

Et nonnulli ex ipsis persuasi sunt: & Paulo & Silæ sunt adiuncti, & ex colentibus Deum græcis, & ex mulieribus primarijs non paucis. Aemulatione autem inducti qui non credebant Iudæi assumptis quibusdam ex circumforaneis uiris prauis, & turba facta in tumultum excitabant ciuitatem. cumq; ad domum Iasonis superueniissent, quærebant ipsos, ut ad populum producerent. ipsis autem non inuentis Iasonem & quosdam fratres ad magistratus ciuitatis traxerunt, clamantes: hos esse qui orbem terrarum euerterunt, & huc aduenisse, quos Iason excepit. hosq; omnes contra decreta Cæsaris facere, regem alterum esse Iesum asserentes. Concitaruntq; turbas & magistratus audientes hæc. Et cum ab Iasone & reliquis satis accepissent, ipsos dimiserunt. Fratres uero statim per noctem Paulum & Silam in Berrhœam emiserunt.

Colentes Deum Græcos, id est, σεβομένους, uel eos uocat, qui cum essent Iudæi, Græce tamẽ lo-

quebantur: propterea q̃ uidelicet legem seruabant: uel eos, qui ex Græcis aduentitij et proselyti Iudæorum erant effecti.

Quò cum uenissent, in synagogam Iudæorum abierunt. hi autem nobiliores erant ex ijs qui sunt Thessalonicæ. qui uerbum omni cum promptitudine admiserunt, quotidie examinantes scripturas, an ea ita se haberent. multi igitur ex ipsis crediderunt, & ex Græcis mulieribus honestis, & ex uiris non pauci.

Nobiliores, hic, p, probiores, et modestiores, dictum est. hi autem non q̃ infideles essent, scripturas examinabãt, id est, inuestigabant et scrutabantur: iam enim crediderant: sed quia cum ueterum prophetarum traditiones ignorarent, propterea magis in fide confirmabantur, dum scrutarentur scripturas, & quæ de dispensatione incarnati Verbi dicebantur, veterum scriptis consentanea reperirent.

Vbi autem qui Thessalonicæ erãt Iudæi, nouissent uerbum Dei a Paulo Berrhœæ quoq; fuisse annunciatum, illuc etiam uenerunt concitantes turbas. Sed cõfestim tunc fratres dimiserunt Paulum, ut quasi iuxta mare proficisceretur. Silas autem & Timotheus ibi remanserunt. Qui autẽ deducebant Paulum, ipsum usq; Athenas duxerũt. et accepto mandato ad Silam et Timotheum ut quàm celerrime ad ipsum uenirent, discesserunt.

Ex dispensatione hic, nõ ex formidatione au-

fugit Apostolus, præsertim cum et Christi prędo nium augere vellet, & furorem ipsorum conare tur extinguere.

Cum Paulus autem Athenis ipsos expectaret, irri- tabatur ſpiritus eius in ipso, cũ ciuitatem ſimulacris deditam esse conspiceret. disserebat quidem in synago- gà Iudæis & Deum colentibus, & in foro per totum diem ad occurrentes.

Irritabatur, hic non iram neq; indignationem significat: procul enim ab ira est & indignatione donum spiritus. quid igitur sibi vult idẽ qđ' exci tabatur. non enim ferebat, sed ęgre afficiebatur, et dolebat. quemadmodum etiam superius inqt, (inter ipsos facta irritatio est, &c.

Bup. 15.

Nonnulli uero ex Epicureis et Stoicis philosophis congreſsi cum ipso sunt: & dicebant. Quid nam uult seminilega iste dicere? & alij, peregrinorum dæmo- niorum annunciator uidetur hic esse: propterea q Ie- sum & resurrectionem ipsis euangelizabat.

Epicurei vniuersum fortuito, et ex indiuiduis corpusculis extitisse opinantur. Stoici vero cor- pus id esse, & deflagrationem asserunt. Q uidã igitur ex ipsis qui cognitione inflati efferebant, stulte diuum Paulum irridentes, dicebant: quid nam sibi vult seminilega iste? nam quia auicula est exigua & vilis, neq; ad esum, neq; ad oblecta tionem satis idonea, quæ ex eo q sparsa in triuũs semina legere consueuit, σπερμολόγος, id est, semini lega appellatur: factum est, vt ignobiles & exi- stimatiõe nulla dignos homines seminilegas nũ- cupent. Peregrina item & absurda quędam dę- monia introducere eum asserebant, propterea q Iesum & resurrectionem prædicabat: resurre- ctionem deam quandam esse existimantes, vt- potè qui colere etiam fœminas consueuissent. dæmonia vero deos suos vocabant.

Apprehensumq; ipsum in Areopagum duxerunt, et dicebant: possumus ne cognoscere, quænam hæc noua quæ a te traditur, doctrina sit? noua enim & peregri na ad aures nostras affers. Quocirca scire uolumus, quidnam sibi uelint hæc esse. Athenienses uero omnes & qui in urbe erant peregrini, ad nihil aliud op- portune se habebant, quàm ad noui aliquid uel dicen- dum, uel audiendum.

Ad Areopagum duxerunt, non vt quicpiam cognoscerent, sed vt punirent, & supplicijs affi- cerent, ibi enim capitalia iudicia exercebantur. Areopagus autem locus ille dicebatur ex eo, vt inquiunt, q illic Mars qui ἄρης dicitur, de adulte rio, vel vt alij, de cæde iudicium subijt. πάγος vero pagus, id est, iugosus locus atq; editus vo- catur: in tumulo enim quodam erat id iudicium. Vnde etiam πάγαρχοι, id est, pagorũ principes apud nonnullos vocãtur, qui locorum huiusmo di & vicorum dominium obtinent.

Constitutus autem Paulus in medio Areopagi di- xit: Viri Athenienses in omnibus quasi superstitiosio-

res uos inſpicio.

Superſtitioſiores, pro (religioſiores) appellat. δεισιδαίμων. n. i. ſuperſtitioſus is dicit, qui δέδιεν τὰ δαιμόνια. i. timet dæmonia: quique omnia tã lapidem, & lignum, q̃ ſpiritum in deos refert.

Pertranſiens enim & ſpectans culturas ueſtras, aram etiã inueni, in qua erat inſcriptum IGNOTO DEO. *Quem igitur ignorantes colitis, hunc ego annuncio uobis.*

Duas cauſas referunt cur Athenis inſcriptum in Ara fuerit, Ignoto deo. dicũt enim alĩ cũ miſiſſent olim Athenienſes Philippidem ad Lacedæmonios de ſocietate ineunda, quo tempore Perſæ Græciam inuaſerant: ei in Parthenio monte Panis ſimulacrũ occurriſſe, accuſaſſeq; Athenienſes, q̃ cum alios deos colerent & venerarentur, ipſum negligerent: ſeque inde auxilium ipſis laturum promiſiſſe. Atque ita Athenienſes eius ope victoria potitos templum ei condidiſſe ac dicaſſe. Ac deinde vt cauerent in poſterum, ne ſimile quicpiam ipſis contingeret, ſi ignotum ſibi aliquem deum prætermiſiſſent: aram hanc extruxiſſe, eique inſcripſiſſe, ignoto deo. perinde ac ſi dicerent, ſi quis alius a nobis deus ignoratur, in honorem eius ara hæc a nobis excitata ſit: vt ſi ob ignorationem a nobis non colatur, æ̃ppitius tamẽ nobis eſſe non deſinat. Alĩ ſunt, qui dicãt, cum peſtilentia olim laborarent Athenienſes, atque adeo exæſtuarẽt, vt ne tenuiſſimorum quidem linteorum velamen poſſent ſuſtinere, nullã

que opem ab ĩs quos deos exiſtimabant, conſequerẽtur: cõſideraſſe deum fortaſſe eſſe aliquẽ, quem ipſi inhonoratum omiſiſſent, qui peſtilentiã immiſiſſet: ac noua ara extructa inſcripſiſſe, ignoto deo: ſacrificĩſque oblatis ſtatim conualuiſſe. Hunc igitur quem illi ignorant, Chriſtũ Ieſum eſſe omnium Deum Paulus, inquit, quẽ & ipſis annunciat. Eſt autem integra aræ inſcriptio in hunc modum: DIIS ASIAE, ET Europæ, & Lybiæ. Deo ignoto & peregrino.

Deus qui fecit mundum et omnia quæ in ipſo ſunt, hic cœli & terræ Dominus cum ſit, non in manu factis templis habitat. neq; a manibus hominum miniſtratur indigens aliquo, cum ipſe det omnibus uitam & inſpirationem in omnia. fecitq; ex uno ſanguine omne genus hominum, ut habitet ſuper totam faciem terræ.

Ne exiſtiment unũ ex multis deum eſſe hunc qui ab ipſo prędicatur, rem corrigit, ita ſubiungens: non in manu factis templis habitat. in templis quidem habitat, ſed non manu factis: in anima ſiquidem humana ſedes eius eſt. neq; in templo Hieroſolymitano habitare dicitur, ſed operari. neque a manibus hominum apud Iudęos colebatur, ſed a mente: quippe cum neque illa requireret, quaſi indigeret. inquit enim, nunquid carnem taurorum comedam, et hyrcorum ſanguinem bibam? &c. quæ ſequuntur. Pſal. 49.c

Cum præfiniuiſſet præſtituta tempora, & termi-

nos habitationis ipsorum, ut quærerent Deum, si modo ipsum attrectarent, & inuenirent, quàmuis non lõge ab unoquoq; nostrum sit. In ipso enim uiuimus, et mouemur, & sumus. sicut nonnulli etiam ex uestris poetis dixerunt: Namq; huius soboles etiam sumus. Cum simus igitur soboles Dei, non debemus auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ scilicet artis & cogitationis humanæ numen simile esse existimare.

Præfiniuit, inquit, vt quærerent Deum: at non semper, sed præstituta tempora: vt ostendat uidelicet nunc non quærentes inuenisse. Quoniã uero cum quæsiuissent, non inuenerunt: declarat eũ non secus fuisse manifestum, ac si quid in medio positum sit, quod palpando attrectetur. Non enim vna in parte erat cœlum, in altera non erat: neque hoc tẽpore erat, alias minime: sed semper & vbique. ita vt per omne tempus, & per omnem terræ terminum Deus potuerit inueniri. sic enim omnia disposuit & dispensauit, vt neq; loco, neque tempore prohiberetur. Ipsum enim hoc maxime ipsis conferebat, quòd et vbique locorum, et omni tempore cœlum assistit. atq; hoc est quod inquit (quamuis non procul ab vnoquoque nostrum sit) omnibus siquidem qui in omni orbis terrarum parte habitant, prope est, atq; ita, ppe, vt nemo sit, qui ẽ sine ipso possit. In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus. Quemadmodum, ut corporeo exemplo vtar, fieri non potest, vt aerẽ vbique nobis circunfusum ignoremus, cum non procul ab vnoquoque nostrum, immo in nobis ipsis sit: ita neque omniũ opificem Deum possumus non cognoscere, cum ab ipso habeamus, vt & simus, & operemur, & non intereamus. Deinde Arati carmen vnius ex eorũ poetis ad cõfirmationẽ orationis suę producit. Nanque eius soboles etiam sumus. atque ipse quidem Paulus de opifice Deo id sumit, licet de Ioue dictum sit: nõ eundem quem ille intelligẽs, sed idem tamen quod Deo conuenit, dicens. Dicuntur enim & aguntur interdũ nonnulla a Græcis, quæ licet ipsi ignorent, & aliter intelligant, in Deum tamen referuntur. vt est illud: Ignoto deo, & alia quædã. Sobolem vero & genus Dei nos esse inquit Paulus, non vt ipsi sentiebãt, sed alio modo: hoc est affines & proximos, atque vt diceret quispiam, accolas & vicinos.

Ac tempora quidem ignorantiæ cum despexisset Deus, nunc hominibus omnibus ubiq; pœnitentiam præcipit. ac propterea statuit diem quo orbem terrarũ in iustitia est iudicaturus, in uiro quem destinauit, fide omnibus exhibita cum ipsum ex mortuis suscitarit. Cum uero illi resurrectionem mortuorũ audiuissent, alij deridebant: alij dixerunt: audiemus te rursus super hac re. Atq; ita Paulus e medio ipsorum est egressus. Quidam autem uiri adiuncti ipsi sunt, et crediderũt: inter quos fuit & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum ipsis.

Nõ inquit nullum ex his puniri, sed nullũ qui pœnitentiam agere voluerit, non enim de ijs qui

decesserũt, hoc dicit, sed de his quibus præcipit. Non requirit rationem a vobis, inquit, de prioribus annis ignorãtiæ vestrę. non dixit, neglexit, aut, permisit, sed, despexit. hoc est, non exigit pœnam a vobis, quasi digni supplicio sitis.

De Aquila & Priscilla: de Tito: de conuersione archisynagogi Corinthi. de deductione Pauli ad Gallionem proconsulem: de discessione e Corintho, & profectione in Ephesum: de Apollo eloquente homine & fideli. Cap. XVIII.

POST HAEC autem Paulus cum Athænis discessisset, Corinthum uenit: cũq; inuenisset Iudæum quendam nomine Aquilam ponticum genere, qui nuper ex Italia uenerat, & Priscillam uxorem eius, propterea q, Claudius Roma omnes Iudæos recedere statuerat: ad ipsos accessit: & quia erat coartifex, apud ipsos mansit, & operabatur. erant autem tẽtoriorum artifices. disserebat autem in synagoga per omne sabbatum, & Iudæis & Græcis suadebat. Vbi uero e Macedonia Silas & Timotheus redierunt, cohibebatur spiritu Paulus Christũ Iesum Iudæis protestans. Illis uero renitentibus, & maledicentibus excussis indumentis ad eos dixit: Sanguis uester supra caput uestrum, mundus ego posthac ad gentes proficiscar. Atq; inde cum recessisset, uenit in domum cuiusdam Iusti nomine, qui Deum colebat: cuius domus synagogæ erat contermina. CRispus autem princeps synagogæ Domino credidit cum tota familia sua. & multi ex Corinthijs cum audiuissent, credebant, & baptizabantur.

Sãguis vester super caput vestrum sit, inquit Paulus excussis etiam indumentis, vt non tã verbo, quam re ipsos terrefaceret. vnde cũ acerbius inuectus esset exprobans eis cædem, ab ipsis recessit. Quod autem inquit, huiusmodi est: Vnusquisque q a Christo qui est vita, desciscit & recedit, interficere seipsum videtur: cum a vita ad mortem delabatur, et sanguinem suum quodam modo ex cęde quam sibi infert, effundat, hoc igitur inquit. Quia uos perfidia hac et ĩcredulitate vos necatis, vosmet ipsi huiusce rei pœnam luatis: ego insons & mundus ab hoc sum. Atque hinc cognoscere possumus eũ qui se ita occidit, apud Deum vt homicidam puniri.

Dixitq; Dominus per uisum in nocte Paulo: ne timeas, sed loquere & ne tacueris, propterea q, ego tecũ sum, et nemo te inuadet, ut lædat te, quoniam populus mihi in hac ciuitate multus est. & consedit annum et menses sex docens ipsos uerbum Dei. Gallione autem proconsulatum Achaiæ gerente impetum fecerũt unanimiter Iudæi in Paulum, & ipsum ad tribunal deduxerũt dicentes: præter legem iste persuadet hominibus Deum colere. Cumq; aperturus os esset Paulus, Gallio ad Iudæos dixit: si quidem esset aliqua iniustitia, aut scelus prauum o Iudæi, cõuenienter uos sustinuissem. Sed si quæstio est de uerbis, & nominibus, & lege uestra, uos uideritis: iudex enim horum esse ego nolo. & a tribunali ipsos repulit.

Aduertendum, Paulum in somnis Dominum

Ieſum vidiſſe: ac propterea dicere: nonne Ieſum Dominum noſtrum vidi? in ſomnis autem, an uigil Ieſum viderit, nihil intereſt. veruntamen etiã interdiu ipſi apparuit.

1. Cor. 9. a

Cæterum cum Græci omnes Soſthenem ſynagogæ principem apprehendiſſent, eum ante tribunal uerberabant. & nihil horum Gallioni curæ erat.

Vel ideo Soſthenem verberabant, quia etiam ipſe Paulo magis aſſentiebatur, eiq; adhęſerat, quemadmodum quoque Criſpus: vel in tãtum furorem inducti fuerãt, ut fruſtrati uoto pro Paulo principem ſynagogæ Soſthenem verberibus fuerint aggreſſi: vel quia ſicut magis veriſimile eſt, cum occidere ipſi Paulũ vellent, Soſthenes prohibuerat.

Paulus autem cum adhuc dies multos permãſiſſet, fratribus renunciatione facta in Syriam enauigauit, & cum ipſo Priſcilla & Aquila detonſo capite in Cẽchreis: habebat enim uotum.

Rurſus in Syriam redit Paulus, & cum ipſo Priſcilla et Aquila. Tondere autem caput ex uoto Iudaicum erat. oportebat vero ſacrificiũ quoque fieri: quod tamen poſtea quàm verberatus fuit Soſthenens, factum non amplius eſt. Iam enim lex ſoluebatur, quoniam conſcientia detinebantur.

Deuenit autem Epheſum, & illos illic reliquit. ipſe uero in ſynagogam ingreſſus diſſeruit cum Iudæis. cumq; illi rogarent, ut diutius apud ipſos permaneret, non annuit, ſed renunciauit ipſis, cum dixiſſet: oportet me prorſus feſtum qđ inſtat, Hieroſolymis celebrare.

Aquilam & Priſcillã Epheſi reliquit, id quod merito effecit, vt docerent, quippe cum tãdiu cũ ipſo verſati multa didicerint: & tamen a conſuetudine ipſos Iudaica nondum abduxerat.

Rurſus autem reuertar ad uos Deo uolente. & ſoluit Epheſo, & cum deueniſſet Cæſaream, illuc aſcẽdit, & ſalutata Eccleſia Antiochiã profectus eſt. & traducto ibi quodam tempore eſt egreſſus pertranſiens deinceps Galaticam regionem, & Phrygiam, diſcipulosq; omnes confirmans.

Quidnam cum propheta eſſet Paulus, et ſciret ſe reuerſurum eſſe, non ſimpliciter & abſolute rediturum ſe eſſe promiſit, ſed adiũxit Deo uolente: vt nos videlicet doceat, nihil de futuris faciendis promittere, niſi, Deo volẽte, adiũgamus: quid enim ſuperueniens dies paritura ſit, nouit nemo.

Iudæus autem quidam nomine Apollos genere Alexandrenſis uir eloquens Epheſum deuenit, potens in ſcripturis. Hic in uia Domini erat initiatus: & feruens ſpiritu loquebatur, & de Domino exquiſite docebat.

Non nulli dicunt Apollon hunc eundem eſſe,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui & Apelles Corinthiorum episcopus, de quo alibi inquit. ego plantaui, Apollos irrigauit. Vel igitur binominis erat vir: vel alterum nomen in posterum transmutauit. 1.Cor.3.b

Cum sciret tantum baptismum Ioannis, hicq; in synagoga libere ac fidenter loqui cœpit. Cum uero eum audiuissent Aquila & Priscilla, assumpserunt ipsum, & exactius ipsi Dei uiam exposuerunt. Cum autem uellet ipse in Achaiam pertransire, adhortati fratres scripserunt discipulis, ut ipsum admitterent. qui cum accessisset, multum illis qui crediderant, contulit per gratiam: quippe cum uehementer Iudæos conuinceret publice ex scripturis, Christum esse Iesum demonstrans,

Dignum inquisitione est, quo pacto is si Ioannis baptismum tantum nouerat, spiritu ita feruebat? spiritus enim non sic dabatur. Quo pacto item si qui post hunc fuerunt, Christi baptismate indigebāt, multo magis huic eo opus nō erat? Quid ad hæc dicendum est? non enim temere vtraq; hæc deinceps posuit. Videtur igitur hic ex centum illis & viginti fuisse, qui cum Apostolis fuerunt baptizati. Vel si id non est, existimādum huic quoq; idem q̄ Cornelio, contigisse. Sed neq; hic sicut ille, baptizat. Re igitur diligēter considerata, neq; hoc videtur fuisse, propterea q̄ baptizari ipsum oportuisset. Nam duodecim alij quos inferius commemorat, qui baptizati a Ioāne fuerāt, nihil exquisite nouerāt, ne de

Iesu quidē. Quocirca verisimile est ipsum hūc quoq; fuisse baptizatum. Si enim hi qui a Ioāne fuerant baptizati, rursus baptizabantur, idem quoq; discipulos facere oportebat.

De baptismo, & spiritus sancti dono dato per orationem Pauli ijs qui Ephesi crediderant: de filijs Sceuæ Iudæi contra quos inualuit dæmon: de confessione credentium: de seditione a Demetrio aurifice concitata contra Apostolos.

Cap. XIX.

EFFECTVM autem est, ut dum Apollos esset Corinthi, Paulus superioribus partibus peragratis Ephesum uenerit: inuentisq; ibi quibusdam discipulis ad ipsos dixerit: nunquid spiritum sanctum accepistis ubi credidistis? illi uero dixerunt ad ipsum: sed neque an sit spiritus sanctus, audiuimus. dixitque ipsis: in quid autem baptizati estis? responderunt illi, in Ioannis baptismum.

Quo modo hi qui Ephesi erant, Ioannis baptisma habebant? fortasse erant Hierosolymis tunc, & adierunt Ioannem, ab eoq; fuerunt baptizati. & neq; Iesum nouerant. Vnde etiam nō dicit: nunquid creditis in Iesum? sed, nunquid spiritum sanctum accepistis? licet sciret eos ipsum non habere. sed interrogat tamen, vultque eos respondere, vt vbi cognorint, quibus sint priuati, ea statim appetant, & requirant.

Et Paulus dixit: Ioannes quidem baptizauit pœnitētiæ baptismate, populo dicens, in eum qui post ipsum ueniebat, ut crederent, id est, in Christum Iesum. quæ Mat.3.c

cum audiuissent, baptizati sunt in nomine Domini Ie su: & cum imposuisset ipsis manus Paulus, spiritus sanctus in ipsos uenit, loquebanturq; linguis & prophetabant. Erāt autem omnes uiri circiter duodecim. Cum autem ingressus in synagogam esset, per menses tres fidenter loquebatur disserens, & suadens de regno Dei.

Ex Ioannis baptismate prophetat, idque hoc sibi velle ipsis insinuat. nam imperfectum fuisse Ioannis baptisma ostendit: non enim id remissionis esse inquit, sed pœnitentiæ. Deinde cum baptizati in nomē Domini fuissent, manibus Pauli impositis spiritum statim acceperunt. sed cum eum non viderent, inuisibilis enim est: sensibile tamen quoddam argumentum operationis illius gratia exhibuit: vt alius Persica, Romana alius, alius Indica, aut tali aliqua lingua vteretur. atq; ita alijs extrinsecus spiritum esse in ijs qui loquebantur, manifestauit Deus, id potestatis supernę esse declarans.

Vbi autem quidam obdurabantur, & non credebant, uiam maledicentes coram multitudine, recedens ab ipsis discipulos segregauit, quotidie in schola tyranni cuiusdam disserens. Id autem per annos duos effectum est: ut omnes qui habitabant Asiam uerbum Domini Iesu audiuerint, & Iudæi, & Græci. uirtutesq; non quaslibet Deus per manus Pauli faciebat.

Vel viam appellat Christum, vel fidem verā: quippe

quippe cum ea via sit, quæ in regnum cœlorum deducit. Hinc vero nos docet, ab ijs qui Dei filio maledicunt, illos qui in eum credunt, separari debere.

Vt etiam super ægrotātes a corpore eius sudaria, & semicinctia inferrentur, & morbi ab ipsis recederent: & spiritus mali ab ipsis egrederentur.

Sudaria & semicinctia vtraq; linea fuisse existimo. sed sudaria in capite iniciuntur: semicinctia in manibus cōtinent, qui gestare horaria nō possunt, cuiusmodi sunt qui stolas consulares gestant. vel lintea ad humores faciei, vt puta sudores, muccos, lacrymas, atque huiusmodi reliqua abstergenda.

Aggressi sunt autem quidam ex circumeūtibus Iudæis exorcistis super eos qui spiritus malos habebant, nomen Domini Iesu inuocare, dicentes: adiuro uos p Iesum quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Sceuæ Iudæi pontificis filij septem, qui hoc faciebant. Cum uero respondisset spiritus malus, dixit. Iesum cognosco, & Paulum scio, uos uero quinam estis? & insiliens in ipsos homo in quo erat spiritus malus, & dominatus ipsis inualuit contra ipsos, ita ut nudi & uulnerati e domo illa effugerint. Atq; hoc notum effectum est Iudæis omnibus & Græcis qui Epheſi habitabant. & timor in omnes eos incidit. & nomen Domini Iesu magnificabatur.

Loquutio ipsa cũ inquit, exorcistas & adiuratores, indicat eos non q̃ crederent in Iesum, immundos spiritus in nomine Iesu adiurasse, sed vt tentarent. propterea cum non essent fideles, vt spiritus immundus dicit, impudentiæ suæ ac petulantiæ pœnas cito dederũt. spiritus enim ipsos redarguit, et fraudem ipsorum manifestauit mirum in modum indignatus: perinde ac si quis ab inimico in extrema pericula inductus eum conuinceret, velletque omnem iram & furorem in ipsum effundere.

Et multi qui crediderant, ueniebant confitentes et annunciantes actiones suas. satis item multi ex ijs qui curiosa egerant, contulerunt libros & combusserunt coram omnibus. computaruntq; precia ipsorum, & inuenerũt nũmorum quinquaginta milia. Ita fortiter uerbum Domini crescebat & pollebat. Vbi uero hæc expleta sunt, proposuit Paulus in spiritu peragrata Macedonia & Achaiai in Hierusalem proficisci, dicens: postæquàm illuc uenero, Romam etiam uidere me oportet. cumq; duos qui sibi ministrabant, Timotheum & Erastum in Macedoniam misisset, ipse tempus quoddam commoratus in Asia est. Eo autem tempore de uia non parua orta turbatio est. Quidam. n. nomine Demetrius, argentarius artifex cum ædes argenteas Dianæ faceret, quæstum non paruum artificibus exhibuerat. is cum eos cõgregasset, aliosq; huiusmodi rerum opifices, dixit: Viri, scitis facultatem nostram ex hoc quæstu esse. & spectatis et auditis Paulum non Ephesi tantum, sed Asiæ ferè totius suadendo multam turbam seduxisse: dum dicit, non esse deos qui manibus facti sunt. Non solum autem periculum est, ne hæc pars nobis in reprobationem ueniat: uerum ẽt ne magnæ deæ Dianæ templum pro nihilo habeatur: futurumque sit, ut maiestas ipsius quam tota Asia & orbis terrarum colit, etiã destruatur. Cum uero hæc audiuissent, & pleni ira essent effecti, clamabant dicẽtes: Magna Diana Ephesiorum est. & repleta tota ciuitas est cõfusione. irruerũtq; unanimiter in theatrũ correpto Caio & Aristarcho Macedonibus comitibus Pauli. cum autem prodire in populum uellet Paulus, discipuli eum non permiserunt. Quidam etiam ex Asiæ principibus qui erant ei amici, mittentes ad ipsum ne se in theatrum daret, hortabantur. Alij igitur aliud quid clamabant. erat enim concio confusa: & pleriq; qua de causa illuc conuenerant, ignorabãt. Ex turba autem produxerunt Alexandrum, proponentibus ipsum Iudæis. Alexander uero concussa manu populo reddere rationem uolebat. quem cum agnouissent Iudæum esse, uox una ex omnibus facta est quasi per horas duas clamantium, Magna est Diana Ephesiorum:

Oportet, vt vnusquisque fidelis peccata sua manifestet, atque eis se arguendo ita renunciet, vt non amplius committat: quo iustificetur, iuxta dictum illud. Dic tu prius peccata, vt iustificeris. Aduertẽdum autem id qd deinceps sequit, Esa. 43. d

libros magicos & præstigiosos, licet multo precio æstimarẽtur, quasi vtilia multa et curiosa ad vitam hominum pertinentia cõtinerent, eos qui in Christum crediderunt, minime vendidisse, sed combusisse, cum tamẽ alij huiusmodi essent, qui eos sibi libẽtissime comparassent. Id quod duabus de causis factum esse constat: primum, neqs pestilentis ac contagiosæ eorum doctrinæ particeps fieret: deinde, ne ex ea re lucrarentur. sicut enim vetitum est, ne lucrum ex fornicatione acquisitum Deo offeratur: sic vt pecunia ex tali re cõparata ad pedes Apostolorum poneretur, neqs iustum, neque vllo modo admittendum esse iudicarunt.

Cum sedasset autẽ turbam scriba, dixit. Viri Ephesii, quis homo est, qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse magnæ deæ Dianæ, & a Ioue lapsi? cum igitur his contradici non possit, conuenit uos sedatos esse, & nihil temere agere. adduxistis enim uiros hos qui neq; sacrilegi sunt, neq; deæ uestræ maledicunt.

Magnam esse Ephesiorum superstitionẽ ostẽdit scriba ex eo qꝺ inquit cultricem esse eam ciuitatem & ornatricem templi Dianæ, & simulacri eius qꝺ a Ioue lapsum etiam vocabant, vtpote qꝺ de cœlo cecidisset. Nam omnes vel testã & ancile de cœlo a Ioue missum διοπετές id est, a Ioue lapsum appellabant, vel statuam quæ de cœlo ceciderat, vel Palladium, quemadmodum ad terrendos simpliciorum animos Græci fabulantur, quod in cœlo a Ioue fuisse formatum, nõ ab hominibus opinabantur. Potest etiam hic διοπετές, id est, a Ioue lapsum templum Iouis intelligi, quasi contexum, & rotundum dicas. vel sacellum aliud apud ipsos ita nominabatur. Cum uero, inquit, cultricem, id est, νεωκόρον: idest ædituam quasi templi ministrã intelligit. κορεῖν enim verrere & mundare significat. vnde fit νεωκόρος, ὁ τὸν νεὼν κορῶν. i. qui templum mundat, atque exornat.

Quòd si Demetrius et qui cum ipso sunt artifices, aduersus aliquem causam habent, Forenses aguntur, et proconsules sunt, accusent se mutuo. si uero aliquid de alijs inquiritur, in legitima concione dissoluetur. Nam periclitamur, ne seditionis hodiernæ accusemur, cum nulla causa sit, de qua concursus istius reddere rationem possimus. & cum hæc dixisset, dimisit cõcionẽ.

Genus erat iudicũ in Asia vile, qui ἀγοραῖοι, .i. forenses aut vulgares appellabãtur, qui paupe rum & plebeorum hominum lites iudicabant, quemadmodum in vrbibus quibusdã sunt, quos ἐκδίκους, id est, vindices vocant. Proconsules. n. diuitum causas & grauiores audiebant. Dicunt etiam ἀγοραῖοι, id est, forenses seu circumforanei causidici, ab eo qꝺ ἀγορεύουσι, id est, dicũt causas & concionantur.

De Pauli peregrinatione in Græciam & Macedoniam, vbi Euthycus a Paulo suscitatur: item in Assum, Mitylenem, Samum, Miletum, quo aduocatos seniores Ephesi Paulus confirmat.

Cap. XX.

POSTEAQVAM sedatus fuerat tumultus, cum aduocasset Paulus discipulos & salutasset, exijt ut in Macedoniam proficisceretur. cumq; eas partes pertransisset, eosq; multo sermõe fuisset adhortatus, in Græciam uenit. cumq; ibi tres menses mãsisset, insidijs ipsi a Iudæis factis nauigaturo ĩ Syriã, consilium initum est reuertendi per Macedoniam: consequutusq; ipsum est usque in Asiam Sopater Berrhœensis, & Aristarchus & Secundus ex Thessaloni censibus, & Caius Derbæus, & Timotheus, Asiani autem Tychicus & Trophimus. Hi progressi in Troa de nos expectarunt. nos autem post dies Azymorum a Philippis abnauigauimus, & ad ipsos in Troadẽ diebus quinq; peruenimus. ubi morati septẽ dies fuimus. Vna autem sabbatorum cum congregati ad frangendum panem essent discipuli, disserebat ipsis Paulus discessurus in crastinum, & usq; ad mediam noctem sermonem produxit. erant autem faces multæ in cœnaculo ubi erant congregati. Iuuenis autem quidam Eutychus nomine in fenestra sedens cum profundo somno opprimeretur, disserente Paulo magis oppressus decorsum e tertia contignatione decidit: et sublatus est mortuus. cum autem descendisset Paulus incubuit super eum, & complexus dixit: ne trepidetis: anima enim eius in ipso est. Cumq; surrexisset, & fregisset panem, & gustasset, multumq; alloquutus usque ad lucem, ita egressus est. duxerunt autem puerum uiuentem, & consolati sunt non mediocriter. Nos autem progressi

ad nauigium soluimus in Assum inde assumpturi Paulum: sic enim constituerat, ipse per terram iter facturus. Vbi uero in Assum nobis occurrit, assumpto ipso uenimus Mitylenem. atq; inde nauigãtes sequenti die contra Chium deuenimus, et altero die Samum appulimus. & cum mansissemus Trogillij sequenti die uenimus Miletum. Decreuerat enim Paulus Ephesum præternauigare, ne sibi eueniret ut moram trahere in Asia cogeretur. festinabat enim ut si fieri ipsi posset, ad diem pentecostes Hierosolymis adesset.

Aliorum qui comitabantur Paulum, patrias etiam vnde erant, exponit, quo notiores inde eos faciat. Timotheum vero solo nomine contentus appellauit, tum quia ipse ex moribus & virtute satis erat notus: tum q superius patriæ eius mẽtionem fecerat, vbi inquit: Deuenit autem Derben & Lystram: & ecce discipulus quidam erat illic Timotheus nomine. Sed si Derbęus hic gẽtile nomen est & non proprium, nunc quoq; patriæ eius fortasse mentionem fecit. Sup. 16.

A Mileto autem cum misisset Ephesum presbyteros ecclesiæ accersiuit. ubi autem accesserunt, ipsis dixit: Vos scitis a primo die ex quo ingressus in Asiam sum, quo modo uobiscum omne tempus uersatus sim Domino seruiens cum omni humilitate, & multis lacrymis, et tentationibus quæ mihi in insidijs Iudæorum cõtingebant: quo modo nihil ex utilibus suppresserim, quin annunciarim uobis, & docuerim uos pu-

blice, & per singulas domos, testificans & Iudæis & Græcis pœnitentiam in Deum, & fidem in Dominũ nostrum Iesum Christum.

Quoniam plerosque noui testamenti & episcopos presbyteros, et presbyteros episcopos nominandi latet cõsuetudo: tum ex hoc loco, tũ ex epistola ad Titum, nec non ad Philippenses, & ex priore ad Timotheum animaduerti id maxime potest. Hinc sanè, propterea q̃ cum dicat, a Mileto cum misisset Ephesum presbyteros ecclesię accersiuit, & non, episcopos: postea subiũgit, in quo vos spiritus sanctus ad pascendam ecclesiam episcopos cõstituit. Ex epistola vero ad Titum hoc percipimus, cum inquit, constitues per singulas vrbes episcopos, quemadmodum ego tibi ordinaui. Ex epistola ad Philippenses, qui sunt Philippis cum episcopis & diaconis. Existimo autem ex priore quoque ad Timotheum idẽ colligi optime posse. siquis enim, inquit, episcopatum appetit, bonũ opus cupit. oportet igitur episcopum irreprehensibilem esse. et paulo post: vidua deligatur non minor natu q̃ sexagenaria. Regula. n. hic ẽ ecclesię, quę qualis esse is debeat, præscribit. Cum vero, inquit, cum omni humilitate &c. doctrinæ modum ostendit, in qua sine vlla inuidia, sine vlla detrectatione & tarditate, & cum affectu & misericordia rem exequutus est. afficiebatur enim tam pro ijs qui peribant, q̃ pro ijs qui perdebant. & cum multę sint humilitatis species, ipse ĩ omni humilitate se gessisse ait, tam in verbis, q̃ in re: tã apud principes, q̃ apud

Ti.1.b

Phil.1.a

1.Tim.3.a

2.Tim.5.b

subditos. Cum vero ait, nihil ex vtilibus & ex ijs quæ ipsis conferebant, subticuisse, ostẽdit nõnulla esse etiam quæ eos adhuc scire non oportebat. Nam sicut occultare aliqua, inuidiæ: ita omnia manifestare, stultitiæ videtur. propterea addidit ex vtilibus se nihil non modo non tacuisse, verum etiam docuisse.

Et nunc ecce ego uinctus, spiritu in Hierusalem proficiscor, quæ mihi ibi occursura sint, ignorans: nisi q̃ spiritus sanctus per singulas urbes testatur dicens, uincula me & afflictationes manere. sed nullius rei habeo rationem, neq; animam meam habeo pretiosam mihi ipsi, dummodo consummem cursum meum cũ gaudio, & ministerium, quod a Domino Iesu accepi, ut testificer euangelium gratiæ Dei. Et nunc ecce ego noui non amplius faciem meam uos omnes esse uisuros, inter quos transiui prædicans regnum Dei.

Hic post (vinctus) subdistinguendum est, vt sensus sit talis: Hierusalem proficiscor per spiritum ventura prænoscens: proficiscor autem vinctus. et deinde nequis vinculis & necessitate coactum eum ire opinaretur, vtque ostendat se sponte abire, subiungit: nisi q̃ spiritus testatur, p̃ singulas vrbes vincula me et afflictationes manere.

Quocirca testor uobis in hodierno die, mundum me esse a sanguine omnium. non enim subticui uobis, quin omne consilium Dei annunciarim.

Mundus sum, inquit, a sangnine omnium, si

dormitantes ab interfectore animarum fueritis occisi. qđ magistri enim erat munus, exequutus sum, dum consilium Dei vobis annunciarim. sicut igitur si non dixisset, sanguinis, id est, cædis ipsorum reus esset: sic ipsos quoque ostendit, p̃ prij̃ sanguinis reos futuros, si quæ didicerunt, nõ fecerint. atque ita in terrorem inducit.

Attendite igitur uobis ipsis & toti gregi, in quo spiritus sanctus uos ad pascendam ecclesiam Dei episcopos constituit, quam proprio sanguine acquisiuit. Ego hoc scio post discessum meũ lupos rapaces ingressuros esse ad uos, qui non parcent gregi: & ex uobis ipsis surrecturos esse uiros qui loquentur peruersa, ut discipulos post se auellant. Propterea uigilate memoria tenentes me per triennium nocte & die non cessasse cum lacrymis unumquemq; uestrum monere. et in præsentia fratres commẽdo uos Deo, & uerbo gratiæ eius, qđ superædificare, & dare uobis hæreditatẽ inter sanctificatos omnes potest.

Duo mãdat vt faciant magistri: quippe cum neque efficere tantum vt alĩ recte agãt, vtile sit: neque sui tantum curam habere neglectis cæteris, conueniat. qui enim ita facit, sui amator est, ac vituperatur. Aduertendum autem quos superius p̃sbyteros vocauerat, eos hic episcopos appellasse, vel ab ἐπισκοπεῖν qđ est inspicere & explorare, propterea q̃ videlicet necesse est, vt p̃sbyteri ecclesiæ rationalem gregem inspiciant et explorẽt, nũquis ægrotet, nũquis esuriat, aut sitiat

in fide: nunquis item reprehensione & conuersione indigeat. vel etiam episcopos hic vocat eos, qui episcopi re vera sunt.

Argentum & aurum aut indumentum nullius appetiui. sed ipsi scitis necessitatibus meis et eorum qui mecum erant, has manus ministrasse. Omnia exemplo ostendi uobis, ita laborando oportere infirmis auxiliari: meminisseq; uerborum Domini Iesu. q̃ ipse dixerit: beatum est dare magis, quàm accipere. Et cũ hæc dixisset, positis genibus suis cum omnibus ipsis preces effudit. Magnus autem fletus omnium factus est. & iniecti ad collum Pauli deosculabantur ipsum, dolentes maxime ob id qđ dixerat, ipsos non amplius faciẽ eius esse inspecturos: & deducebant eum ad nauigiũ. 1.Cor.4.b 1.Thes.2.b 2.Thes.3.b

Radicem malorum, id est, auaritiam penitus tollit. non enim, inquit, non accepi, sed, ne appetiui quidem. Deinde ostendit veram eleemosynã indigentibus ex proprijs laboribus fieri debere: quippe cum ex alienis dare honestum non sit. atq̃ ad confirmationem huius dictum Domini adducit: qđ tamen nunc in scriptura non inuenitur. Quãq̃ fortasse vel id sine scriptura tradiderunt Apostoli: vel sicut colligere quispiã posset, per alia verba idem tamen significantia dictum fuit. Non autem dicit malum esse accipere & distribuere, sed melius non accipere: quippe cum affectum id erga infirmos præ se ferat. Primus igitur gradus est, sua ipsius proijcere: Secundus, sibi ipsi suppeditare: Tertius, etiam alijs: Quar

tus,cum quis prædicat ita vt accipiẽdi potestatem habeat, non accipere. is enim inopibus ac nihil possidentibus longe melior est.

De nauigatione Pauli e Mileto in Cæsaream vsq; Palestinæ: vbi Agabus Paulo comprehensionem in Hierusalem prophetat: de profectione Pauli in Hierusalem, vbi ab Iacobo monetur, vt purificetur: de tumultu concitato a Iudæis in Hierusalem, & comprehensione Pauli.

Cap. XXI.

VBI autem effectum est, ut abstracti ab ipsis solueremus, recto cursu usi Coum uenimus, & sequenti die Rhodum, inde Patara. Cumque inuenissemus nauigium qđ trasfretabat in Phœniciam, id inscendentes soluimus. Cumq; apparuisset nobis Cyprus, ea ad sinistrã relicta in Syriã nauigauimus, ì Tyrũq; apulimus. illuc. n. nauis merces erat exoneratura.

Quod inquit, huiusmodi est: cum non inuenissemus nauigium qđ in Cæsaream iret, sed in Phœnicem, id ascendimus. et cum nauigaremus, Cyprum omisimus et Syriam. nam cum inquit, (ea ad sinistram relicta) non temere dictum est: sed vt significet ne ppe quidem Syriam eos ire studuisse. Venerunt igitur in Lyciam & omissa Cypro in Tyrum appulerunt, vbi nauigium onus exponebat.

Inuentis autem discipulis, illic dies septem sumus commorati. qui Paulo per spiritum dicebant, ne in Hierusalem ascenderet.

Non inquit per spiritum eos Paulo cõsuluisse, sed cum per spiritum cognouissent. non enim ipsi pericula prædicebant, sed ne Hierosolyma adiret, saluti eius consulentes monebant.

Quando uero effectum est, ut perfecerimus dies, egressi ibamus omnibus nos deducentibus cum mulieribus et filijs usque extra urbem. et positis genibus in littore orauimus: & mutua salutatione facta nauigium inscendimus: & illi ad propria redierunt. Nos uero absoluta nauigatione a Tyro in Ptolemaidem deuenimus: & salutatis fratribus uno die apud ipsos mansimus. sequenti autem qui cum Paulo erant, Cæsaream uenerunt: & ingressi in domum Philippi euangelistæ qui erat unus ex septem, apud ipsum mãsimus.

Perfecerimus dies, id est, absoluerimus, & expleuerimus: posteaq; enim constitutos dies expleuimus, id est, post azyma, in Ptolemaidẽ venimus.

Huic erant filiæ uirgines quatuor quæ prophetabant. cumq; nos plures dies ibi commoraremur, aduenit quidam a Iudæa propheta nomine Agabus: qui cũ ad nos accessisset, cingulo Pauli sumpto, ligatisq; eo sibi manibus & pedibus, dixit: hæc spiritus sanctus dicit: uirum cuius est hoc cingulum, Iudæi in Hierusalem ita ligabunt, & in manus gentium tradent. Quæ cum audiuissemus, hortabamur & nos, & qui loci illius erant, ne in Hierusalem ascenderet. Respondit q; Paulus, quid facitis flentes, & cor meum affligentes? Ego enim non solum uinciri, uerum etiam mori in Hieru-

salem pro nomine Domini Iesu promptus sum. cumq; ipse non obtemperaret, quieuimus dicentes: uoluntas Domini fiat.

Aduertendum, Philippum qui erat diaconus, filias habuisse. vt ei etiã qui nuptias fuisset expertus, fungi ministerio diaconi tunc licuisse videatur. Aduerte etiam filias has eius prophetantes virgines fuisse: & quia virginitatem ob religionem maxime seruarũt, dignas prophetia habitas fuisse. perspicuum enim est, virginitatem ipsas quoq; præcipuo studio excoluisse. nam si id non esset, scriptor virgines eas fuisse, sibi non esse addendum censuisset.

Post dies autem hos sumptis sarcinis in Hierusalẽ ascendebamus. simulque nobiscum uenerunt etiam ex discipulis e Cæsarea adducentes secum Mnasonem quendam Cyprium ueterem discipulum, apud quem hospitati fueramus. Cum uero in Hierosolyma uenissemus, libenter fratres nos admiserunt. Sequenti autem die Paulus nobiscum ad Iacobum est ingressus: omnesque accesserunt presbyteri: quibus ille salutatis sigillatim cuncta exposuit, quæ per ministerium eius Deus inter gentes fecerat, quæ cum illi audiuissent, Dominum glorificarunt: dixeruntque ipsi. Vides frater quot milia Iudæorum sunt qui crediderunt? & omnes æmulatores legis sunt. instructi autem de te sunt, q. defectionem a Moyse omnes qui inter gentes sunt, Iudæos doceas, ne filios circuncidant suos, né ue

in consuetudinibus ambulent. Quid igitur est? conuenire multitudinẽ, prsus necesse est. te. n. uenisse audiẽt.

Sũptis sarcinis quod Græce dr̃ ἐπισκευασάμενοι id est, viatico & rebus ad iter necessarijs instructi. Cum vero inquiunt. (Vides frater, &c.) qui cum Iacobo erant, consulunt, non præcipiunt, et mandant: vnde etiam ipsi persuadent. Concessio enim hæc & consensio, qua Paulus in purificatione hac ad multorum infirmitatem sese accommodat, ac demittit, dispensationis est, non institutionis: vnde non est prædicationis abrogatio, sed dispensatio. Qui enim Hierosolymis crediderant Iudæi, adhuc legis consuetudines seruandas sibi esse existimabant.

Hoc igitur facito, quod tibi dicimus. Sunt nobis uiri quatuor, qui in se uotum habent. his assumptis purificeris cum ipsis, et expende in ipsos, ut radant caput, & cognoscant omnes nihil esse ex ijs quæ de te audiuerunt, sed te etiam ambulare seruantem legem. De gẽtibus uero quæ crediderunt, nos scripsimus, iudicantes, ut nihil tale ipsi obseruent, nisi qđ idolis imolatũ fuerit, & sanguinem, & fornicationem caueant. Tũc Paulus assumptis uiris sequenti die cum ipsis purificatus in templum ingressus est expletionem dierum purificationis annuncians, quoad pro unoquoq; ipsorum offerretur oblatio. Cum uero septem dies complerentur, Iudæi qui ex Asia erant, intuiti ipsum in templo totam turbam confuderunt, manusque in ipsos iniece-

runt, clamantes. Viri Israelitæ opem ferte. Hic est homo ille qui contra populum & legem et locum hũc ubique omnes docet: & præterea Græcos etiam in tẽplum introduxit, & sanctum locum hunc communicauit. Viderant enim Trophimum Ephesium in urbe cũ ipso, quem in templum Paulum introduxisse existimabant. Commotaque est tota ciuitas, & concursus populi factus est. & apprehensum Paulum extra templum trahebant. & statim clausæ ianuæ sunt. cum uero quærerent eum interficere, rumor ad tribunum cohortis uenit, totam conturbatam esse Hierusalem: qui confestim assumptis militibus & centurionibus ad ipsos concurrit: at illi uiso tribuno & militibus uerberare Paulum destitere. Cũ uero appropinquasset tribunus, ipsum apprehendit, iussitque uinciri duabus catenis, & interrogabat quisnam esset, & quid feciſſet? alij autem aliud quid clamabant in turba. unde cum ob tumultum certum cognoscere non posset, deduci in castra ipsum iussit.

Consulunt, vt re non verbis defensionem sui faciat se cum ipsis purificando. Tu, inquiunt, in ipsos expẽde, id est, sacrificia q̃ secũdũ legẽ, p ipsis offerri cõsueuerũt, tu exhibeas, vt suspicionem omnem tollas, & te non modo non docere quæ sint præter legem, verum etiam quæ a lege iubentur, seruare ostendas. Ne autem posset dicere, at si gentes hoc resciuerint, scandalum patientur, atq; offendentur, subiungunt. (De gentibus vero

vero quæ crediderunt) id est, quantum ad gentes quæ crediderunt spectat, nos scripsimus ne tale quicpiam seruent. Quemadmodum igitur nos licet Iudæis prædicemus, gentibus ita mandauimus: sic tu etiam cuius gentibus prædices, nobis consentias. consensio enim hæc est, et ad aliorum infirmitatem descensio: nihil suspiceris. vt Hierosolymis præterea hoc fiat, tolerabile est. Hic igit hoc facito, vt illud alibi facere tibi postea liceat. Atq; ita paruit ipsis Paulus, & rasus est, & iudaica omnia absoluit.

Cum uero ueniſſet ad gradus, contigit ut à militibus ob uim turbæ gestaretur. Sequebatur enim multitudo populi, clamans: tolle ipsum.

Mos Iudæis est, vt hac voce contra iustos vtantur, quemadmodum etiam cõtra Dominũ fecerunt, vt clament scilicet, tolle ipsum, id est, aufer e numero viuentium ipsum. Alij vero hoc alio modo intelligendum censent, vt cum dicunt (tolle) illud significetur, qd apud nos Romana consuetudine dicitur: in signis ipsum inijce, ac præfige. Ioan. 19. c

Cumque iã in castra esset introducendus Paulus, tribuno dicit: licet ne mihi loqui ad te? Ille uero, inquit, Græce nosti? Nõne tu es Aegyptius ille, qui ante hos dies euertisti, atque in desertum quatuor milia uirorum sicariorum eduxisti?

Hic Aegyptius homo quidam erat seditiosus, & impostor, & præstigiator: quem diabolus vt

mira inter Iudæos prodigia faceret, ea de causa excitauerat, vt Paulus quoq; eisdem quibus ille criminibus obnoxius esse videretur. Quemadmodum etiam Christi temporibus Theudam & Iudam Galilæum. Cum vero dixisset tribunus (non ne tu es Aegyptius?) statim ipsum Paulus ab hac suspicione liberat, cũ & gentẽ & religionem suam exponat. nam alibi quoq; se legitimũ Christi discipulum vocat. Sicariũ autẽ latrones dicuntur, qui incuruis gladijs acinacibus Persarum magnitudine similibus uti consueuerunt, qui sicæ a Romanis nominantur: vnde qui his instructi latrocinantur, dicti sicariũ sunt. Alij nomen sectæ apud Iudæos esse hoc opinantur. tres enim præcipuæ apud Iudæos sunt, Phariseorũ, Sadduceorũ, et Essenorum. Hi sanctiorem vitã traducebãt, cum se mutuo amore prosequerent, & essent continentes. vnde Esseni etiam. i. sancti fuerũt appellati: quos Sicarios quoq;, id est æmulatores vocatos fuisse nonnulli asserunt.

Dixit autem Paulus: Ego homo sum Iudæus Tarsensis, non obscuræ ciuitatis Ciliciæ ciuis. rogo autẽ te permitte mihi ad populũ loqui. Cũ uero ille permisisset, Paulus stans in gradibus manu indixit ad populum. & magno silentio effecto Hebraica lingua loquutus est, dicens.

Quo modo inquit Paulus se esse Iudæũ Tarsensem, & paulo post se Romanum fatetur? cum nõ in alio tempore, sed eodem hæc vtraq; dicat, & apud eosdem auditores? cumq; pręterea vbi

dixisset (hominem ne Romanum & incondẽnatũ licet vobis cędere?) & tribunus interrogasset, nunquid tu Romanus es? se esse Romanũ cõfirmarit, neq; id simpliciter, sed se ẽt esse natũ Romanũ asseruerit? ita vt ex hoc maxime verũ eũ dixisse perspicuum sit. Nã si alio tẽpore se Tarsensem, alio Romanum appellasset: aut apud alios auditores hoc, apud alios illud dixisset: posset aliquis probabiliter fortasse existimare, eum se Romanum finxisse, quo apud præsentes Tarsensis esse non agnosceretur. Sed cum se Tarsensem vocasset, nisi ꝙ maxime veritatis sibi ipsi fuisset conscius, nunq; apud eosdem se Romanũ appellare ausus fuisset: præsertim cum esset verberandus. perspicuum enim est, si mentitus fuisset, eum non solum se mentiendo verberibus liberaturum fuisse, verum etiam grauiorem pœnam sibi redditurum. præterq; ꝙ Iudæorum aduersus se calumnias, quòd esset impostor, mendax, & præstigiator comprobasset: quas maxime omnium refellere ac reprobare nitebatur. Adde ꝙ nisi eum esse Romanum fuisset confirmatum, tribunus neq; verberare ipsum destitisset, neq; insidijs appetitum a Iudæis diligenter eripuisset, neq; de ipso ad Felicem scripsisset, ꝙ Romanus esset, seq; eum vtpote Romanum hominem a Iudæorum insidijs eripuisse. Iudæi præterea qui falsa etiã aduersus ipsum crimina confingebant, nunq; si fuisset mentitus se Romanũ appellando, occasionem hanc præterijssent: sed ex hoc ipso mẽdacio calumniandi locum nacti, nisi fuissent de reliquis etiam verum dixisse. Sed

Supra. 17
Infra. 22

quo pacto fieri potest, vt & Tarsensis & Roma
nus fuerit? Audi Philippenses quando Paulum
Supra.16 & Silam in forum ad magistratus traxerunt, po
steaq; Pythonem spiritum e puella eiecerant, qd
inquiunt? hi homines ciuitatem nostram contur
bant, Iudæi cum sint, & annunciant consuetudi
nes, quas nobis cum simus Romani, neq; admit-
tere licet, neq; facere. Vides Philippenses se Ro-
manos appellare? Ita igitur nihil vetat, quo mi-
nus Paulus & Tarsensis fuerit, et Romanus. Nã
quia præclarum videbatur cum quis Romanus
vocabatur, et præstantius quid quantum ad glo
riam attinet, cõsequutus esse existimabatur: mul
ti & publice per singulas ciuitates, & priuatim
per singulos viros dabant operam, vt hanc sibi
appellationem compararent. Atq; ita efficiebat,
vt a patria quidem vnusquisq; quæ ipsum pro-
tulerat, nuncuparetur, quo vnde esset natus, si-
gnificaret: Romanus vero vocaretur, vt nomine
eo dignitatem præ se ferret. Sic igitur & Paulus
cum ipsum ignominia & verberibus erant affe-
cturi, nomen hoc prętẽdit, quo ipsos terrefaciat,
& a facinore huiusmodi cohibeat. Cæterum in-
quiunt, vt hæc concedamus, qui fieri potest, vt
& Tarsi genitus sit Paulus, & Romę? Nam vt
Tarsi fuerit natus, & vocetur Romanus huius-
modi nomine honoris & dignitatis causa sibi
acquisito, esse posse demonstratum est: natus ve
ro esse & Tarsi et Romę quo pacto potest? Sed
Infr.22 vbi inquit Paulus se Romæ esse natum? Ibidem
sanè, inquiunt. nam cum tribunus dicat, multa
summa ciuilitatem hanc mihi comparaui: Pau-

lus ait, ego vero & natus sum. Sed quid ad rem
hoc? non enim dixit, Romæ natus sum: sed cum
tribunus, multa summa pecuniarum hanc ciui-
litatem mihi comparaui, nõ Romam, sed Roma
nã ciuilitatem: subiungit ipse, ego et natus sum,
non Romæ sanè, neq; enim id dixerat tribunus,
sed in Romana ciuilitate, Romanoque honore,
quem tribunus se dicebat comparasse. At uero
instãt isti: quo pacto natus in Romana ciuilitate
est, si Romæ natus non est? Hac videlicet ratio-
ne, q; cum pater eius honorem hũc adeptus fuis-
set, eoq; esset nobilis et clarus effectus, Paulus in
ea patris ciuilitate & honore est natus. Inquit
igitur, Ego autem & natus sum, id est, tu digni-
tatem hanc recentem habes, quippe cum eam ti-
bi ipse acqsieris: ego in paterno honore ac glo-
ria natus sum.

De oratione Pauli ad Iudæos, vbi de vocatione sui & visio-
ne agit, qua admonitus a Deo est, vt Hierosolyma
proficisceretur: ob quod cum cędendus esset, se
ciuem esse Romanum dicens liberatus
est. Cap. XXII.

*VIri fratres, & patres defensionẽ meam apud
uos audite. Cum uero audiuissent eum He-
bræa lingua ad ipsos loqui, maius silentium præ-
stiterunt. Et inquit: Ego sum uir Iudæus Tarsi Cili-
ciæ natus, in hac uero ciuitate ad pedes Gamalielis
educatus, eruditus iuxta exactam rationem patriæ
legis, æmulator Dei, non secus atq; omnes uos estis ho
die: qui uiam hanc usque ad mortem persequutus
sum, cum ligarem, & in custodiam traderem uiros &* Sup.8.a

mulieres: ut & pontifex, & totum presbyterium mihi testificatur: à quibus & epistolis acceptis ad fratres Damascum proficiscebar, ut eos etiam qui illic erant, uinctos in Hierusalem ducerem, ut punirentur. Contigit autem mihi dum iter facerem & appropinquarem Damasco, ut circa meridiem repente lux multa circũ me circunfulserit. cecidique in terram & audiui uocem dicẽtem mihi: Saul Saul quid me persequeris: ego autem respondi, quis es Domine? & ad me dixit. Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Qui autem mecum erant, lumen quidem uiderunt, & pauefacti sunt, uocem tamen non audiuerunt eius qui ad me loquebatur. Et dixi: quid faciam Domine? Dominus autem ad me: surgens Damascum perge, & illic dicetur tibi de omnibus, quæ te facere constitutum est. cum autem ex gloria luminis non uiderem, manu deductus ab ijs qui mecum erant, Damascum perueni. Ananias uero uir quidam pius, secũdum legem ab oĩbus qui illic habitabant iudæis testimonio comprobatus, cum ad me uenisset, & astitisset, dixit mihi. Saul frater, respice: & ego ea hora in ipsum respexi. & ipse dixit: Deus patrũ nostrorum præparauit te, ut uoluntatem eius cognoscas & uideas iustum, & uocem ex ore eius audias: quia eris testis ipsi apud omnes hoies eorũ quæ uidisti & audiuisti. et nunc quid cunctaris? surge & baptizare, & inuocato nomine dñi peccata tua ablue. Effectum est autem, ut cum reuersus essem in Hierusalem, & in templo orarem, in excessum men

Sup. 9. 2

tis euaserim, & uiderim ipsum dicentem mihi: festina & egredere celeriter ex Hierusalem, propterea quòd testimoniũ tuum de me non admittent. Et ego dixi: Domine ipsi sciunt, me esse eum qui credẽtes in te per synagogas in carcerẽ intrudebã, & cædebam: & qui cũ sanguis Stephani testis tui effundebatur, astans, et consentiens interfectioni eius, pallia eorũ qui ipsum interficiebãt, custodiebã. & dixit ad me. Vade, quoniã ego procul te in gẽtes mittam. Audiebãt aũt ipsum usq; ad hoc uerbum, et uocẽ sustulerunt, dicẽtes. Tolle de terra huiusmodi hominem: non enim eum uiuere conuenit. Clamantibus uero ipsis & proijcientibus pallia, & puluerem in aerem excitantibus, iussit eum tribunus in castra induci, ut flagellis examinaretur, quo cognosceret, quam ob causam ita ipsi acclamassent. Vbi uero prætendit ipsum loris, ad astantem centurionem dixit Paulus, hominem ne Romanum, & incondemnatũ flagris cædere uobis licet? quod cum audiuisset centurio, accedens tribuno annunciauit, dicens: Vide, quid facturus sis: homo enim hic Romanus est. cum uero tribunus accessisset, dixit ipsi: dic mihi, Romanus ne es tu? ipse autem dixit: sanè. respondit que tribunus, ego multa summa ciuilitatem hanc comparaui. Paulus uero dixit, ego autem & natus sum. Statim igitur ab eo recesserunt, qui ipsum erat examinaturi, & tribunus quoque timuit, cum & eum esse Romanum nouisset, & se eum uinxisse consideraret. Et postero die cum scire certum uellet, quid esset, cuius accu

Sup. 7. 8

saretur à Iudæis, soluit ipsum à uinculis, & pontifices & totum concilium ipsorũ uenire ad se iußit, & cum Paulum produxisset, apud ipsos statuit.

Non mentitus est Paulus cum vocarit se Romanum, licet quemadmodum ipse paulo ante dixit, Iudæus esset. Tempore enim Adriani contigit, vt omnes Romani efficerentur. Magnę enim curę erant alijs ꝝ qui tũc digni habiti fuerant, vt Romani appellarentur. Hoc autem inquit, ne flagris cęsus contemnatur. nam si flagellassent, rem vlterius etiam progredi permisissent, ipsumque forsitan interfecissent. tũc autẽ si non ob aliud, ob id saltem non solum non ceciderunt, verum etiam absoluerunt. Significat autem Paulus patrem suum Romanum fuisse. Cum enim antecꝫ genitus fuisset Paulus, in ditionem Romanorũ redacta esset Cilicia, necesse fuit, vt ipse etiam qui sub ipsis erat, Romanus esset. Tunc autem iuxta prophetiam in Hierusalem est vinctus.

Sup.21.c Quid igitur postea fit? solutum ipsum tribunus ad Iudæos producit. non enim mentitus fuerat, cum se esse Romanum diceret. timuit enim, inquit, tribunus, vbi eum Romanum esse, id est ex honorifico & nobili genere esse cognouit.

De loquutione Pauli in concilio Iudæorum: de quadraginta virorum coniuratione, vt ipsum occiderent: & de indicatione eius ad Lysiam: de transmissione Pauli ad Felicem præsidem in Cæsaream.

Cap. XXIII.

CVm intente autem in concilium ipsorum inspiceret, dixit: Viri fratres, ego omni conscientia bona usq; ad hunc diem ante Deum conuersatus

sum. Pontifex uero Ananias astantibus mandauit, ut os ipsi percuterent, tunc Paulus ad ipsum dixit: uerberaturus te est Deus paries dealbate: & tu sedes iudicãs me secundũ legẽ, et pter legẽ uerberari me iubes? q astabãt aũt, dixerũt, põtifici Dei cõuinciaris? 1.Cor.4.c

Dignum inquisitione est, quo modo cum ipse alibi dicat: conuicijs affecti benedicimus, maledicti bene precamur: hic contrarium facit, & non conuiciatur tantum, verum etiam execratur. Dicimus verba hæc liberam loquutionem, & fiduciam magis, q̃ iram præ se ferre. non enim uolebat tribuno contemnendus videri. nam cum ipse flagris cędere eum abstinuerit, si postea ita ignobiliter a Iudęorũ seruis verberari se permisisset Paulus, audacior contra ipsum fuisset effectus. Hoc autem non ad seruum refert, vt nõnulli putant, sed ad eum ipsum qui imperauerat. Vnde statim se excusat, cum inquit.

Non nouera fratres eum esse pontificem, scriptũ Exo.22.d *enim est, principi populi tui ne maledixeris.*

Cum enim sciret iram etiam iustam obuelandam, & indignationem iustam obtegẽdam esse, quasi eum pœnituerit, dicit: non noueram eum esse pontificem, cuius sciret. dixerat enim prius, & tu sedes iudicans me secundum legem &c. cæterum simulat ignorationem, quę tamen non lædit, sed ædificat. possumus enim interdum ita simulatione ex dispẽsatione vti, vt maiorem vim q̃ libera & vera loquutio habeat. sicut enim sępe libera & vera loquutio importune adhibi-

ta veritatem offendit, ita opportuna ex dispensatione simulatio propositum finem assequitur. Aliqui sunt tamen qui dicant, ignorasse tũc Paulũ, quippe qui multo post tẽpore illuc redijsset, & diu cum Iudæis non fuisset versatus, eumque inter multos alios commixtum videret. cũ enim multi essent & diuersi circum circa, facile fiebat, vt pontifex non agnosceretur. Vnde quasi vera accusatio sit, se excusat, & subiungit, principi populi tui ne male dixeris.

Cum uero nosset Paulus unam partem esse Sadducæorum, alteram Phariſæorũ, clamauit in cõcilio. Viri fratres, ego Phariſæus ſum filius Phariſæi: de ſpe et reſurrectione mortuorũ ego iudicor. Cum autem ipſe hoc dixiſſet, Phariſæorum, & Sadducæorum facta ſeditio eſt: & diuiſa eſt multitudo.

Philip.3.b

Rursus hnminum in morem loquitur, & non vbique gratiam assequitur. Volebat enim multitudinem quæ contra se male consentiebat, scindere & in dissensionem inducere. Ac neque hic qdem quicquã mentitur: Phariſæus enim a maioribus re vera erat.

Matt.22.c *Sadducæi enim non esse resurrectionem dicunt, neque angelum, neq; ſpiritum. Phariſæi autem utraq; cõfitentur. Factus autem clamor magnus eſt, & cum ſurrexiſſent ſcribæ e factione Phariſæorũ, decertabant dicentes: nihil mali in homine hoc inuenimus.*

Sadducæi cum tardi quidam & crassa minerua homines essent, fortasse neque Deum esse intelligebant. vnde neque credere esse resurrectionem volebant. Phariſæi autem vtraque concedebant. Sed cum tria dixerit, quo modo (vtraque) subiungit? quia videlicet ſpiritum & angelum in vnũ reducit. Dicere etiam possumus (vtraq;) hic posuisse non de duobus, sicut proprie significat, sed de tribus, improprie. non enim simpliciũ & illiteratorum piscatorum scripta ad exactam & exquisitam loquutionis proprietatem redigẽda sunt.

Quòd ſi ſpiritus loquutus ipſi eſt, aut angelus, ne pugnemus aduerſus Deũ. Cũq; magna ſeditio eſſet facta, ueritus tribunus ne ab ipſis Paulus diſcerperetur, deſcendere exercitũ iußit, & e medio illorum ipſum rapere, & ducere in caſtra. Sequenti uero nocte aßiſtens ei Dominus dixit: bono ſis animo Paule. Sicut enim teſtatus es de me in Hieruſalem, ita te etiam Romæ teſtificari oportet.

Nonnulla exemplaria non habent (ne pugnemus aduersus Deum) sed tantũ, (ꝙ si spiritus loquutus ipsi ẽ, aut angelus.) quod si admittimus, duobus modis intelligi poterit. vel enim deerit verbum aliquod ad integrũ sensum, hoc pacto: ꝙ si spiritus loquutus ipsi est, aut angelus, incertum est. vel tanq; ex Phariſæis verbum est subintelligendum in hunc modum: ꝙ si spiritus loquutus ipsi est, aut angelus, id est, ꝙ si hic de resurrectione loquitur, eum vel a spiritu sancto, vel ab angelo instructũ id facere perspicuũ est.

Orto autem die cum se quidam Iudæi collegissent, deuouerunt se ipsos, dicentes se neq; comesturos, neq; bibituros esse, quoad Paulum interficerent. erant autem plures quàm quadraginta, qui hanc coniurationē fecerant. ij cum ad pontifices & presbyteros accessissent, dixerunt: deuotione deuouimus nos nihil gustaturos, quousq; Paulum occiderimus. Nunc igitur uos indicate tribuno & concilio, ut cras ipsum ad nos producat, quasi de ipso diligentius rem simus disquisituri: nos autem ante quàm appropinquarit, interficere ipsum parati sumus. Auditis uero filius sororis Pauli insidijs accessit, & castraq; ingressus annūciauit Paulo. cū aūt Paulus unū ex cēturionibus aduocasset, dixit: iuuenē hūc ad tribunū deduc. habet enim quiddā, quod ipsi annunciet. at ille eum secum assumptum ad tribunum adduxit. et ait: uinctus Paulus cum me aduocasset, rogauit, ut hunc iuuenem ad te adducerem habentē quicpiam dicere. apprehensa autem manu eius tribunus seceßit separatim, & interrogauit: quid est quod annunciare mihi habes? at ille dixit: Iudæi composuerunt rogare te, ut cras in concilium Paulum producas, quasi exactius de ipso sint inquisituri. tu igitur ipsis ne credideris. insidiātur enim ei ex ipsis uiri plures quadraginta, qui se ipsos deuouerunt, neq; comesturos, neq; bibituros, quoad ipsum interfecerint: et nūc parati sunt tuam promißionem expectantes. Tribunus uero adolescentem dimisit, præcipiens ne cuipiam euulgaret, quòd ea ipsi indicasset. aduocatisq; duobus

quibusdam. ex centurionibus, dixit: parate milites ducentos, ut Cæsaream usq; proficiscantur, & equites septuaginta, & lancearios ducentos à tertia hora noctis, iumentaq; iußit produci, ut impositum Paulum ad Felicem præsidē incolumem deducerent, scripta ad eum epistola quæ formam hanc continebat. Claudius Lysias præstantißimo præsidi Felici salutem. Virum hunc quem comprehenderant Iudæi, & erant interfecturi, superueniens cum exercitu eripui, ubi Romanum eum esse cognoui. Cum uellem autem causam scire, cur ipsum accusabant, produxi eum in concilium ipsorum: atq; eum de quæstionibus legis ipsorum accusari, nullū tamē aut morte aut uinculis dignum crimē habere, deprehēdi. cū uero indicatæ mihi eßēt insidiæ, quæ à Iudæis uiro huic struebantur: extēplo ad te eū misi præcipiens accusatoribus, ut quæ aduersus ipsum habent, apud te dicant. Vale. Milites igitur iuxta id quod mandatum ipsis fuerat, assumptum Paulum per noctem Antipatridem duxerūt: ac postero die permittentes ut equites cum ipso irent, in castra redierunt. Illi autem ingreßi Cæsaream, & reddita epistola præsidi Paulū quoque ante ipsum statuerunt. Cūq; eam legisset præses, interrogasseteq; è qua prouincia esset, audisseteq; è Cilicia, audiam te inquit, quando accusatores etiam tui accesserint. iußitq; ut in Herodis prætorio custodiretur.

Deuouerūt se ipsos, quod ē ἀνεθεμάτισαν, id ē, extra Dei fidem se esse uouerunt ac promiserūt,

nisi ea quæ decreuissent, fuissent exequuti. siue igitur frustrati fuissent voto & promissione, sicut fuerunt, deuoti erant futuri: siue contigisset ipsis, vt Paulum interficerent, exequerenturque id quod promiserant, rursus vtpote homicidæ detestabiles ac deuotos se erant reddituri: Deusq; ipsos deouisset, licet pontifices scelus hoc dissimulaturi essent, ac defensuri. Cū autem duplex sit deuotio, id est, ἀνάθεμα, vna quidem eius rei quæ omnibus aut multis imperceptibilis est, Deoque soli vouetur ac dicatur: altera quæ cum ab omni creatura, omnibusque sanctis potestatibus remota sit, a Deoque aliena, ob honestatis expertem alienationem diabolo addicitur: secumdæ huic isti nunc sese obstrinxerunt. Hāc autem sæpenumero non ἀνάθεμα, sed κατάθεμα, id est, non addicationem, sed dedicationem ad maiorē expressionem appellare consueuimus. Re enim vera non addicatur. i. sursum efferē, sed dedicatur. i. deorsum deferē, quod Diabolo subiicit, simulq; cum eo in condēnationē deuoluit, ac ruit.

De accusatione Tertulli aduersus Paulum, & Pauli responsione apud Felicem præsidem.
Cap. XXIIII.

POST quinq; aūt dies descēdit pōtifex Ananias cū p̄sbyteris, et Tertullo quodā oratore: qui stitere contra Paulum apud præsidem. citatoq; ipso cœpit accusare Tertullus, dicens: *Cum multa pace fruamur per te, & multa prospere genti huic per tuā prouidentiam eueniant, prorsus atq; ubiq; te admittimus præstantissime Felix, cum omni gratiarum actione.*

Ne autem diutius te impediam, rogo ut tua humanitate breuiter nos audias. Cum inuenerimus enim uirum hunc pestem, & mouentem seditiones apud omnes Iudæos qui in orbe terrarū sunt, auctorēq; factionis Nazaræorum, qui & templum profanare tentauit: ipsum comprehendimus & secūdū legem nostram uoluimus iudicare. sed cum accessisset Lysias tribunus multa cum uiolentia ex manibus nostris ipsum abduxit, iubens ut accusatores eius ad te uenirent: à quo potes tu inquirens de omnibus his cognoscere, quorum ipsum nos accusamus. consenseruntq; Iudæi hæc ita se habere asserentes. Paulus autem respondit, cum innuisset ipse præses, ut diceret. Cum ex multis annis esse te iudicem genti huic sciam, alacrius meam causam defendo, cum possis tu cognoscere, non plures esse dies quàm duodecim, ex quo ascendi adoraturus in Hierusalem: & neq; in templo inuenerint me cum aliquo colloquentem, aut concursum turbæ facientem, neque in synagogis, neq; per urbem. neq; conuincere me possunt, quorum me accusant. Confiteor autem tibi hoc, me super uiam quam dicūt sectam, ità patrio deo seruire credentem omnibus, quæ & in lege & in prophetis scripta sunt: spem habentem in Deū, quam etiā isti ipsi expectant, fore ut resurrectio iustorum, & iniustorum fiat. in hoc autem ego me exerceo sine offendiculo conscientiam semper apud Deum & hoīes habere. Post annos aut plures acceßi eleemosynas, & oblationes in gentem meam facturus. in quibus purifi

catum me in templo non cum turba, neque cum tumultu inuenerunt. Nonnulli autem ex Asia Iudæi quos par est apud te præsto esse & accusare, si quid habuerint aduersus me, uel ipsi hi dicant, si quid inuenerint in me iniustitiæ cum starem in concilio, nisi de una hac uoce, qua clamaui inter eos stans, de resurrectione mortuorum ego iudicor hodie à uobis.

Cum Paulus post vocationem qua Apostolus Christi est effectus, se seruire & cultum exhibere patrio Deo Dicat, vnum & eundem esse & veteris et noui testamenti Deum ostendit, quem prophetæ & lex annunciarunt, & ipse prædicabat: cum credere se omnibus asserat, quæ in lege & prophetis scripta sunt. tacite autem etiam hic Christum introducit. sed in sermone de resurrectione diutius immoratur, quem isti ægre a principio ferebant. hac enim demonstrata, facile de Christo erat inducturus, q̃ resurrexisset.

Cum uero hæc audiuisset Felix, ipsos distulit, cum exactius nouisset de hac uia, dicens: quãdo Lysias tribunus descenderit, uestram hanc causam dijudicabo. mandauitq; centurioni ut obseruaretur Paulus, relaxationemq; haberet, & neminem ex familiaribus ipsius prohiberet ministrare ipsi, ad ipsumq; accedere. Post dies uero quosdam cum accessisset Felix cum Drusilla uxore sua quæ erat Iudæa, accersiuit Paulum: audiuitq; ab ipso de fide in Christum. cum autẽ ipse dissereret de iustitia, & continentia, & iudicio futuro,

futuro, pauefactus Felix respondit: quantum ad præsens attinet, abi, occasionem autẽ nactus te accersam: simul sperans fore ut pecuniæ sibi darentur à Paulo, ut ipsum liberaret. unde etiam frequentius ipsum accersens cum eo colloquebatur. Biennio autem transacto Felix Porcium Festum successorem habuit. Cũq; uellet gratiam conferre Iudæis Felix, Paulum uinctum reliquit.

Cum exactius nouisset de hac via.) Aduertendum hic, Felicem nouisse fidem, ex veteri testamento de Christo satis exquisite instructum: nõ dimisisse tamen Paulum in gratiam Iudæorum, & quia dona se accepturũ sperabat, vt inferius ostendit. Nouerat autem eo q̃ vxorem quoque Iudæam habebat, a qua assidue hæc audiebat. illa vero præter legem coniuncta ipsi fuerat, q̃pe cum esset Iudæa & ipse Græcus. Vel fortasse erat quidem Iudæa illa, vbi tamẽ ei nupsit, Græca est effecta. vnde etiam suam ipsius fidem ipsi exponebat, inducens etiam virum suum, vt trãsgressor efficeretur.

De successione Festi in prouinciam, ad cuius Iudicium Paulus adductus ad Cæsarem appellat: de deductione eius ad Agrippam. Cap. XXV.

FESTVS igitur cũ in prouinciam peruenisset post tres dies Hierosolyma e Cæsarea ascendit. præstoq; ei fuerunt pontifex, & primarij ex Iudæis aduersus Paulum. rogabantq; ipsum, petentes gratiam contra ipsum, ut accerseret ipsum in Hierusalẽ,

insidias struētes, ut interficerent ipsum in uia. At Festus respondit, custodiri Paulum Cæsareæ, se autem breui egressurum. qui igitur idonei inter uos sunt, inquit, descendentes illuc, si quid est in uiro hoc, ipsum accusent. Moratusq; inter ipsos diebus non amplius quàm octo, aut decem, Cæsaream descendit. & postero die pro tribunali sedens adduci Paulum iussit. Cū ille accessisset, circunsteterunt Iudæi qui Hierosolymis descenderant, multas et graues criminationes contra Paulum intendentes, quas probare non ualebant: cum ipse se defenderet, q. neq; in legem Iudæorum, neque in templum, neq; in Cæsarem quicquà peccasset. Festus autem cum gratiam Iudæis uellet conferre, respondens Paulo, dixit. Vis Hierosolyma ascendere, atque ibi de his apud me iudicari? Dixit autem Paulus ad Cæsaris tribunal asto, ubi me iudicari opus est. Iudæos nulla iniuria affeci, ut tu etiam melius nosti. nam si iniuste ago, & dignum morte quicpiam feci, mori non recuso. si uero nihil horum est, quorum me isti accusant, nemo me donare ipsis potest. Cæsarem appello. Tunc Festus ubi cum consilio fuit collocutus, respondit: Cæsarem appellasti, ad Cæsarem abibis.

Ad Cæsaris tribunal asto) dixit Paulus cum effugere e Iudæorum manibus vellet: qđ perinde est ac si dicat, Romam volo abire ad regem, & ibi iudicari. Cæsar enim apud Romanos regem significat, ita vt communi nomine omnes Romanorum reges appellentur Cæsares, licet propria nomina diuersa ipsis sint. Nā quando Christus natus est, regnabat Cæsar Augustus: Tiberius Cæsar, quādo est passus. Beatus autem Paulus sub Nerone Cæsare Romæ fuit interfectus.

Cum dies autem aliquot interceßissent, Agrippa rex & Berenice Cæsaream deuenerunt Festum salutaturi. cumq; ibi dies plures commorarentur, Festus regi causam Pauli retulit, dicens: Vir quidam est relictus a Felice uinctus: de quo cum essem Hierosolymis præsto mihi affuerant pontifices & presbyteri Iudæorum, petentes contra ipsum damnationem. ad quos respondi, non esse morem Romanis, ut hominem aliquem in pernicië donēt, priusquam qui accusatur, in conspectu accusatores habeat, locumq; defensionis de ijs quæ ei obijciūtur, acceperit. Cumq; ipsi huc conueniſſent, nulla dilatione facta sequenti die sedens pro tribunali, adduci uirum iussi. de quo constituti accusatores nullam criminationem inferebant ex ijs, quas ego suspicabar: sed quæstiones quasdam de sua superstitione habebant aduersus eum, & de quodam Iesu mortuo, quem uiuere Paulus asserebat.

Agrippa rex, vel loco regis Agrippa in prouincijs fungebatur, et propterea rex etiam appellabatur: vel fortasse cum Nero occidentalibus partibus imperaret, Romæq; esset, ipse in orientalibus partibus rex erat.

Hæsitans autem ego de huiusmodi quæstione, dice

bam: proficiſci ne in Hieruſalem uellet, atq; ibi de his iudicari. cum uero Paulus appellaſſet, ut cuſtodiretur ad Auguſti cognitionem, ſeruari ipſum iuſſi, quo ad Cæſarem ipſum mittam. Agrippa autem ad Feſtũ dixit, uolebam etiam ipſe hominem audire. ille autem, cras, inquit, ipſum audies. Poſtero igitur die cũ Agrippa & Berenice multa cum ambitione aduenisſent, ingreſſiq; eſſent auditorium cum tribunis, & uiris qui primarij erant in ciuitate: iubente Feſto adductus eſt Paulus. et inquit Feſtus: Agrippa rex et oẽs qui ſimul adeſtis uiri, uidetis hũc? de hoc tota Iudæorũ multitudo interpellauerunt me acclamantes non oportere eũ amplius uiuere. ego uero cũ nihil dignũ morte ipſum egiſſe deprehenderim, et ipſe hic Auguſtum appellarit, mittere ipſum decreui. de quo certum quid quod ſcribam Domino, nõ habeo. propterea produxi eum apud uos, & præcipue apud te rex Agrippa: ut inquiſitione facta habeam quid ſcribam. abſurdum enim mihi uidetur uinctum mittere, niſi etiam crimina tiones contra eum poſſim ſignificare.

Auguſtum improprie hic p rege ponit, quẽadmodum etiam Cæſarem, quem paulo inferius Dominum quoq; appellat, cum inquit: de quo certum quid quod Domino ſcribam, non habeo.

De defenſione Pauli qua apud Agrippam uſus eſt, ubi de religione ſua, & uocatione ad euangelium agit: & nihil mali egiſſe ab Agrippa iudicatur. Cap. XXVI.

AGRIPPA uero ad Paulũ, dixit: permittitur tibi, ut pro te ipſo dicas. Tũc Paulus porrecta manu defenſionẽ aggreſſus eſt. De omnibus quorum à Iudæis accuſor rex Agrippa, beatum me ipſum exiſtimaui, cum apud te defenſurus me hodie ſim, quem omnium quæ apud Iudæos ſunt inſtitutorum, & quæſtionum peritum maxime eſſe ſcio. ideo precor, ut patienter me audias. Ac uitæ quidem meæ traductionẽ à iuuentute, à principio in gente mea Hieroſolymis factam Iudæi omnes ſciunt: cum me ab origine prænoſcant, ſi teſtificari uelint, iuxta exactiſſimam noſtræ religionis ſectam Phariſæũ uixiſſe. & nunc de ſpe miſſionis quæ ad patres noſtros à Deo facta eſt, ſto in iudicio. in quam quidem duodecim tribus noſtræ in aſſiduitate nocte & die ſeruientes ſperant deuenire. de qua ſpe Agrippa rex à Iudæis accuſor. Quid? incredibile iudicatur apud uos, ſi Deus mortuos ſuſcitat? Ego quidem exiſtimaueram aduerſus nomen Ieſu Nazareni oportere me multa cõtraria agere: id quod etiam feci Hieroſolymis: & multos ſanctos ego carceribus concluſi accepta à pontificibus poteſtate: & cum ipſi interficerentur, ſuffragiũ detuli, et per omnes ſynagogas ſæpe ipſos puniens blaſphemare cogebam. & ſupra modum furens in ipſos uſq; etiã in externas urbes perſequebar. Sup. 8.

Duas de reſurrectione rationes affert: vnam a prophetis ſumptam, non producit tamen prophetam, ſed ipſam Iudæorum opinionem: alterã

quæ validior etiam est, a re ipsa, q̃ Christus a mortuis suscitatus alloquutus ipsum fuerit: atq; hanc a consilio suo qđ proposuerat, confirmat, priorem suam insaniam commemorans. Prima ratio est: quid incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat? præsertim cum talis opinio non esset, nisi educati in talibus dogmatibus fuissent. Q đ vero prius inquit, quis non admireret? cum ait, de spe hac accusor a Iudæis, quæ apud ipsos commendatur, propter quam vouent, propter quam cultum Deo exhibent, vt ea potiantur.

Sup.9.a

In quibus cum Damascum proficiscerer cum potestate & permißione à pontificibus, medio die o Rex in uia de cœlo supra splendorem solis circunfulsisse me lumen uidi, & qui mecum simul iter faciebant. Cumq; omnes nos in terram cecidissemus, audiui uocem ad me loquentem, & dicentem Hebræa lingua, Saul Saul quid me persequeris? durum tibi est contra stimulos calcitrare. ego uero dixi: quis es Domine? ille dixit: Ego sum Iesus quem tu persequeris. sed surge, & consiste in pedes tuos. ad hoc enim apparui tibi, ut producerem te ministrũ & testem, & eorum quæ uidisti, & eorum in quibus apparebo tibi: eripiens e populo & gentibus, ad quos te nunc mitto ad aperiendos oculos ipsorum, ut à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum conuertantur: remißionem q; peccatorum, & sortem inter sanctificatos ex fide in me accipiant.

Cum ex sensibilibus id qđ splendidißimum est, produxerit, neque comparare illi Iesu ipsius lumen potuerit: illud inquit, qđ admittere auditus hominis potest, superexcedere eum solarem lumen asserens.

Vnde Rex Agrippa non fuit incredulus cœlesti apparitioni.

Apparitio, hoc est quę Grecę ὀπτασία dicitur, pura rei inspectio est, quæ hominem videlicet excedit. quam siquis in carne est, nisi aperti ei et detecti oculi fuerint, videre nullo modo potest.

Sed ijs qui Damasci erant, primum & Hierosolymis, in totamq; regionem Iudææ & gentibus denunciabam ut pœnitentiam agerent, & conuerterẽtur ad Deum digna pœnitentia opera agentes. Causa horum Iudæi me comprehensum in templo interficere tentabant. auxilium autem à Deo consequutus usq; ad hodiernum diẽ sto testificãs et paruo et magno cuilibet, nihil dicens præter ea quæ prophetæ futura esse dixerunt, & Moyses: an passibilis Christus, an primus ex resurrectione mortuorũ lumen annunciaturus sit populo ex gentibus.

Sup.21

Ne videatur ipse esse huiusce rei doctor, adducit prophetas et Moysem qui dicit, an passibilis sit Christus, an primus ex resurrectione mortuorum &c. (an passibilis autẽ sit) dicit, p (q̃ passibilis sit.) Moyses, inquit, asserit, q̃ passibilis sit Christus, & primus ex resurrectione. primus. n.

ipse surrexit, non amplius moriturus. qui enim ab ipso vel discipulis, vel prophetis antea suscitati sunt, rursus sunt mortui, vsq; ad vniuersale iudicium permansuri.

Hæc cum defendendo se diceret Paulus, Festus magna uoce insanis Paule, inquit: multæ te literæ in insaniam inducunt. Ipse autem non insanio, ait, præstantissime Feste, sed ueritatis et frugalitatis uerba loquor. scit enim de his rex, ad quem etiam libere & fidenter loquor. latere enim eum quicquam horum non credo: quippe cum in angulo minime factum hoc sit. Credis Rex Agrippa prophetis? Scio te credere.

Quia semper Regem alloquebatur Paulus, quasi turbatus quodā modo est Festus, cum videret eum tam fidenter & libere loqui: et ex indignatione, insanis, inquit. Sed Paulus causam refert, cur ad regem orationem conuerterit. ostendensque per totum orbem diuulgatum esse hoc dogma, non in angulo hoc factum esse inquit: hoc videlicet, quod de cruce, & resurrectione Christi prædicatur.

At Agrippa ad Paulum dixit, in breui mihi suades ut Christianus fiam. Paulus uero ait: precarer Deum ut et in breui, et in multo non solum te, uerum etiam omnes qui audiūt me, hodie fieri tales, qualis ego sum, exceptis uinculis his. Atque hæc cum dixisset ipse, surrexit Rex, & præses, & Berenice, & qui simul cum ipsis considebant. et recedentes dicebant inter se, hominem eum nihil morte, aut uinculis dignum egisse. Agrippa autem Festo dixit: dimitti poterat homo hic, nisi Cæsarem appellasset.

In breui, id est, breui oratione, & paucis verbis, breuiq; doctrina, sine multo uidelicet labore, & sine assidua & lōga disputatione suscepta. Vnde etiam congruenter Paulus ad hanc sententiam respondet: precarer, inquit, Deum ut & in breui, & multo non solum te &c. qđ perinde est ac si dicat, nihil aliud studeo, q̄ vt omnes Christiani efficiantur, & hoc a Deo opto & precor. propterea q̄ et paucis verbis, & multis, & cum labore & ex tempore prædicare fidem Christi paratus sum. labor siquidem et defatigatio in doctrina & prædicatione mihi nullo loco habetur: sed idem esse existimo siue defatiger, siue minime: siue multū tēpus prædicando, siue paucū immorer, modo ad Christum conuerti aliquos videam: Atq; hęc dum dicit Paulus, simul & prōptitudinē suam, & feruorē præ se fert, & Agrippam inuitat, vt si plura etiā audire, lōgioriq; doctrina instrui velit, non modo non recusaturum ipsum esse cognoscat, sed adeo promptum & paratum futurum, vt id in optatis et votis habeat. Alio quoq; modo possumus hoc quod (ἐν ὀλίγῳ) dixit Agrippa, interpretari, id est, (in breui) vt non pro (paucis verbis) sed pro (ferē) & (parum abest) intelligatur: vt Agrippa quidem dixerit, parum abest, quin mihi suaseris, vt Christianus fiam: Paulus vero quippe & in diuinis & humanis rebus sicut quiuis alius, sapientissimus, ad

verbum magis q̃ ad ſenſum reſpiciẽs id ad illud qđ vtile futurum erat, accommodarit: & ſubiũ xerit, precarer Deum vt et in breui & in multo, id eſt vt & in breui orationis diſſertatiõe ſi opus ſit, & in longa, Chriſtianus fieres. ſiue enim pauca, ſiue multa verba requirantur, omnia facere pro tua ſalute paratus ſum: neq; pro tua ſolum ſed pro omnium etiam qui hic adſunt. Cum vero addit (exceptis his vinculis) non id dicit quia vincula dereſtet, ob eaq; erubeſcat: id.n. ipſi ſicut quodlibet aliud, gloriatione dignũ habebat: ſed ad opinionẽ aliorũ ſpectans ait, imbecillitatiq; eorum indulgẽs, vtinã, inquit, omnes huiuſmodi ſicut ego ſum, ſine vinculis tamen efficerent.

De nauigatione Pauli Romam periculis plurimis & maximis plena: ubi de ſpe ſalutis per angelum ſibi ſignificata ſimul nauigantes monet: de naufragio eiuſdem. Cap. XXVII.

POſteaquã uero iudicatũ eſt, ut abnauigaremus in Italiã, tradiderunt & Paulum & nonnullos
2.Cor.11.f alios uinctos centurioni nomine Iulio cohortis Auguſtæ. cum autẽ inſcendiſſemus nauim Adrumetinã ad loca Aſiæ nauigaturi, ſoluimus, nobiſcũq; Ariſtarchus Macedo Theſſalonicenſis aderat. Et ſequenti die Sidonẽ appulimus. cũq; Iulius humane ſe gereret erga Paulũ, permiſit, ut ad amicos profectus curã ſui gereret. Inde cum ſoluiſſemus, ſubnauigauimus Cyprum, propterea q; uenti erant contrarij. cũq; pelagus circa Ciliciam & Pamphyliam tranſiſſemus, in Myra Lyciæ appulimus. & illic inuenta naui Alexandrina quæ nauigabat in Italiam, centurio in eam nos impoſuit. cumque tarde multis diebus nauigaremus, uixq; è regione Cnidi ueniſſemus, quia non permittebat nos uentus, Cretæ adnauigauimus iuxta Salmonẽ. uix eã præterlegentes in locum quendam uenimus, qui pulchri portus uocatur, cui prope erat urbs Laſæa. Multo autem tempore tranſacto cum iam eſſet periculoſa nauigatio, propterea q; ieiuniũ quoq; iam præterierat, monebat Paulus, ipſis dicens. Viri, uideo cum iniuria & multo damno non ſolum oneris & nauis, uerum etiam animarum noſtrarum futuram eſſe nauigationem. at centurio gubernatori, & nauclero credebat magis, quàm ijs quæ à Paulo dicebantur. Et cum ineptus eſſet portus ad hyemandum, pleriq; cõſilium inierunt ut inde etiam ſoluerent, ſi quo modo poſſent in Phœnicem deuenientes hyemare portum Cretæ qui ad africum & chorum reſpiciebat. Cum uero aſpiraſſet auſter, ſe propoſiti compotes effectos opinati, cum ſoluiſſent Aſſon Cretam præternauigabant. Non multo poſt autem ingruit in ipſam uentus Typhonicus, qui Europrocelloſus uocatur. cumq; ab eo correpta eſſet nauis, ita ut contra uentum reſpectare non ualeret, dediti ferebamur. atque inſulam quãdam paruam ſubterlapſi quæ uocatur Claude, uix potuimus obtinere ſcapham: qua ſublata ad auxilia utebantur, ſuccingentes nauim, & timentes ne in ſyrtim excideremt: ſummiſſo uaſe ita ferebamur. Cum uehementi autem tempeſtate agitarentur, ſequenti die iacturam fecerunt:

& tertio proprijs manibus armamenta nauis proiecimus. cumq; neq; sol neq; stellæ per complures dies apparerent, tempestasq; non exigua ingrueret, sublata in posterum omnis spes salutis nobis erat. cumque multa inedia esset, tũc stans Paulus in medio ipsorum dixit. oportebat quidem o uiri, ut mihi obtemperãtes e Creta minime solueretis, iniuriamq; hanc & damnum cõsequeremini. & in præsentia moneo, ut bono animo sitis. amißio enim animæ nulla erit ex uobis, præterquam nauis. astitit enim mihi nocte hac angelus Dei cuius sum, cui et seruio, dicens.

Ieiunium hic tempus ieiunij Iudæorum intelligit. inde enim multo tempore post pentecosten est egressus, vt sub ipsam ferè hyemẽ ad partes Cretæ deuenerit. Ecce prophetat etiam hic Paulus cum naufragium facturos esse ipsos dicit. licet enim id cum iactura vitæ alicuius non euenerit, vt ipse prædixerat, quantum tamen ad naturam rei attinet, euenisset, nisi Deus salutẽ ipsis præstitisset: qui effecit, vt propter Paulum reliqui quoq; fuerint seruati. Naufragium igitur ex occasione quia magna erat tempestas, contigit. atq; inde maius miraculum fuit, q̃ in ea procella ex medijs periculis & ipse Paulus, & propter ipsum reliqui erepti fuerint. Vt quãtum ad hoc spectat, ipse minime mentitus sit. Centurio tamen fidem ijs quæ a Paulo dicebantur, non adhibebat, propterea q̃ peritis in nauigando magis q̃ vectori rei nauticę imperito credendum censebat. Hinc autem Paulus nos docet, peccatum

consilij esse non fortunæ. Esse enim naturale, vt periculum vnusquisq; fugiat, ipsa rei experiẽtia demonstrat, ne præceps quispiam feratur, cum res ipsa indubitatum periculum intentat. in manifestis enim fortuna & fatum dormit, aut si vigilat, nihil aduersus hominum voluntatẽ potest moliri. qua quidem voluntate illi res quæ in sua sitę sunt potestate, vtcunq; volunt, vltroci-troq; pertractant. Quemadmodum illi qui cum Paulo peregrinabantur. Ita enim ex proposito & voluntate agebãt, vt cum primum nacti idoneum ventum sunt, nauigationem læti absoluerint. Aduertendum autem, qđ hic inquit, nauim a vento correptam aduersus eum respectare non valuisse, quod Græce est ἀντοφθαλμεῖν. i. obuertere oculos, dictum de nauigio improprie fuisse. de hominibus enim & animalibus quę oculis prędita sunt, tãtummodo dici consueuit. Quapropter loquendi proprietas in scriptura non semp requirenda est.

Ne timeas Paule, Cæsari astare te oportet: & ecce condonauit tibi omnes Deus qui tecum nauigant. ideo bono animo estote uiri. Credo enim Deo ita esse futurum, sicut mihi dictum est. in insulam autem quãdam eijci nos oportet. Vbi uero quartadecima dies aduenit, & in Adria differebamur, circa mediam noctem accedere sibi regionem aliquam suspicabantur: & demissa bolide uiginti passus inuenerunt. & paululum inde digressi, rursusq; bolide exploratione facta inuenerũt passus quindecim: timentesq; ne in aspe

ra aliqua loca eijcerẽtur, e puppi eiectis ancoris quatuor diem fieri optabant. Cũ uero nautæ quærerent e naui effugere, & summisissent scapham in mare sub prætextu quasi e prora ancoras essent extenturi, Cẽturioni & militibus Paulus dixit: nisi hi manserint in naui, uos salui esse non potestis. tunc milites funibus scaphæ abscißis eam excidere permiserũt. Quoad uero dies aduentaret, hortabatur Paulus omnes ut cibum sumerent, dicens.

Hinc de fato & fortuna sermo falsus esse ostẽditur. ecce enim nisi Pauli causa seruati fuissent, omnes in naui perijssent. Deus enim honori iusti hoc condonauit. atq; ita ob iustũ impij viuunt. Interdum tamen econtrario fit, vt ante tempus ob vitium suũ impius pereat, iuxta illud: ne impius admodum sis, neq; durus efficiaris, ne in tẽpore nõ tuo pereas. Cum vero inquit (nisi hi mãserint in naui, salui vos esse non potestis) cum dispensatione dixit Paulus, vt ipsos videlicet retineret: ne prophetia intercideret. Milites autem Paulo statim paruerunt. vbi enim viderunt, se temeritate sua in pericula incidisse, obtemperare tũc ei cæperunt. nam si fato credidissent, q̃is essent gentiles, neglecto Pauli consilio, abire nautas permisissent.

Ecc1.7.c

Quartusdecimus hodie dies est, ex quo expectantes ieiuni permansistis, nihilq; assumpsistis. Iccirco hortor uos cibum sumere: hoc enim pro uestra salute est. nullius enim uestrum capillus è capite peribit. Cumq;

hæc dixisset, accepto pane gratias egit Deo coram omnibus: cumq; eum fregisset, comedere cœpit. cæterique omnes alacres effecti etiam ipsi cibum sumpsere. eramus autem in naui omnes animæ ducentæ septuaginta sex. Saturati uero cibo nauim in mare frumentum eijcientes leuabant. Quando autem ortus est dies, terram non agnoscebant, sed sinum quendam animaduertebant habentem littus, in quod considerabant si possent nauim impellere: & sublatis ancoris committebant se mari simul laxatis ũcturis gubernaculorum. & attollentes artemonem ad spirantem auram cohibebant ad littus. cumq; in locum bimarem incidissent, impegerunt nauim. & prora quidem fixa manebat immobilis, puppis à ui undarum absoluebatur. Consiliũ autem militum erat, ut uinctos interficerent, ne quispiam enatans effugeret. at centurio cum uellet seruare Paulum à consilio hoc ipsos deduxit: iußitq; eos qui possent natare, proijcientes se primos in terram exire: & reliquos alios in tabulis, alios in quibusdam quæ è naui erant. atq; ita effectum est, ut omnes in terram incolumes euaserint.

Consulit Paulus vt sumant cibum, et ipse primus id facit, vt non tam verbis q̃ re etiam suadeat. Hoc enim pro vestra salute est, inquit, id est comedere, ne fame scilicet pereatis, ad salutẽ vestram facit. Quippe cum ipsis cibi & comedendi cura alioqui non esset in maximo periculo constitutis. Sed vnde ipsis nauigantium nume

rus fuit exploratus: ex eo videlicet q̃ fortasse, vt verisimile est, causam cur nauigarent, interroga runt, atq; ita singula cognouerunt. Ex eo autem q̃ prohibiti milites sunt, ne vinctos interficerẽt, eos Paulo condonatos fuisse etiam manifestatur. propterea q̃ ne Pauli prophetia intercideret, cẽturio interfici aliquos non permisit, vt Paulum seruaret. id enim proculdubio causa Pauli effectum est.

De euasione in insulam Melitam, vbi morsus a vipera Paulus nihil mali est passus, & patrem Publii morbo dysenteriq; laborantem sanat: decq; profectione eius Romam vsq;: decq; colloquutione & prædicatione cum Iudæis ibidem habita. Cap. XXVIII.

ET cum euasissemus, tunc cognouerunt Melitam insulam uocari. & Barbari non uulgarẽ nobis humanitatem exhibuerunt. accensa enim pyra omnes nos exceperunt, ob pluuiam quæ imminebat, et frigus. cum conuoluisset autem sarmentorum multitudinem Paulus, & in pyram iniecisset, uipera è calore egressa manum eius corripuit. ubi autem barbari pendere feram e manu eius uiderunt, inter se dicebãt: prorsus homicida est homo hic, quem è mari seruatũ iustitia uiuere non permisit. at ille excussa fera in ignem, passus nihil male est. illi autem expectabant illum incensum iri, aut mortuum esse casurum. sed cum diu expectarent, & nihil uiderent absurdi ipsi contingere, mutata opinione deũ esse illum dicebant. Circa locum autem illum erant prædia primario insulæ nomine

nomine Publio, qui cum suscepisset nos tres dies benigne hospitio tractauit. Contigit autem ut pater Publij febribus & dysenteria oppressus cubaret. Ad quẽ cum intrasset Paulus, preces effudit, manibusq; impositis sanauit eum. Quod cum factum esset, reliqui etiã qui infirmitates habebant in insula, accedebant, & curabantur: qui multis quoq; honoribus nos affecerunt, & soluẽtibus, quæ erant necessaria, imposuerũt.

Vipera cum in manum Apostoli dentes iniecisset, & nullam peccati in ea mollitiem & laxitatem inuenisset, statim resiluit, & in ignem sese proiecit, quasi pœnam a se exegerit, q̃ nihil ad se pertinens corpus inuasisset. Nos vero bestias timemus, propterea q̃ armatura virtutis muniti minime sumus. Cum vidissent igitur barbari indubitatam mortem Paulum ita fuisse elapsum, Deum ipsum esse existimabant: quippe cum eorum mos is sit, vt quem incredibile aliquod, ac mirandum facinus edere viderint, deum esse opinentur. Quemadmodum & antiquos deos appellabant, aut quia viribus præditi præcipuum aliquid ac supra q̃ ipsi possent, facerent: qualis Hercules fuisse perhibetur: aut quia præstigijs ac magia vsi homines in stuporem inducerent: cuiusmodi in Samaria Simonem fuisse dictum iam est.

Post tres autem menses soluimus in naui Alexandrina quæ in insula hyemauerat, insignita Geminis, & cum appulissemus Syracusas ibi dies tres perman-

simus. unde circumlegentes deuenimus Rhegium. & cum uno post die superuenisset auster, altero Puteolos uenimus: ubi inuentis fratribus rogati sumus manere apud ipsos septē dies. atq; ita Romā peruenimus.

Mos semper ferè erat, vt in Alexandrinorum præcipue nauibus proræ tam a dextra, q̄ a sinistra parte huiusmodi picturis insignitæ essent. Quoniam vero verisimile est eo q̄ eo tempore idolorum cultus celebrabatur, Geminos, id est, Castorem et Pollucem in ea fuisse pictos: ex hoc etiam potest intelligi nauim fuisse alienigenam, id est Idololatram. De hoc quoq; Esaias inquit, expandentur in naui alienigena, mare simul diripient.

Et inde fratres cum audissent de nobis, obuiā nobis usq; ad Appij forum & tres tabernas prodierunt. quibus uisis Paulus gratias Deo egit, ac fiduciā sumpsit. Cum uenissemus autem Romam cēturio uinctos principi exercitus tradidit. Paulo autem permissum est, ut per se ipse maneret cum milite qui eum custodiebat. effectum autem est, ut post dies tres Paulus primos ex Iudæis conuocarit. qui cum conuenissent, ad eos dixit.

Loca quædam quę prope Romam erāt, significat: alterum, quem quoniam Appij statua erat insignitus, Appij forum vocabatur. hucusque enim vbi regū statuæ collocatæ sunt, fora apud Romanos dici consueuerunt. tres tabernæ autem

alter locus erat, ita vocatus a tribus cauponis quæ ibi erant, in quibus obsonia iter facientibus venalia exponebantur: quas tabernas Romano idiomate nuncupant.

Viri fratres, ego cum nihil cōtrarium populo, uel cōsuetudinibus patrijs fecerim, uinctus è Hierosolymis traditus in manus Romanorum sum. qui cū de me inquisiuissent, dimittere uolebant, propterea quòd nulla mortis causa in me inerat. Sed cum cōtradicerent Iudæi, appellare Cæsarem coactus sum: non quòd habeā in quo gentem meam accusem. Ob hanc igitur causam uocaui uos, ut uiderē & alloquerer. Causa enim spei Israel catena hac circundatus sum.

Cum videret Paulus absurdum esse atq; infame omnino in iudicium duci, ac præcipue apud infideles, de vtrisq; sese excusat, vt nihil præoccupatum in animis ipsorum relinquat. ob hanc enim causam, inquit, volebam vos videre, ne liceret cuiq; postea me accusare. quæcq; sibi euenerint, exponit, cum igitur vellem, inquiens, e manibus eorum effugere, appellare Cæsarem coactus sum: nō quòd alijs afferre periculum velim, sed vt ipse id euitem.

Illi uero ad ipsum dixere. nos neq; literas à te è Iudæa accepimus, neque accedens quispiam ex fratribus annunciauit, aut loquutus de te quicquam mali est. postulamus autem à te audire quæ sentis. De secta enim hac exploratum nobis est, ubiq; ei contradici. Cum ue

ro statuissent ei diem, uenerunt ad ipsum in hospitalitatem complures, quibus exponebat testificãs regnum Dei, suadensq; ipsis de Iesu & ex lege Moysis et prophetis à matutino tempore usq; ad uesperam.

Priusq; Romam Paulus venisset, moniti fuerant Iudæi qui ibi erant, ne prędicationem Christi admitterent, neque hi soli, verum etiam qui vbicq; terrarum erant omnes. Cæterum id vnde pespicuum est? In veterum scriptis reperimus sacerdotes & scribas & presbyteros qui erant Hierosolymis, in omnes gentes Iudęis qui vbicq; erant, literas misisse: quibus doctrinam Christi calumniantes quasi aliena a Deo esset, prędicipiebant ne ipsam admitterent, id quod etiam prophetia Esaiæ videtur significare, quæ ait. Væ, Esai.18.2 terræ nauigiorum alæ. vltra Aethiopiæ fluuios mittens in mari obsides, & epistolas papyraceas supra aquam. quibus verbis significat propheta trans regionem quoq; Aethiopiæ, & extremas terrarum oras sonum improbitatis Iudæorum qui Iudæam habitabant, per quædam quasi volantia nauigia fuisse transmissum. Apostolosque ipsorũ papyraceas epistolas ferẽtes supra aquas, & mare nauigantes in omnes partes terræ discurrisse saluatoris nostri prædicationem calumniando. Apostolos autem, id est, missos ad hunc vsq; diem eos Iudæis appellare mos est, qui quotidianas a principibus suis literas ferunt.

Atque alij quidem credebant ijs quæ dicebantur, alij non credebãt. cumq; discordes inter se essent, discedebant Paulo id unum dicente: Bene spiritum sanctũ per Esaiam prophetam ad patres nostros loquutum fuisse, cum diceret. Vade ad populum hunc, & dic. Auditu audietis & non percipietis, & inspicientes inspicietis, & non uidebitis. incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audiuerunt, & oculis suis connuerunt, ne forte oculis uideant, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, et sanem eos. Notum igitur uobis sit, salutare Dei missum ad gentes fuisse, ipsi uero etiam audient. Et cum hæc dixisset, abierũt Iudæi multam inter se habentes disceptationem. Mansit autem Paulus biennio toto in propria conductione: & admittebat omnes qui ingrediebantur ad ipsum, regnum Dei prædicans, & cum omni fiducia sine ulla prohibitione de Domino Iesu docens.

Esa.6.c Mat.13.b Mar.4.b Luc.8.f Ioan.12.f Rom.11.b

Hic Paulus cũ inquit, spiritum sanctum per Esaiam loquutum fuisse, ijs qui ministrum esse patris spiritum sanctum dicunt, opportunum ictum infert, et manifeste ipsos refutat. Dominũ enim sedentem in solio sublimi et elato, quem vidit Esaias, spiritum sanctum hic vocat: quippe cum eiusdem cum patre & filio substantiæ sit, æqualisq; potestatis sit particeps. Atq; hoc diuinitus dixisse prophetam de ijs ostendit, quæ ad Iesum pertinent. propterea q̃ populus ille Iesu verba audiuit, et non percepit, et cum inspiceret prodigia & miracula quæ ab ipso efficiebantur, nõ videbat. nam cum ad futurum tempus dictũ

hoc refert, atq; applicat, ad posteriora tempora ea quæ prophetabantur, referri ostendit. Vide autem exquisitã spiritus loquutionẽ. non enim dixit, non inspicietis, sed inspicietis, & non videbitis: neq;, non audietis, sed audietis & non percipietis. Ipsi sibi ipsis abstulerũt primum aures, eas obturando: oculos, eis conniuẽdo: cor, graue atq; obtusum sibi id reddendo. non enim solum non audiuerunt, verum etiam grauiter audiuerunt, id est, obtuse & crasse: atque hoc fecerunt, inquit, ne forte conuertantur, & sanẽ eos: ingentem eorum malitiam ostendens, quippe qui studiose ac dedita opera a vero sese auerterint. hoc autem inquit, vt ipsos attrahat, & alliciat ad veritatem: ostendatq; si sese voluerint conuertere, sanaturum esse ipsos Deum. Aduertendum autem hucusq; Lucam de Paulo in gestis Apostolorum narrasse ea quibus ipse interfuit, quippe cum eo ipso tempore librum conscripserit, & quæ sequutura essẽt: postea ignorarit, vt de martyrio eius nihil potuerit commemorare, cum nihil dum contigisset quicpiam. Romæ enim Paulo relicto Lucas & Aristarchus abierunt. Eusebius autem sequentium temporum gesta diligenter persequutus, Paulum refert cum apud Neronem se defendisset, ab eoq; fuisset absolutus, rursus ad prædicatiõis ministerium fuisse profectũ, atque alios decem annos euangelizasse. Cum vero ad summam insaniã deuenisset postea Nero, ad Apostolorum cædes fuisse incitatum, Paulũque accersitum anno post saluatoris passionem trigesimo sexto, sui regni vero tertio decimo, gladio detruncari iussit. Sunt igitur a nono decimo anno Tiberij Cæsaris, & secundo a passione Domini ex quo prædicare euangelium cœpit, vsque ad eiusdem Tiberij vigesimum secundum anni quatuor: & Imperij Caij sunt similiter anni quatuor: & Claudij anni quatuordecim: cui succedens Nero anno sui Imperij tertio decimo Apostolum interfecit. Est ergo totum prædicationis Pauli tempus, anni primum viginti & vnus: & duo alij anni, quibus in carcere Cęsareę fuit: præterea quibus Romæ degit, priores duo anni: postremo, vltimi decem: vt omnes anni a vocatione eius vsque ad consummationem quinque & triginta: a Saluatoris passione sex & triginta euadant. Paucis enim diebus post Domini assumptionem, eligunt Apostoli ad ministerium Stephanum & collegas. Deinde statim Stephanum lapidatum fuisse deprehendimus, & Paulũ cædi eius consensisse. qui cum paulo post Damascum profisceretur, vt sanctos qui ibi erant, interficeret & vinciret, in medio itinere vocatus a Deo fuit: vt parum consumptum ex anno eo fuerit. Statim enim vbi nonum decimum regni sui Tiberius Cęsar annum inijt, cœpit prædicare, & tertio decimo Neronis truncato capite vitam finiuit,

Actorum Apostolorum finis.

EXPLANATIO VETERVM
Sanctorum Patrum, ab OECumenio ex
diuersis commentarijs collecta,
atque in compendium
redacta,

IN EPISTOLAS CATHOLICAS,
quas canonicas vocant.

IOANNE BERNARDO FELICIANO INTERPRETE.

CATHOLICAE dicuntur hę epistolæ, id est vniuersales, propterea qp non determinate genti alicui vni, aut ciuitati, sicut Romanis, aut Corinthijs a diuo Paulo: sed fidelibus in vniuersum, siue Iudæis qui in dispersione erāt omnibus, vt etiam a diuo Petro, siue etiam cunctis Christianis qui sub eandem fidem referebantur, scriptæ sunt.

IACOBI CATHOLICAE
epistolæ argumentum.

EPISTOLAM hanc ijs scribit Iacobus, qui ex duodecim tribubus dispersi erant, & in Dominum nostrum Iesum

Christum crediderant: qua eos docet de diuersitate tentationem, quæ a Deo, quæ a propria hominum concupiscentia eueniant: & non verbis tantum, sed re quoq; & opere ostendendam esse fidem: neq; auditores, verum effectores legis iustificari. Tum de diuitibus monet, ne in ecclesiis pauperibus anteponantur, sed potius tãq; superbi increpẽtur. Tum eos qui iniurijs afficiuntur, consolatur atq; hortatur, vt vsq; ad aduentum iudicis patienter ferant, tolerantiæ vtilitatem ex Iob producto exemplo manifestans. Postremo ad ęgrotantes aduocandos presbyteros docet, studendumq; vt errantes ad veritatem reducantur: eius enim rei mercedem a Domino peccatorum remissionẽ accepturos nos esse: atq; ita epistolam concludit.

Capita Iacobi epistolæ.

De patientia & fide non hæsitante, & humilitate erga proximum: de tẽtatione nostra, & quę ex ipsa eueniant: & Deum non esse eius auctorem: siquid enim boni habemus, ex ipso esse: de mansuetudine & castitate et bona actione: de auditore & effectore verbi, & vera religione. Cap. 1.

De charitate erga vnumquemq; absq; acceptione personarum: non ex fide sola, sed ex operibus quoq; hominem iustificari. Cap. 2.

De petulantis atq; immoderatæ linguæ malo: de mutua conuersatione bona et sine cõtentione de sapientia humana & diuina. Cap. 3.

De lite & turbatione & Dei inimicia, q; ex ignauia & concupiscentia exoriantur: de pœnitentia ad salutem: de non iudicando proximo: nõ ab homine sed a Deo gressus hominis dirigi. Cap. 4.

De diuitum insolentia erga pauperes, & luxu ipsorum: de iusto iudicio Dei: de tolerantia & patientia calamitatum: de veritate: atq; ibidẽ monitiones priuatæ vnicuiq; conuenientes, q; saluti proximi ministrandum sit. Cap. 5.

IACOBI EPISTOLA CATHOLICA.

De patientia & fide non hæsitante, & humilitate erga proximum: de tentatione nostra, & quæ ex ipsa eueniant: & Deum nō esse eius auctorē: si quid enim boni habemus, ex ipso esse: de mansuetudine & castitate & bona actione: de auditore, & effectore uerbi, & uera religione. Cap. I.



IACOBVS Dei et Domini Iesu Christi seruus duodecim tribubus quæ in dispersione sunt, salutem.

Dei, patris: Domini, filij. si ex æquo autē & patris & filij seruus est, filius æqualis patri est et substātia, & operatione. Cum autem Domini Apostoli supra omnem mundanam dignitatem gloriarentur, ꝙ Christi serui essent: id quasi insigne sui & loquendo, & scribendo, & docendo præferre consueuerunt.

Omne gaudiū existimate fratres mei, cum in uarias tentationes incideritis.

Dolorem ob Deum susceptum, et tentationes has laudabiles & gaudio dignas asserit: quippe cum firmū vinculum sint, & charitatis & compunctionis incremētum. Vnde illud etiam dictū est: Fili, si ad seruiendum Domino accedis, animum tuum ad tentationem præparato. Et Christus quoque, in mundo, inquit, oppressionem habebitis, sed confidite. et, angusta & oppressa via est, quæ ad vitam deducit. non enim fieri potest, vt sine exercitatione vel mundanas, vel diuinas coronas consequamur. Modeste autem se gerens non filios, sed fratres vocat. Tentationes vero probis ac sanctis viris gaudij omnis in causa ꝙ pterea sunt, quia probationem eorum faciunt manifestam: probatio autem ad opus perfectum deducit. Sed dicet quispiam, si hoc tentationum opus est, vt perfecti efficiamur: quo modo deprecari Deum nos docet Christus in oratione ne in tentationem inducamur? Ad hoc dicimus, duplex esse tentationū genus: alteras, quæ a nobis originem habent, alteras, quæ a Deo exercitationis causa & declarationis, comprobationisque nostræ nobis inferuntur: atque eas quæ a nobis principium habent, in duas partes etiam ipsas distingui: alteraſque earum esse, quæ ex temeraria fortitudine eueniunt, quæ audacia vocatur: quā cauendam a nobis esse Dominus monet: quippe cum licet spiritus promptus sit, inter certamina tamen plerunque alacritas extinguatur, neque in bonum ijs qui ea vtuntur, euadat. alterę tentationes sunt, quæ ex peccato inducuntur, sicut fuit Sodomitis pernicies, et internicio, has vt sine

Ecclē. 2 a
Ioan. 16 g
Matth. 7 b
Matth. 6 b
Genē. 19 b

peccato vitam traducẽdo euitemus, summa ope enitendum est. Nam quæ a Deo inferuntur, vt Iob, vt Abraham, & cæteris huiusmodi, eæ non solum fugiendæ nobis non sunt, sed quatenus fieri potest, per patientiam & gratiarum actionem sunt appetendæ. Deus enim cum tentat, in vtilitatem & comprobationem eius qui tentatur, facere id consueuit. Varias autem tentationes dicit, propterea q̃ sicut diximus, aliæ a Deo, a nobis aliæ eueniunt.

Iob.1 b
Gene.22 a

Roma.5 a

Id scientes probationem fidei uestræ patiẽtiã efficere.

Probationem iudicationem & explorationẽ & puritatem appellat: sicut & illud, argentum ignitum probatum terræ. Sed quo pacto probatio patientiam efficit? Quia uidelicet fides ea quæ in patientia & tolerantia illatarum sibi tentationum perseuerat, pura esse deprehenditur, et probatur. Fidelis enim uere hominis est cum tolerantia & gratiarum actione huiusmodi calamitatũ euentus suscipere. Id quod Iob in omnibus gratias agens faciebat.

Pſal.11 b

Iob.1 d

Patientia uero opus perfectum habeat, ut sitis perfecti & integri in nulla re deficientes.

Non dixit (patientiam opus perfectum habere) definitiue, sed imperatiue (habeat) propterea quòd non hæc dicit, ut uirtutem quæ iam sit, manifestet: sed qualis esse debeat quæ acquiritur, sanciat.

Si cui autem uestrum deest sapientia, petat ab eo qui dat Deo omnibus simpliciter, & non exprobrat: & dabitur ei:

Causam perfecti operis esse sapientiã inquit. Quoniam autem probationem fidei & patientiam in tentationibus non quorũlibet esse hominum nouit, sed eorum qui apud Deum sunt sapientes: iccirco ad sapientiæ petitionẽ eos qui hæc exequi cupiunt, inducit atque incitat.

Petat autem in fide, nihil hæsitans.

Si credit, petat: si hæsitat & dubitat, ne petat. nam qui diffidit se accepturum esse, proculdubio non accipiet.

Matt.7.a
& 21 c
Mar.11.c
Luc.11 b
Ioan.16 b.
& 16 c.i

Qui enim hæsitat, fluctui maris similis est, qui uento impellitur, & iactatur.

Qui hæsitat, anceps cum sit & ambiguus, in petitionibus suis parum perseuerat, & statim recedit, non secus atque unda à uento agitata: atq; id facit ex arrogantia & superbia. cito enim deficit, atq; animum despondet, si è uestigio ea quę petit, euenire sibi non uideat: quippe qui de se magnum quid cogitet, seque non indignum putet, qui frustretur petitione. Huic contrarius humilis est.

Ne enim putet homo is se accepturum quicquam à Domino esse.

Homo is, qui cum arrogantia & superbia ui

delicet petit. Aufer abs te duplicitatē, ambiguitatēq; animi, & nihil omnino à Deo petere dubites. neque tecum hæc cogites: quo modo petere aliquid à Domino, & accipere possum, cū tam multa contra ipsum peccata commiserim? ne hæc consideres: sed ex toto corde ad Dominum conuertaris, & pete ab ipso absque ulla dubitatione, & misericordiam eius cognosces, qui non te deseret, sed petitionem animæ tuæ exequetur. quippe cum non sit Deus quemadmodum homines, qui sibi illatarum iniuriarū sunt memores: sed clemens erga creaturam suam, & misericors.

Vir duplici animo, in omnibus uijs suis inconstans est.

Virum duplici animo: id est δίψυχον quasi bianimem dicas, uirum dubium & instabilem uocat, qui neq; ad futura, neque ad præsentia firmiter, ac constāter se habet: sed huc & illuc agitur, & circunfertur, & modo futuris, modo præsentibus animum adhibet. Huiusmodi hominē tū fluctuationi, & procellæ maris assimulauit, quę firmitatē & stabilitatē in se nullā habet: tū flori herbarū paulo inferius cōparabit, qui neq; ipse multū pdurat. sed simul atq; ortus fuerit sol, flaccescit, atque effluit. Dicitur autem homo duplici animo: id est δίψυχος, qui neque ad futurā uitam satis est firmatus. anima enim. i. ψυχὴ uita
Iob. 2 b quoque appellatur: ut ibi, omnia quæ habet homo, pro anima sua dabit. Vias autem uocat animi motiones, quibus spes siue bonæ, siue malæ fuerint, librantur ac suspenduntur. Sed quoniā bonorum omnium consequutricem humilitatē esse cognoscit, ita ut sine ea nihil iusti, & sancti perfici queat, propterea subiungit.

Glorietur autē frater humilis, in sublimitate sua.

Vbi fluctui à uento agitato hæsitantem comparauit: sicut enim ille à uentis inflatus tollitur, & citius quàm ad tumorem integrum peruenerit, subsidit, & sternitur: ita qui dubitat, ex arrogantia & superbia ad nullam rem opportunam & honestam petitiones suas stabilit, ac confirmat: postea quo modo se gerere debeat qui petit, declarat, perinde ac si ita dicat. Qui petere aliquid uult, primum id aduertat, ut opportuna & honesta petat, in quibus nulla esse frustratio possit: cuiusmodi est regnū Dei, & iustitia: Deinde in eorum petitione perseueret: & non ubi paululum fuerit precatus, statim recedat, arrogantis enim id est, sed in humiliatione perseuerando expectet: propterea quòd ex humiliatione hac erga Deum bonum omne nobis euenit.

Diues autem, in humiliatione sua. quoniam sicut flos fœni præteribit. ortus enim est sol cum æstu, & exiccauit fœnum, & flos eius decidit. Eccle. 14 c Eſa. 40 b 1. Pet. 1. d

Diuitem eum dicit qui superciliosus sit & superbus, quem etiam humilem uocat, utpote qui dum sustollitur, deprimatur. Oportebat quidem dicere, ut consentanea superioribus esset oratio:

Diues autem erubescat & confundatur in humiliatione sua: sed quia minime molestus esse studet, uerbum id prætermisit. non comparat autē hunc fœno, sed flori ipsius fœni, ut breuem prorsus ac momentaneam floriditatem eius ostēdat.

Et decor faciei eius perijt: sic & diues in itineribus suis marcescet.

Facies improprie hic dicta est, quæ Græce πρόσωπον dicitur. nam de solo homine proprie dici consueuit, nō de alijs animalibus: sed de quadrupedibus rictus, de auibus rostrū appellatur. itinera autem diuitis traductiones eius, & administrationes in ꝓspera fortuna uocat, inter quas insperato in infortuniorum mutationem delabitur.

Iob.5.c *Beatus uir qui tentationem sustinet, quia probatus effectus coronam uitæ accipiet, quam promisit Dominus ijs qui ipsum diligunt.*

Videtur beatus hic apostolus cum absolute atq; indistincte de tētationibus loquutus fuisset, ubi inquit: omne gaudium existimate, cum in uarias tentationes incideritis: deinde orationis Domini recordatus fuisse, qua docemur precari ne incidamus in tentationes: atque iccirco resumit ex antedictis orationem, & declarat, quæ à Deo tentatio sit, quæ uidelicet gaudij summi est effectrix: quæ item à nobis sponte suscipiatur. Cæterum recte se habet, ut Dominus & Deus Iesus Christus ad imbecillitatem naturæ humanæ spectans tentationes deprecari consuluerit, cum

adhuc discipuli essent imperfectiores: id quod in alijs multis fecit, cum in aliud tempus quæ erant perfectiora: subinde differret. Posteaq; uero et ex eius resurrectionis, & in cœlum assumptionis cognitione natura nostra infirma corroborata est, frater eius non amplius timendas esse tentationes monet: utpote cum posthac passionibus Christi confirmati omnem tentationū insultum uincere, ac debellare ualeamus. Cum uero duplices sint, ut diximus, tentationes, tolerātia, ac patientia in utrisque confert: in ijs quæ à Deo missæ sunt, fit ut declarationem, & comprobationem postea consequamur: ut Abraham. in ijs quæ à nobis accersuntur, si cum gratiarū actione sustinentur, id quasi peccatorum recompensationis loco habeē. Qui enim sua agnoscit principium salutis in se iniecit, & in formam iusti se ipsum assimulat, ac fingit. Siquidem uir iustus Pro.18.c in prima loquutione se ipsum accusat.

Nemo qui tentatur, dicat se a Deo tentari. Deus enim neq; tentari malis potest, neq; ipse quempiam tentat. Sed unusquisq; tentatur, dum a propria concupiscentia extrahitur, & allicitur. Deinde concupiscentia ubi concepit, parit peccatum: peccatum uero perfectum mortem procreat.

Si duplices sunt tentationes, ut diximus, quo pacto hic tentationum omnium causam à Deo uidetur remouere, ac reijcere? Sed animaduertendum est, non dixisse hic (qui tētatus est) sed (qui tentatur) qui enim sibi ipsi ex peccatis & in-

temperantia exhibet tentationes, ita vt in assidua animi fluctuatione sit, & turbatione, eum non à Deo tentari, sed à propria concupiscētia inquit. Nam qui illatam à Deo tentationem vicit, tutiorem ac securiorem se ipsum reddidit, vt postea tentationibus præsertim ijs quæ ab ipso excitantur, inexpugnabilis sit. Ad modestiorem enim uitam & tolerantiorem redactus fontem ipsum sibi tentationum obstruxit: atque in reliquum tempus tētationibus liber permanet. Deus autem neque tentari malis potest. quemadmodū enim ille inquit, licet à nostris externus: Numen & Deus neque ipse molestias habet, neque alijs exhibet. quippe cum omnia hæc mala circa mortalem & terrestrem naturam uersent, in qua alteratio & mutatio, unde natura nostra initium habuit, conspicitur. Cupiditas autem, & peccatum, & quæ ex eo oritur mors, gradus quidam humanæ perditionis sunt. concupiscentia enim vbi locum nacta est, et sedem in animo nostro vacuam reperit, peccatum creat: peccatum postea mortem parit: nisi ea ex animo nostro penitus eradicata secundæ uitæ nobis initiū fecerimus.

Ne erretis fratres mei dilecti. omnis datio bona, et omne donum perfectum desuper est, descendens a patre luminum.

Posteaquam diuinam naturam satis demonstrauit, neque ipsam idoneam esse vt tentetur, neq; alijs tētationes exhibere: appellat enim hic tentationes cogitationes eas quæ constantiam

& tranquillitatē animi confundunt, ac turbant. nam quæ à Deo mittuntur, tentationes non turbare, sed sedare animum atq; illustrare consueuerunt, ita vt pulchritudinē eius apud plerosq; alios etiam celebrem, atq; admirabilem reddāt: posteaq; igitur mala non exhibere Deum ostendit, subiūgit omne bonum perfectum à Deo esse, qui pater luminum est, & illustrationis: eo q; quæ à nobis afferuntur, ea neque perfectionē nisi cū multa imperfectione cōiunctam habeāt, neque animam illuminent. quo modo enim esse perfectum potest id, quod ab illis proficiscitur, qui eatenus fiunt perfecti, quatenus progrediuntur? & vix multo cum labore deformitatem ex generatione contractam expurgantes, ad illustrationem diuinam perueniunt?

Apud quem non est uicissitudo, aut mutationis adumbratio.

Ipse enim clamat per prophetam: ego sum, & non immutor. quod uero inquit (mutationis adumbratio) id significat, ne suspicione quidem tenus vllam in eo esse alterationem. Mal.3.b

Volens procreauit nos uerbo ueritatis, ut essemus creaturarum suarum primitiæ quædam.

Volens, inquit, aduersus eos qui mundū hūc fortuito & ex sese necessario constitisse nugantur. nam cum dixisset (apud quem non est vicissitudo) atque ex eo Deum mutatione omni carere ostendisset, subiungit, uolens ipse Deus .i. vo

luntarie nos procreauit. & nos sumus mutationibus obnoxij. si enim sumus procreati, alterationibus quoque obnoxios nos esse manifestum est. Quo pacto enim carere alteratiõe id potest, quod ex eo quod non erat, ex alteratione in esse productum est? Quia uero dixerat (procreauit nos) ne quispiam existimare posset filium etiam simili modo vt nos, Deum progenuisse, addidit (verbo veritatis.) omnia enim, vt diuus Ioan-
Ioan.1.a nes inquit, per filium facta sunt. ꝙ si per ueritatis verbum producti in uitam sumus, & esse ipsum à uerbo habemus, congeniti esse illi a quo sumus, nullo modo possumus. Nos autem procreauit, inquit, ut essemus primitiæ: id est primi atque honoratissimi inter creaturas eius. creaturas autem hic visibiles tãtum res creatas vocat.

Quare fratres mei dilecti, sit omnis homo uelox
Pro.17.d *ad audiendum, tardus ad loquendum: tardus item ad iram. ira enim uiri iustitiam Dei non efficit.*

Velocitas hæc non ad simplicem auditionem refertur, sed ad operosam auditionem, cũ simul atque audiuit aliquis, ad ea quæ imperata sunt, aggredienda incitatur. intelligit enim de eo qui studiose ita ijs quæ dicuntur, aures adhibet, vt ad opere ea implenda prõptum se præstet. Quẽ admodũ ecõtrario tardum eum uocat, qui differẽdo semper tarde se gerit, & prorsus ab aggressione rei interdum se abstinet. Ideo ad diuinorũ mandatorum disciplinam, celeritatem: ad ea quorum periculosa tractatio est, tarditatem præci-

pit. Periculosum autem est loqui, & irasci. nam & temeraria loquutio, & inconsiderata ira non in bonum finem quandoque euadere consuevit. Vnde etiam diuinus quidam uir inquit: eum qui loquutus est, sæpe pœnituit: qui tacuit, nunquã. Pſal.4.c Et beatus etiam Dauid, irascimini, inquit, & ne peccetis: id est, ne irascentes statim furorem qui ab ira suggerit, effundatis. Quibus consentanea etiam hæc sunt. Nam & in loquendo tarditas, et in irascendo lentitudo efficit, vt ad rectũ & opportunum opus cunctando reducamur: atq; ex consideratione quæ per moram fit, concitatus animi impetus vel omnino resolutatur: vel sicut res postulat, cohibeatur ac moderetur. & præcipue iræ, quæ cum inconsiderate effertur, e iustitia Dei nos exturbat. ꝓpterea enim causam hãc subiungit, ira, inquiens, uiri iustitiam Dei non efficit. Nam si iustitia est habitus in anima nostra, qui quod vnicuiq; conuenit, pro dignitate distribuit: ira autem, vt scriptura inquit, prudẽ Pro.15.a tes etiam ipsos perdit: qui fieri potest, vt quæ animia perturbatione mentem obtenebrando prudentes etiam perdit, virtutem illam constituat, quæ iusto cum iudicio vnicuiq; distribuit quod suum est? Vult igitur, vt dupliciter tarditatem exerceamus, & in loquendo videlicet, & irascẽdo. quippe cum facere cunctatio soleat, vt ab incitatione atque impetu abstineamus.

Propterea deposita omni sorde, & redundatia uitij, in mansuetudine admittite insitum uerbum, qđ saluas facere animas uestras potest.

Vbi dixit (sorde) subiungit (& redundantia vitij) vt significet, si quis sæpe in sordem aliquã incidit, eum debere statim ab ea se abstrahere, et non immorari & redundare in ea: ne si inueterauerit, ex consuetudine stabilius vitium, atq; inhærentius reddat: cum ea quæ assidue nobis & abundanter fiunt, in naturam euadere, id est naturæ habitum acquirere consueuerint. In mãsuetudine, autem inquit, quia in tranquillitate non in turbatione & tumultu doctrina admittitur. Insitum autem verbum: id est λόγον, quod Græce tam verbum quàm rationem significat, ratiõnẽ hic appellat, qua quod melius est, ab eo quod est peius, discernitur: qua etiam λογικοὶ: id est rationales & sumus & dicimur.

Mat.7.d Rom.2,b *Estote autem effectores uerbi, & non auditores tantum fallentes uosmetipsos.*

Quia scit eos etiam qui diligenter admodũ verbum audiunt, sæpenumero etiam inter audiẽdum feruorem illum solere extinguere, ideo hæc subiungit, quasi ita consulat: ne in audiendo tantummodo studium & diligentiam præ uobis feratis, sed in agendo multo magis. Quod autem inquit fallẽtes: id est παραλογιζόμενοι. i. rationibus, et captionibus seducẽtes, idẽ est qđ decipientes.

Quoniam si quis auditor uerbi est, & non effector, is similis uiro est, qui faciem generationis suæ in speculo contemplatur.

Cum quis per legem se ipsum agnoscit, faciẽ

is generationis suæ cõtemplatur. per legem enim quales nati sumus, cognoscentes, q̃ absolutos & perfectos spiritualis lex regenerationis lauacro nos reddat, consideramus. deinde cum per actionem in spectatione hac non perstemus, fit, vt gratię etiam ipsius acceptę obliuiscamur. qui enim actionibus prauis sese dedit, neque se beneficijs à Deo fuisse affectum meminit, si enim meminisset se adoptatum in filium, & iustificatũ, & sanctificatũ à Deo fuisse, quæ spiritualia profecto dona sunt; nequaquã operibus quæ irritam gratiam faciunt, sese dederet.

Contemplatus enim se ipsum est, & abijt, & statim oblitus est, qualis erat.

A materiali hoc speculo ad intellectualẽ orationem transfert, cum tamen redditionem nullã comparationi huic subiungat. integra enim atq; explicata comparatio in hũc modum fieri debebat: Si quis auditor uerbi est, & non effector, is similis viro est, qui faciẽ generationis suæ in speculo contemplatur. sicut enim ille contemplatus seipsum, abijt, & statim oblitus est, qualis erat: sic iste qui per legem Moysis cur natus sit, consideraũit, vt gloriam Dei videlicet cõsequatur, & ad imaginem eius qui ipsum creauit, postea vbi id fecit, nihil ex ijs quæ considerauit, operatus est: sed eodem modo quo ille, circa considerationem est affectus. Hoc pacto uti oratione oportebat. Sed non temere tamen Domini discipulus Iacobus concise & breuiter omnia loquitur, ut pote concisi & abbreuiati verbi discipulus; si- Rom.9.f

mul, vt auditorem colligat, & ad hæc non negli genter audienda attentum ac ſtudioſum reddat.

Qui uero proſpexit in legem perfectam quæ eſt libertatis, & permanſit, hic cum non auditor obliuionis, ſed operis effector euaſerit: is beatus in effectione ſua erit.

Qui proſpexit, dixit, id eſt, παρακύψας, quaſi qui tranſpexit per tranſitum: & non qui ingreſſus eſt: propterea q̃ ſpiritualis lex cũ vndequaq; expetibilis ſit & admirabilis, vel ex ipſo breui occurſu alliceret ac perficere homines ſolet: cũq; perfecta & in omnibus abſoluta ab omni dubitatione circa ipſam hominem remoueat, vt perſiſtat in ijs quę contemplatus quiſpiam eſt, etiã perſuadet. Addit autem (perfectam) eo q̃ Iudæi de obſeruationibus legis gloriabantur, ſecq; in ijs omnia quæ ad Dei pietatem ſpectabant, exequi exiſtimabant: in ijſq; ſolis uerſantes ſicut ſe ſibi perfectionem comparare opinabantur, ita reliquos homines contemptu & exprobratione p-
Luc.18.b ſequebantur. Quemadmodum ex Phariſæo p-ſpicuum eſt, & ijs quæ in euangelio arroganter loquitur. Hanc opinionem vt reprimat beatus Iacobus, hæc inquit. Nam cum operum effectoris mentionem feciſſet, eumque beatum prædicaſſet: ſtatim malum id ac vitium qd̃ apud pleroſque in effectione oboriri ſolet, corrigit, atque ait. Ne exiſtimes tu qui beatitudinem ex effectione legis es conſequutus, ſolam eam eſſe quæ te aceptum Deo reddat: non enim eſt. Sed ille gra-

tus Deo eſt, qui & facit legis opera, & alijs non exprobrat, neque inſolẽter & inhumane erga cognatos ſuos ſe gerit. Præterea vbi dixit (legem perfectam) addit (quæ eſt libertatis) vt libertatẽ eius præcipue celebret, inſignemque faciat. Lex enim Chriſti cum a ſeruitute nos omnium carnalium auocet, a ſabbatiſmis, a circunciſione, ab alijs purificationibus & cereimonijs, in libertate & relaxatione horum omnium hominem conſtituit: & ob libertatẽ, eiuſq; ſuauitatem ita allicit, vt attentus & ſtudioſus effectus obliuione, q̃ honeſta omnia labefactat, ac turbat, omni prorſus vacet. Quippe cum nihil ſit, quod ad rei alicui ita incumbendum inducat, q̃ cum quis ſe in ea liberum & omni ſeruitute abſolutum conſpexerit. Hunc etiam beatum eſſe prædicat. Auditioni autem adiunxit obliuionem, cum inquit (auditor obliuionis) eo q̃ ſi auditio effectiõe caruerit, nullum negocium eſt, quin obliuio etiam ſubſequatur: cum ociosa auditio, & ſine opere permanſerit.

Si quis uidetur eſſe religioſus inter uos non refrenans linguam ſuam, ſed cor ſuum decipiens: huius uana religio eſt.

Religio, quam θρησκείαν Græce dicit, amplius quid q̃ fides, videtur continere. arcanorum enim quorundam cognitionem, & eorum quæ in fide conſiderãtur, firmitatem ac ſtabilitatem nomen ipſum ſignificat. Vnde etiam beatus Iacobus nunc verbo hoc eſt vſus, θρῆσκος, inquiens, id eſt, religioſus, perinde ac ſi dicat: cognitorem ar-

canorum quæ in lege sunt, & exactum obseruatorem te putas? quo pacto? cum linguam refrenare nescias, & contra proximum loquaris, & superbe viuens nemini indigenti miserearis? cum lex non modo contra proximum loquentem nō admittat, verum etiam inimicis misereri iubeat,
Exo.23.a vt sicui etiam ex inimicis iumentum sub pondere grauatū ceciderit, ei opem ferre quoque præcipiat. Si igitur esse religiosus vis, non in cognitione legis, sed in effectione religionem præ te feras: id autem est proximis, atque alijs hominibus misereri. misericordia enim erga proximum est, quæ similes nos Deo facit. Estote enim, inqit,
Luc.6.c misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est. atque hęc misericordia in personarum acceptione non sit: siquidem neque ipse Deus diuisa sua beneficia exhibet, sed indistincte omnibus, diuitibus, pauperibus, prauis, bonis bene facit. Refrenans, autem inquit, id est coercens et cohibens: & non ex opinione quam de se habet, quasi effector legis sit, conscientiam suam decipiens: id enim hic cor videtur significare. sicut
Psal.50.d etiam ibi, cor contritum & humiliatum.

Religio pura & immaculata apud Deum & patrem hæc est: inuisere pupillos & uiduas in afflictatione ipsorum.

Fortasse dicet quispiam, si testamenti Christi doctor est Iacobus, cur nunc non tollit ea quæ sunt legis, sed magis extollit & laudat, dum eos qui in legis religione versantur, non modo non

reprehendit, & ab obseruatione legis non remouet, sed admittit atque approbat? cui respondendum est, Apostolum introductionis in modum ipsos alloqui, & imbecillitati ipsorum aliquantulum indulgere: ne si a principio & primo ingressu legem sustulerit, nouitate doctrinæ fastidientes, & non credentes retrocedere cogat: sed cum dispensatione quadam tractare rem: vt legalibus ceremonijs cedendo quātum ad nouum testamentum nulla peruenire læsio poterat: quid enim sabbatismus, aut ieiunium, aut abstinentia a cibis fidei Christi nocumentum afferebat? atque ita attentiores eos sibi reddendo paulatim & sensim abstinere a legalibus moneat: vtpote quæ laboriosa sint & inutilia, & ad seruitutem non ad libertatem quæ in Christo est, deducant. Sapienter igitur paucis primum vsus mutationibus quando non ęgre ferre eos verba hæc animaduertit, tunc Christianis conuenientia postea subiungit.

Et immaculatum se ipsum a mundo conseruare.

Mundum hic popularem & confusaneam turbam intelligendum est, quæ ex concupiscentijs deceptionis eius corrumpitur.

De charitate erga vnumquemque absque acceptione personarum: non ex fide sola, sed ex operibus quoque hominem iustificari.

Cap. II.

FRATRES *mei ne in personarum acceptione Domini nostri Iesu Christi gloriæ fidem*

Leui.19.c
Deut.1.c
&16.d
Pro.24.c
Eccl.24.a

habeatis. Si enim ingressus in congregationem uestram fuerit uir aureis annulis & ueste splendida ornatus, ingressus sit & pauper ueste sordida indutus, et respexeritis ad eum qui uestem splendidam gestat, & ei dixeritis, tu sede hic bene, & pauperi dixeritis, tu sta illic, uel sede hic sub suppedaneo meo. et non diiudicati estis in uobisipsis, & facti estis considerationum prauarum iudices.

Qui in personarum acceptione aliquid facit, multa sorde, et multis maculis seipsum inficit, quippe cum cognatos suos contemnat, immo potius seipsum. siquidem opprobrium qđ ergą similem sui quispiam facit, in ipsum illum qui facit, redundat. Cum vero inquit, & non diiudicati estis(&) coniunctio vacat. id qđ priscæ loquutioni consuetum est. nam sentētiæ huius redditio cum hucusq; pertineat, sine(&) ita dici debebat: si ingressus fuerit ad vos dives, & ingressus sit pauper, &c. non diiudicati estis, id est, diiudicationem & discretionem vestram corrupistis, cum nullam considerationem habueritis, vter magis honorādus sit, pauper qui bonus sit, an dives malus: sed ita inconsiderate, & in personarum acceptione hunc ob diuitias honore, illū ob paupertatem contemptu estis prosequuti. & facti estis prauarum considerationum iudices, dum prauas considerationes elegistis, iudicando hunc honore, illum contemptu esse dignum: cū tamen vtriq; eiusdem naturæ sint creaturæ.

Audite fratres mei dilecti, non ne. Deus pauperes mundi huius elegit, diuites in fide, & hæredes regni, quod promisit ijs qui ipsum diligunt? uos autem contempsistis pauperem.

Quoniam paupertas plerisq; vel ipso nomine molesta esse consueuit, propterea vbi dixit (pauperes mūdi huius) statim adiunxit (diuites) id est, qui quidem diuites sunt. qua in re in fide. Ita enim res se habet. cum namque pauperes circa res mundanas minus distrahantur, fit, vt cum primum ad fidem accesserint, efficatiores, & ad agendum feruentiores q̄ diuites sint. Vnde etiam Dominus tales discipulos elegit, quos etiam regni hæredes constituit.

Nonne diuites dominatu contra uos utuntur, & ad iudicia uos trahunt? nonne ipsi pulchro nomini maledicunt, quod inuocatum est supra uos? Si legem quidem perficitis regiam iuxta scripturam, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, recte facitis. si uero personas accipitis, peccatum committitis a lege tāquā transgressores redarguti. Leui.19 đ Mat.22.đ Mar.12.c Rom.13.c Gal.5.c Leui.1.c Deut.1.c &.16 d Mat.5.c

Pulchro nomini, id est, nomini nouo, iuxta ꝓphetam, qui ait, ijs autem qui seruiunt mihi, Vocabitur nomen nouum, quod super omnem faciem terræ benedicetur. Cum autem inquit (iuxta scripturam) Deuteronomium intelligit. Esa.65.c

Quicunq; enim totam legem obseruarit, in uno

autem offenderit, omnium reus est effectus. qui enim dixit, ne mœcheris, dixit etiam, ne occidas. si uero nõ mœchatus sis, sed occideris, legis transgressor factus es.

Hoc de charitate dixit, ob quam totam a principio hucusque orationem produxit. Q. d. vero dixit, ne mœcheris, ne occidas, exempli causa dictum est. Vide autem exempla quoque ex lege esse quæ ad charitatem conducit. qui enim perfecte amat proximum, is neque mœchabitur, neq; occidet: quippe cum ita se gerere erga proximũ inimici hominis prorsus sit. nam si ita non intelligamus, nullus homo esse saluus posset, cum nemo sit, qui in nullo prorsus mandato deficiat. Q. ui enim, verbi causa, castitatem seruat, ira quandoque inferior est. qui item misericordia & erogatione est illustratus, obtrectatione interdũ obscuratur. Q. uapropter non de eo qui nulla in virtute deficiat, dictum hoc est, sed de charitate tantummodo. ꝙ non oporteat personas accipiendo in ea deficere, sed integre eam exercere. Idem de alijs virtutibus dici potest: qui enim tẽperantia puta, aut iusta non perfecte exercet, sed in eorum vsu deficit, is cum in tractatione eorũ claudicet, totum atq; vniuersum virtutis corpus labefactat, ac lædit. Totam igitur legem charitatis intelligendum est, de qua præcipue ipsi loqui propositum est.

Ita loquimini & ita facite, tanquàm per legem libertatis iudicandi. iudicium enim misericordia uacãs illi

illi erit, qui misericordiam non fecerit. misericordia autem contra iudicium gloriatur.

Legem veritatis eam appellat quæ acceptione personarum caret, quæ Christi est. personarũ enim acceptor non est liber, sed seruus: quippe cum ab ea re in seruitutẽ redigatur vnusquisq;, à qua superatur. Si peccata igitur in nos cõmissa proximis remiserimus, & ex bonis nostris aliqd indigentibus participauerimus, misericordiam etiam nos postea a Deo in iudicio consequemur. magnum enim bonum id esse existimatur. quẽadmodum e contrario graue admodum peccatũ illis imputatur, qui inclementer erga cognatos se gerunt. eos enim qui remittere proximo peccata in se cõmissa sine vlla misericordia nolũt, praui illius serui cõdemnatio opprimet, vnà cũ retributione, quam sibi fieri quotidie in oratione à Deo precant. ibi enim remitti nobis à Deo petimus peccata nostra, sicut & nos illis remittimus, q in nos peccauerunt. Illis itẽ qui erga corporali auxilio indigentes inclemẽter & aspere affecti sunt, iudiciũ Dei misericordia omni uacãs occurret, quemadmodum hic inquit. gloriatur enim contra iudicium misericordia: id est quod unoverbo Græce dicit, κατακαυχᾶται: id est superexultat, debellat, obtundit, ac vincit. misericordes enim, vt Domini sententia præfinit, misericordiam consequentur. Nam si idololatris delere peccata misericordia erga pauperes potest, vt apud Danielem audiuimus: fidelibus hominibus quid non efficiet? Ac mihi quidem tale quid

Mat. 18. d

Matth. 6. a Luc. 11. a. f

Matth. 5. a

Dani. 4. f

huiusmodi misericordia videtur efficere, quod athleris & certatoribus oleū corpori illitum præstat: sicut enim illud facit, vt aduersariorum prehensiones facile elabantur: sic etiam in vniuersali totius mundi iudicio misericordia qua in proximum vsi fuerimus, nobis exhibebit, vt ab accusatoribus nostris dæmonibus illatas criminationes subterfugiamus, atq; euadamus. ALITER. Cum inquit, iudicium enim misericordia vacans &c. aduersus eos dicit, qui ex nimia asperitate erga ignobiliores in personarum acceptione contemptum præ se ferunt. mollire enim duritiam & asperitatem eorum vult, dum sentētia hac eos terrefacit, quasi in hunc modum dicens: lex amare proximum iubet sicut seipsum. quemadmodum igitur erga seipsum personarū acceptione vtitur nemo, nisi insanus ac demens sit: ita neque tu personas respicias. q̄ si ex inclementia & duritia ad personarum acceptionem delaberis, time ne etiam tu eadem à iusto iudice postea consequaris, misericordiamque eius tibi ipsi excludas.

Quæ utilitas est fratres mei, si fidem dicat se habere quispiam, & opera non habeat? nunquid saluum facere ipsum fides potest? Si autem fratres aut soror nudi sint, & quotidiano alimento indigeant, & dicat aliquis uestrum ipsis, ite in pace, calefiatis & saturemini: & necessaria corpori ipsis non dederitis: quæ utilitas erit?

Vide spiritualem prudentiam, non enim dicit

tantum si fidē habeas, sed quæ vtilitas est? perinde ac si dicat: ostende mihi rem ex qua tibi inesse appellationem hanc deprehendam. hæc enim vtilitas fidei est.

Sic & fides nisi opera habeat, mortua ex se est. Sed dicet quispiam: tu fidem habes, & ego opera habeo. ostende mihi fidem tuam, & ego ex operibus meis fidem meam tibi ostēdam. tu credis Deum unum esse? bene facis. & dæmones credunt, & horrent.

Non contradicit hic beato Paulo, cum duo bus significatis nomen fidei accipiatur. nam & de simplici rei quæ apparet, consensu fides dici consueuit: quo modo etiam dæmonas credere videmus, Christum filium Dei esse: & ex affectu assequutio, atque obtemperatio cum firmo consensu, fides appellatur. Iacobus igitur simplicē consensum mortuam esse fidē dicit, quippe quæ operum viuificantium expers sit. Paulus eam fidem intelligit, quæ sane operibus nunquam caret. quippe cū honestorum operū vacuo animo inseri nullo modo possit. nam neq; Abraham eā fuisset consequutus, nisi prius paternam depellere impietatem decertasset: cui certamini postea fides quasi præmium subsequuta est. Hanc Paulus operibus anteponit: id est veteris legis operibus, sabbatismis, circuncisioni, cæterisq; huiusmodi purificationibus. Duo enim etiam operū significata simili modo habētur. nam opera dicuntur, & quę fidem confirmant, quibus si careat fides, mortua est: & quæ sunt legis, sine qui

Rom. 3. b

Gen. 15. b
Rom. 4. a

bus & Abraham, & omnes Christiani iustificā tur. Nam fidem quæ vera scilicet fides est, impuro homini non contingere, quis negabit? sicut enim neq; in cœni pleno uase precioſum vnguētum cōſeruari poteſt, ita neq; in impurgato hominis animo fides Dei inoleſcit. Non igitur diſſentiūt inter ſe diuini hi apoſtoli, ſed circa diuerſum ſignificatum vtriq; verſantes, propoſitum ſuum exequuntur.

Vis autem ſcire o homo uane, fidem ſine operibus mortuam eſſe?

Hominem vanum appellat eum qui ſimplici fide gloriatur, quæ nulla operum ſubſiſtentia completur.

Abraham pater noſter non ne ex operibus iuſtificatus eſt, cum Iſaac filium ſuum ad aram obtulit? Gen.22.b *non ne uides fidem operibus ipſius cooperatā fuiſſe, & ex operibus fidem fuiſſe perfectam? et expletam eſſe ſcripturam, quæ dicit: credidit Abraham Deo & imputatum ipſi in iuſtitiam eſt, et amicus Dei appellatus eſt.* Gen.15.b Rom.4.a Gala.3.a *Videtis ne igitur ex operibus iuſtificari hominem, et non ex fide tantum? Simili modo q̄oque Raab meretrix cum nuncios excepiſſet, & alia uia eieciſſet, non ne ex operibus iuſtificata eſt?* Ioſue.2.a

Paulus & Iacobus hic eodem hoc exemplo Abraham vtriq; vtuntur: alter, ut fidem operibus eſſe præſtantiorem: alter vt opera fidē excellere demonſtret, dictumq; ſuperius eſt vtrūq;

diuerſo ſignificato fidei vti: atq; ita prout res de qua agunt, poſtulat, loqui. Nonnulli tamen patres ſunt, qui de hoc ita ſentiunt. Aiunt enim eundem Abraham diſtinctum temporibus, vtriuſq; fidei eſſe poſſe exemplum, & eius, quæ ante baptiſma eſt, quæ opera minime requirit, niſi conſenſum ſolum & confeſſionem ſalutis, & uerbū quo credentes in Chriſtum iuſtificamur: et eius, quæ baptiſma ſubſequens connexa neceſſario etiam opera habet, ita vt nihil contrarij habere videatur, qui in apoſtolis loquutus eſt ſpiritus: cum altera fides ſit, quę antecedit baptiſma, quę per confeſſionem ſolam accedētem ad ipſam hominem iuſtificet, etiam ſi ſtatim è uita exceſſerit: ei enim qui ita celeriter poſt baptiſma moritur, nulla adſunt opera, ſed ſatis idoneum viati cum eſt, quæ per baptiſma facta eſt expiatio: altera autem quæ baptiſma ſubſequitur, quæ à iā baptizato etiam bonorum operum demonſtrationem requirat, atque exigat. Cui rei Paulus etiam ipſe conſentit, cum alibi doceat hanc quæ poſt baptiſma ſubſequitur, fidem perfectionem ab operibus requirere, vbi inquit: neque circumciſio quicquā valet, neque pręputium, ſed fides, Gal.5.b quæ per charitatem operatur: charitas autem vt expleatur, multa actione, & vitæ tolerantia indiget. ALITER. Iuſtificationis ex ſola fide exemplo Abraham eſt, quando vbi credidit, imputatum ipſi ad iuſtitiam eſt: iuſtificationis vero ex operibus, quando filium ſuum ad aram obtulit. Etenim non opus tantummodo fecit, verū etiam à fide non defecit, q̄ in Iſaac ſemen ſuum Gen.15.b

multiplicandum sicut stellę, esset: considerans potentē esse Deū, vt etiam ipsum suscitare à mortuis posset. Dauid quoque Paulus producit testem, sua sapienter cōfirmans. Nouerat enim diuino spiritu futuram in Christo fidem, atque ideirco ait. Beatus uir cui nō imputauit Dominus peccatum.

Rom.4.a

Psal.31.a

Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.

De fide post baptisma loquit. nihil enim prodest fides, quæ operibus caret, nisi quod grauioris peccati reos nos facit: propterea q̄ cū talētū acceperimus, lucrum non afferamus. Vnde etiā Dominus ut nobis exemplo confirmaret, post baptisma operibus quoq; nobis esse opus, ipse statim vbi à Ioanne fuit baptizatus, in desertū abijt, & certamen cū diabolo subijt. Paulus quoque ijs qui iam mysterijs digni habiti sunt, consulit, dicens: studeamus ingredi in illam requiem: quasi non sufficiat fides, sed adiungi etiā puritas vitæ debeat, multumque studium huic adhibendum sit.

Mat.25.c

Mat.4.a
Mar.1.b
Luc.4.a

Heb.4.c

De petulantis atq; immoderatę linguæ malo: de mutua conuersatione bona, & sine contentione: de sapientia humana & diuina.
Cap. III.

NE MVLTI *magistri efficiamini fratres mei, scientes maius iudicium accepturos nos esse. in multis enim omnes offendimus.*

Mat.23.a

Cum superius dixerit, & docuerit fideles non inanem operum bonorum fidem habere: transit nunc ad alterum affine huic documentum. nam cum nonnulli docere ea aggrediantur, quæ ipsi non exequuntur: huiusmodi homines prętereq; quòd nihil lucrātur, maius quoq; iudicium, maioremque condemnationem sibi acquirere ait. qui enim ea quæ in se nō sunt, quasi sint, docet: damnationi obnoxius est: vtpote qui sua ipsius lingua offendat, ac labatur. hocq; ex superabundanti probatione cōfirmans, inquit: si enim quādo etiam temere ex incuria lingua labitur, homo iudicium non effugit: ut Salomon asserit, cū dicit: ob peccatum labiorum in laqueum incidit peccator: nunquid ille qui dedita opera peccat, dum lingua ea docet, quæ experimento non didicit, ineuitabile Dei iudicium effugiet?

Pro.12.b

Si quis in sermone nō offendit, is perfectus uir est. qui freno moderari etiam totum corpus posit.

Ineuitabile esse ut homo aliquis sine peccato traducere vitam possit, ex lubricitate linguæ cōfirmat, atq; ex hac eadem neminem esse perfectum ostendit. quis enim est qui lingua sua non peccet? q̄ si quis est qui linguæ lubricitatem superet, & cohibeat, quo pacto is non etiam totū corpus in gyrū ducere optime poterit? qui enim quod facilius ad labendum est, superarit: in id quod est segnius, multo melius dominabitur.

Ecce equorum frena in ora inijcimus, ut obediant nobis, & totum corpus traducimus. ecce et naues tā-

tæ cum sint, & ab asperis uentis agantur, ex minimo gubernaculo traducuntur, quocunq; dirigentis impetus uoluerit.

Constructio ita facienda est: in ora equorum frena inijcimus. hæc autem dicit, vt cõfirmet ea quæ de lingua dicta iam sunt: eum videlicet qui facilem ad labendum rem superat, difficiliorem etiam esse cohibiturum: Obiectionem vero hic soluit, quæ ita inferri verisimiliter potuisset: sed quis labor est membrum ita exiguum moderari ac gubernare? vel quodnam à minima hac particula effici damnum potest? Hæc ex freno, & gubernaculo, & scintilla cõprobat, quæ parua cũ sint, magna tamen quædam efficiunt.

Sic & lingua paruum membrum est, & magna iactat. ecce exiguus ignis quantam syluam incendit. & lingua ignis est.

Id est eodem modo lingua moueri ac duci debet bene, quæ cum exiguum membrum sit magna tam bona, q̃ mala efficit. non explicauit autem ita sententiam, quia qui hæc scribit, concisi
Rom.9.f ac breuiati verbi discipulus est. ALITER. Hæc quoque de eo dicit, quòd non temere mouẽda lingua sit, sed ad meliora traducẽda: quemadmodũ. n. & equi ferociam freno, et nauigij impetũ gubernaculo cohibemus, ac moderamur: ita & linguam in id quod ex recta ratione est, traducere debemus. Hoc enim significat quod inquit, (sic & lingua). i. sic & lingua recta ratione traduci ad bonum debet: & non permittendum est,

vt ea quæ facit, faciat. parua enim cũ sit, magna quædam facit, vnde etiam magnum nobis incendium excitat, cum ipsa quoque ignis sit.

Mundus iniustitiæ. sic lingua constituta est in mẽbris nostris, maculans totum corpus, & inflammans rotam generationis, & inflammata a Geenna.

Mundum hic nonnulli intelligi volunt multitudinem, quemadmodum ibi, Mundus eum non
Ioan.1.b cognouit, id est, vulgaris turba & multitudo. mundus igitur etiam lingua est, id est multitudo iniustitiæ. Alij mundum pro ornatu accipiendũ putant, quod Græce clarius patet: κόσμος enim præcipuo suo significato ornatum significat. dicuntq; hi commemorare hic Apostolum quænã sint ea, quæ faciat lingua, & dicere: ornatus iniustitiæ est, hoc est iniustitiã exornat, atq; instruit lingua facunda oratorum eloquentia: maculat corpus, dum illecebris & blanditijs mulierculas ad libidinem inducit: dum cædes decipiendo efficit: dum peierando aliena vsurpat: & denicq; inflammat rotam geennæ, id est, incendit, & contra nos geennam iritat, ac facit, vt quasi rotetur ac deuoluatur in nos geennæ ignis. sed & ipsa, inquit, inflammatur a geẽna: vt ex diuite perspicuum est, cuius lingua torrebatur. lingua enim
Luc.16.f & non alia parte præcipue cruciabatur, eo q̃ ea ad voluptuosorum dapium gustatum, & petulãtem nugacitatem vsus præcipue fuerat. Si legamus rotam geennę quemadmodum in nonnullis exemplaribus reperitur, ita explanabimus. Sive ro rotam γενέσεως, id est, generationis, vt in ple-

riscp codicibus habetur, vitam nostram significari per rotam generationis dicemus. inflammãs igitur rotam generationis vitam nostram maculat, dum temere et petulanter mouetur: vnde vita nostra exasperatur, id est, tempus vitę nostrę: quod lyricus noster coronam etiam appellauit, Psal.64.c coronam anni, inquiens. corona autem et rota nihil quantum ad orbicularem & circularem formam attinet, inter se distant. rota autem vita dicitur, vtpote quæ in seipsam reuoluatur. Sic igitur mota lingua, vt superius diximus, vitam nostram ita maculat, vt sordidã ac luctuosam eam reddat. Quocirca sic lingua recta ratione regatur, ac gubernetur. licet enim sit vel mundus iniustitiæ, ad popularem turbam & vulgarem spectans, vel ornatus iniustitiæ, & maculet totum corpus, & inflammet vitam nostram, & inflammetur a geenna: non difficile tamen est eam ita tractare, vt apte et cum ratione moueatur, id qđ ex sequentibus manifestat, cum inquit.

Omnis enim natura ferarum, uolucrium, reptiliũ, & marinorum domatur? & domita est a natura humana. linguã uero domare homo nullus potest? incoercibile malum: plena ueneno mortifero. in ipsa benedicimus Deum & patrem: & in ipsa execramur homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt.

Si omnis natura ferarum, volucrum, reptiliũ, & marinorum a natura humana & domatur, et domita est: numquid linguam, quia incoercibile malum, quia veneno mortifero plena est, doma-

re nullus homo potest? non sanè. si enim indomita est, & nunc̃p in melius vergit, quo modo ipsa Deum & patrem benedicimus? & ipsa homines execramur? ecce enim ad voluntatem vtẽtis transfertur. sed hæc fratres mei fieri non debent: nam si ipsa Deum benedicimus, nonne decus est, si hac eadem homines ad Dei similitudinem factos maledicamus? an iustum est, vt ex eodem ore & benedictio, & detestatio egrediat? non profectò. ALITER. Cum dixerit & ostẽderit freno, & gubernaculo quæ parua sunt, si bene dirigantur, magna effici: & cum subiunxerit, sic & linguam esse recta ratione & recto sermone moderandam: nunc se non ea quæ fieri non possint, iubere exemplis his declarat, perinde ac si ita diceret: Sed si dicat quispiam, licet exiguum membrum sit lingua, cum magna tamen faciat & mala & bona, non esse ad ea quæ volumus, obedientem ac tractabilem posse: nullam is excusationem affert. nam si homo longe alienus a natura sua feras & visu horribiles, & tractatu horribiliores sibi subiicit, ac domat: nõne membrum suum domare multo facilius poterit? Nam cum inquit, linguam vero domare homo nullus potest: non enunciando, sed interrogãdo legendũ est: vt sensus huiusmodi euadat, si feras sæuas cicurat, & mansuetas facit homo, nunquid linguam suam domare non potest? si enim enunciatiua oratione legas, procedendo nõ recte vti Iacobus monitione ea videbitur, cum inquit, non oportet fratres mei hæc ita fieri. nã si fieri non potest, vt componatur & moderamẽ

accipiat lingua, qui ea quæ fieri nequeunt, consulit, non recte consulit. Q. d. vero dicit (incoercibile malum, plena veneno mortifero) enunciatiue proferendum est: intractabilitatem enim linguæ augent. Cum vero postea subiungit, (ex eodem ore benedictio & execratio egreditur) per interrogationem legendum est. increpantis enim oratio est, & monentis, omnibus nos benedicere
1. Cor. 6. b debere. conuicioſi enim regnum Dei non hæreditabunt. Nonne turpe est, vt eodem instrumento & vitij & prohibitatis ministro vtamur? Nemo profectò sanæ mentis est, qui & cœnum & vnguentum precioſum eodem instrumento agitaret. Preces effundis ad Deum? ne execreris inimi
Mat. 6. b cum. obsecratio enim & execratio multum inter se distant. Nisi ei remiseris peccatũ, qui te offenderit: neq; tibi quicpiam remittetur. Immo contra te ipsum impreçari deprehẽderis, quãdo precaberis tibi debita tua remittti, sicut & tu remittis debitoribus tuis. Cęterum operæprecium est, vt facilioris intellectus causa totum hunc locum paucis quibusdam adiunctis hic subiiciamus, in hunc modum. Ecce frena in equorum ora iniicimus, vt obediant nobis: atque ita totum corpus eorum traducimus: ecce et naues cum tantę sint, & ab asperis ventis agantur, minimo gubernaculo traducuntur, quocunq; impetus dirigentis voluerit. Ita igitur & lingua traducatur recto sermone. id q. d. sanè difficile nõ est. omnis enim natura ferarum & volucrium, et reptilium, & marinorum ab humana natura & domatur, & domita est: q. d. si ita est, linguam domare nemo

poterit? non profectò.

Ex eodem ore benedictio & execratio egreditur? nõ oportet fratres mei hæc ita fieri. Nũquid fõs ex eodem foramine dulcem & amaram aquam scaturit? Nunquid potest fratres mei ficus oleas facere? aut uitis ficos? sic nullus fons salsam et dulcem facere aquã potest.

Ex eodem ore, q. d. tali sacrorum institutione dignatum fuerit, nihil amari, atq; insuauis emittatur.

Quis sapiens & scius inter uos? ostendat ex bona conuersatione opera sua in mansuetudine sapientiæ. q. si æmulationem amaram habetis, & contentionem in corde uestro, ne gloriemini & mentiamini contra ueritatem. Non est hæc sapientia desuper descendens, sed terrestris, animalis, dæmoniaca. Vbi enim æmulatio & contentio, ibi conturbatio, & omne prauum opus est.

Cum cupidi Imperij sint homines, & sapientia mundi huius glorientur, ex contentione & æmulatiõe bonorum magistrorum prædicabãt: ac turbas congregabant, inuidiaq; agitati diuinis humana interserebant, vt rerum nouitate magis auditores allicerent: vnde et hęreses exortum habuerunt. Vbi igitur de petulantia & intemperantia linguæ sermonem absoluit: transit nunc ad inuidiam quæ ex simili stoliditate hominibus inolescit, tollendam, & inquit eiusmodi hominũ

doctrinas, non esse sedatorum & prudentium: vtpote quæ ex sapientia non diuina, sed dæmoniaca sint. atq; hęc dicit cum prius bonum magistrum laudarit, cuius ex mansuetudine & bonis operibus sapientia est. Quia vero æmulationis nomen medium est tam bonorum q̃ malorum: est enim æmulatio vehemens animæ motio ad aliquid cum quadam assimulatione eius, ad quē studium fertur: propterea amaram adiunxit, vt de qua æmulatione loquatur, ostendat. contentio autem, id est, ἐριθείαν quasi iritationem dicas, vituperabilis contentio est.

Sapientia uero desuper primum casta est, deinde pacifica, modesta, obtemperans, plena misericordia & fructibus bonis, sine diiudicatione, & simulatione. fructus autem iustitiæ facientibus pacem in pace seritur.

Casta, id est, pura & munda, nihil carnale in se admittens. Sine diiudicatione, id est, ἀδιάκριτος quæ obseruationes ciborum & diuersarum ablutionum non diiudicat. exacte autem de his in epi
Gal.2 stola ad Colossenses differit Paulus.

De lite, & turbatione, & Dei inimicitia, ꝙ ex ignauia & concupiscentia exoriantur: de pœnitentia ad salutem: de non iudicando proximo: non ab homine sed a Deo gressus hominis dirigi. Cap. IIII.

VNDE *sunt bella & pugnæ inter uos? nõne hinc ex uoluptatibus uestris, quæ in membris uestris militant?*

Licet doctrinam fingant in sermone, totos tamen esse carnales ostendit, & grauissima quæque committere, dum voluptates sectantur: atq; alij opiparas mẽsas, id quod etiam Paulus damnans, inquit, tales enim non Domino, sed proprio ventri seruiunt: alij agrorum, & splendidarum domorum possessionem, alij seruitium, alij aliud quid sibi comparare student: ad quęcumq; scilicet malignus ipsos incitarit, omnia moliens, quo e sua ipsos salute deturbet, ac deijciat. Rom.16.c

Cupitis & non habetis. inuidetis & æmulamini, & consequi non potestis. pugnatis & bellatis. & nõ habetis, propterea ꝙ non postulatis.

Ex positione & sublatione progreditur, cum id quod positum est, ob absurditatem destruat. absurditas autem ex eo est, ꝙ quæ in positione considerantur, fomenta voluptatum & libidinũ sunt. nam & cupiditas in voluptatum exequutionem definit: & inuidia & æmulatio, & pugna & bellum simili modo bona non sunt. Vnde fit, vt neq; ea consequantur, quorum causa hæc suscipiunt, atque exercentur. Aduertẽdum autem si legatur, occiditis, loco, inuidetis, id est, φονεῖτε pro φθονεῖτε, sicut in multis exemplaribus videre licet: occisio hic, quemadmodum etiam bellum non carnaliter intelligentur: nimis enim graue id esset, si etiam de latronibus diceretur, nedũ de ijs qui fideles aliquãtum sunt, & ad Dominũ accesserunt. Vnde vt mihi quidem videtur, occidere hic dicet eos, qui suam ipsorum animam temerarijs his aggressionibus perimunt: quibus ẽt

aduersus pietatem bellum suscipiunt. Nam sicut progrediendo inferius adulteros & adulteras appellabit, non eos qui re vera huiusmodi sunt, sed qui diuinâ quæ recte se habent, mandata ad falsa alia & spuria declinando adulterant: quippe cum nemo, sit, etiã si porcis ipsis esset lutulẽtior, qui adulterum & meretricium magistrum toleraret. Sic & cædes & bella non corporis, sed animæ intelligenda sunt.

Petitis & non accipitis, quia male petitis: ut in uoluptatibus uestris impendatis.

Luc.18.c Sicut Pharisæus qui in Euãgelio Lucæ quanto plura ex recte factis suis commemorabat, tanto magis diuinas aures obturabat: vt vanus verborum tumor circa labra diflueret, & in spumã modo bullãtis vndæ resolueretur. Sed dicet quispiam, si Domini Iesu veri magistri vera promissio est, qui inquit, quicquid petierit aliquis, Mat.18.c Mar.11.c. Ioan.14.b accipiet: quo pacto hæc nũc dicit hic apostolus? Cui respondendum ita est, vt dicamus, eum qui recta ac conueniente via ad petendum accedit, promissionem ratam consequi, ac nulla re frustrari, quam petierit. si vero quis extra scopũ tra ditę petitionis excedẽs petere uideatur, eum cum non eo quo debet, modo petat, ne petere quidem esse existimãdum: atq; iccirco neq; esse acceptu rũ. Si. n. exẽpli causa, grãmaticus magister vnũ quemq; qui ad se adhibita diligentia accesserit, grãmaticam artem esse docturum polliceatur: & aliquis negligenter neque animo ad suscipiendã eã scientiã intento accedat: atq; ita recte quic

q̃ non

quam non assequatur: nunquid merito mendacẽ magistrum accusabimus? non sanè, si recte sapimus. quippe cum discipulus non ita ut monuerat magister, ad discendum accesserit. At enim diceret fortasse quispiam, quo modo, aut quid petendum est? ipsum eum qui promissionẽ hanc fecit, audi. Petite regnum Dei, & iustitiam eius. Mat.6.d Perspicuũ enim est, eum qui ita petierit, & hæc præcipue postularit, neque alijs postea frustratũ iri, quæ tamen si acceperit, salute ipsum non sint priuatura. nam qui noxia ac damnosa petit, nõ debet ea ab illo expectare, à quo omnis datio bona est. Qui item diuinam cognitionem, aut spi spirituale aliquod donum petit voluptatum potiendarum causa, accepturus minime est. male enim petit, & malum quod in perniciem suam tendit. Deus autem malum vllum non exhibet.

Adulteri & adulteræ non ne scitis amicitiam mũdi inimicitiam Dei esse? Quicunque esse mundi amicus uoluerit, Dei inimicus constituitur.

Quoniam supra arguit quosdam falsos sapiẽtes qui diuinam adulterabant scripturam & peruerse ea ad voluntatem suam utebãtur, vt ex ea voluptatibus deditæ vitæ suæ commoda consequerentur: id quod non aliũde eueniebat, quàm ex arrogantia & superbia: iccirco nunc grauius contra ipsos etiam inuehitur, & quod alienum à mansuetudine sua est, contumelijs, quoque verbis vtitur, dum adulteros & adulteras huiusmodi homines appellat, talibusque ferè opprobrijs insectatur: Dic mihi homo vane, nunquid

V

reddere te sapientem vis? sed cur cũ contentione & assiduo bello viuis? & præsentibus his rebus inhæres, & uoluptates præsentis vitæ ita auide sectaris? non est hoc sapientum hominũ, sed vulgarium, & ad amicitiam mundi declinantiũ. vt merito reconditæ & temperantis, & diuinæ pulchritudinis adulter esse videaris, cum ei vulgarẽ hanc & profanam & turpem anteponas: cumq; ex hoc erga præsentia & mũdana affectu aduersus Deum inimicitiam suscipias. an nescis amicitiam mundi à Dei amicitia alienum te facere, immo te inimicum Dei reddere? Mundum enim hic omnem materialem vitam appellat, quasi corruptionis matrem: quam qui cõsequi studet, inimicus Dei efficitur. ex studio enim quod inutilibus rebus adhibet, erga diuina negligenter et superbe se gerat, necesse est. negligenter autẽ nos gerere & insolenter erga eos tantum quos odio habemus, & inimicos consueuimus. Quocirca cũ duo sint ea circa quæ studẽt homines, Deus, & mundus: & in alterutro horum duo versentur, amor & odium: si alteri studium adhibeamus, alterum negligamus, necesse est. studiũ vero amorem, negligentia et contẽptus odium parit. Qui igitur diuinis rebus incũbit, amicus Dei & est, & dicitur. qui contrà Deum negligit, & rebus mundanis prorsus inhæret, is inter Dei inimicos habetur. Quoniam autem hæc atque huiusmodi mala ex arrogãtia & superbia magistrorum falsæ sapientiæ oriri demonstratum est, altera reprehensione eos corripit, vt ab ebrietate tandem resipiscant, et à sopore excitentur: atque inquit.

An putatis inaniter scripturam dicere ex inuidia? desiderat spiritum qui habitauit in uobis. & maiorem dat gratiam. 1. Petri. 5. b

Hic quoq; per defectum oratione vtitur, more suo ex concisi & breuitati verbi vsu. inquit enim, ego quidem meis verbis ad rectitudinem & synceritatem sapientiæ exhortor, ne ex insolentia ea abutentes doctrinæ sermonem adulteretis ac vitietis. Sed si ex scriptura hoc idem etiã quod ego dico, requiritis, audite. ipsa enim inquit: Dominus superbis aduersatur. non temere igitur dictum à me est: cõtemptum ex superbia doctrinæ Dei, & studium erga mundum, inimicitiam erga Deum esse. nam si Deus superbis aduersatur, aduersari autem inimicis cõsueuimus: superbi prorsus connumerandi inter inimicos Dei sunt. non enim inaniter & uane, vel ex inuidia scriptura præcepta quæ fieri non possunt, & supra vires nostras sunt, nobis tradit: sed desiderans, & inquirens eam quæ per exhortationem eius collocata in uobis habitat, gratiam: cum eã per spiritualem humiliationem operosam in uobis inuenerit, maiorem dat gratiam. Vnde si obedientes scripturę estis, humiliamini coràm Deo, & gratiam quæ per exaltationem eius fit, consequemini. Superbia autẽ quæ ὑπερηφανία dicitur, est elatio vitij vsq; ad summum: et differt ab existimatione, quam ὄιησιν vocant, in eo q; hæc ob ea quæ insunt sibi, extollitur: existimatio, ob ea quæ non insunt. E diametro superbiæ opposita humiliatio, magnum bonum est. Quoniam ve Rom. 9. 1. Pet. 5. b

ro vtraq; ex electione nostra nobis insunt, vnus quisque qui ex arrogantia se ipsum extollit, præter quàm quòd à Domino condemnatus est, ab ipso etiam humiliatur, exaltato per occasionem eo qui ex modestia se ipsum humiliauerat: vtpote cum præmia eius ad altitudinem spiritualem ea vterem deducat. Inquit igitur, an putatis inaniter scripturam dicere, aut ex inuidia neutrum horum est. sed desiderat & inquirit gratiam quæ per exhortationem eius in vobis inhabitat. Est autem similis figura per reticentiam negationis apud Iob, vbi inquit: Nunquid irritum facis iudicium meum? nunquid putas me non alioqui tibi responsum dedisse, quàm vt iustus apparearis? nam hic quoque negatio (non) simili modo silētio inuoluta est. Desiderat spiritū) spiritū hic bonū propositum vocat, quemadmodum etiam Dauid, vbi ait: spiritu principali confirma me, id est proposito principe, atque in perturbationes dominante: & item, spiritum rectum: id est propositum rectum.

Iob.4.a

Pſal.50.c

Ephe.4.f

Subiecti igitur estote Deo. resistite Diabolo, & fugiet à uobis. appropinquate Deo, & appropinquabit uobis. mundate manus peccatores, & purificate corda qui duplici animo estis. affligamini, & lugete, et flete. risus uester in luctum conuertatur & gaudiū in tristitiā. humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit uos.

1.Petri.5.d

Duplici animo homines, id est, δίψυχους & hic & superius eos appellat, qui non vno modo

viuere proposuerunt, sed agi hac atq; illac & circumferri in fortunæ alea solēt. non. n. vnū modū seruant in domo a Domino constituti. Nam animam, id est, ψυχὴν vitam significare, satis illud in Iob docere nos potest, cum ait: cutem pro cute, et omnia quæcunq; habet homo, pro anima sua dabit.

Iob.2.b

Ne detrahatis uobis mutuo fratres.

Cum videat superbiam ex contemptu & detractione modestorum homines in summum eorum vilipendium inducere: vt a detractione eos auocet, propositis monitionibus castigat, ac corrigit.

Rom.14.c

Qui fratri detrahit, & iudicat fratrem suū: detrahit legi, & iudicat legem. si autem legem iudicas, non es effector legis, sed iudex. unus est legislator, qui saluum facere, & perdere potest.

Iudicat: id est condemnat & contemnit: id est κρίνει pro κατακρίνει. qui enim damnat, ex contemptu id facit. quam legem autem condemnat? primum eam, quę ita præscribit: ne iudicetis, vt nō iudicemini. deinde eam quæ in psalmis inquit, detrahentem clàm proximo suo, hunc persequuti sunt. Quia autem ex contemptu hoc fit, ideo subiungit: si autem legem damnas, non es effector legis. quo modo enim sub eo viuere quispiā sustinet, quod contemnit? Sed ne ita nihili facias legem, & quasi alteram tibi ipse aduersam huic velis constituere: non enim tibi id permittitur.

Matth.7.a
Luc.6.f
Pſal.100.a

vnus solus legislator est Deus, qui eius trāsgressores potest & saluos facere & perdere. Huius si quidem legis & huius legislatoris est pœnæ obnoxios facere eos qui transgressi fuerint: nō tuū est, qui præterquā ꝙ nihil amplius potes quàm nugari, tibi ipsi etiam occurris, in tuamq; sententiam incidis. cum eadem enim facias, quę ille cui tu detrahis: dum ipsum iudicas, te ipsum quoq; multo prius eodem iudicio condemnas.

Rom.14.a *Tu quis es, qui iudicas alterum?*

Cum contemptu & vilipensione hoc dicitur? id est cum sis talis, quo modo iudicare similem tui audes?

Age nunc qui dicitis, hodie & cras eamus in hanc urbem, & faciamus illic annum tuum, et mercemur, & lucremur: qui ignoratis crastinæ diei cōditionem.

Non libertatem nostram tollit, sed ostendit non totum hoc nostrum esse, sed superna gratia quoque esse opus. licet enim nobis & certare, & currere, & mercari, & omnia quæ ad vitam spectant, operari, ita tamen vt non nostris laboribus ea, sed Dei benignitati ascribamus. Hieremias enim inquit, Domine non in homine via eius est. & puerbiorū auctor, Ne glorieris in crastinū. nā quid postera paritura dies sit, ignoras.

Hier.10.d

Pro.27.a

Qualis enim est uita uestra? uapor enim est qui ad paruum tempus apparet, & deinde euanescit.

Vanitatem & vilitatem vitæ nostræ osten-

dens hęc inquit, vt obiurget nos, qui totum studium nostrum in his insumamus. quid, inquit, in temporarijs his malis, quę simul atque extitere, euanescunt, labor vester totus versatur? Hoc etiam Dauid carpens, ita ait: in imagine pertransit homo, & vane turbatur: id est, in rebus quæ non sunt, sed eatenus subsistunt, quatenus apparent: id enim imago significat: vel in rebus quæ ex se substantiam nullam habent, nisi quatenus ad verę uitæ similitudinem & effigiem accedūt. Apte autem vapori vitam nostram comparat. uapor enim est aerea substātia quę a calore ignis ex humore elicitur, atque exhalat, breuissimo subsistens tempore: ob nimiam enim tenuitatem ab ambiente aere dissoluitur, cum in eum abeat, & dissipetur: quemadmodum etiā minima quęque humiditas in aquam absumi consueuit.

Psal.38.b

Pro eo ꝙ dicere deberetis, si Dominus uoluerit, et uiuamus, & faciamus hoc, aut illud. nūc uero gloriamini in arrogantijs uestris.

Similitudine illa vitæ per interpositionem interiecta, rursus redit nunc ad id de quo loquebatur, & consequutionem subiungit: est enim integer sensus huiusmodi. Age nunc qui dicitis, hodie & cras eamus in hanc vrbem, & faciamus illic annum vnum, & mercemur, & lucremur, pro eo ꝙ dicere deberetis: si Dominus voluerit, & viuamus, et faciamus hoc vel illud. nunc vero gloriamini in arrogantijs uestris. Hęc erat totius orationis consequutio: sed ipse interrupta continuitate, & inserta vitæ similitudine,

qua vanitatem nostram exprobraret, qua ex arrogantia circa mũdanas res distrahimur, postea quod defecerat, subiũgit. Ita enim erat dicendũ. Gloriamini in arrogantijs vestris. quinam? vos qui quod cras futurũ sit, ignoratis. qualis enim est vita vestra? vapor &c. Nam cum dixit, qualis est vita uestra? hac quasi per contemptum ob iurgatione similitudini vilitatem rei indicanti præparat occasionem: quæ accommodate postea subijcitur. Arrogãs aut & arrogantia: id est ἀλαζὼν, & ἀλαζονεία rerum quæ nõ sunt, affectatio est. vnde ẽt Græce dicitur ἀλαζὼν quasi μετὰ ἀλης ζὼν: id est cũ vagatiõe & errore viuẽs, hoc est cum re erronea, et quæ subsistentiam nullam habet, nullamq; stabilitatem.

Omnis gloriatio huiusmodi prava est. Qui sciuerit igitur bonum facere et nõ fecerit, peccatum ei est.

Vanam eam iactationem & gloriationem quæ ex superbia euenit, prauam esse concludit: vt si prava sit, ex prauo quoq; & maligno proficisci manifestum sit. non debent autẽ illi qui Domino per sanctum baptisma fuerint dicati, maligni seminationes aduertere. Cum vero postea subiungit, qui sciuerit igitur bonum facere &c. inquit, vt falsos hos magistros castiget. nũquid ea docere audes, quę non antea fuisti exequutus? Matth.5.c Beatus, enim inquit, non qui docuerit, sed qui fecerit & docuerit: quippe cum opera antecedere verbis debeant. vnde etiam, demonstratam fidẽ annunciat iustus. qui enim soluerit, inquit Dominus, vnum ex mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, ideſt sic inaniter ea in quibus ipse non laborarit, minimus vocabitur. magnus vero ille erit, qui vnà cum eo quod egerit, etiam docuerit. Nam ipse quoque Deus & homo ea quæ cœpit facere, etiam docebat. Idem mihi videtur sibi velle illud: qui gloriatur, in Domino glorietur: id est iuxta Dominũ glorietur. hoc est Domini exemplum sequutus, qui cum prius fecisset, postea docuit. Nam quando etiam Dauid inquit, in Domino laudabitur anima mea, non aliud quid dicit, ꝙ se quòd in Domini mandatis ambulet, laudatum iri. Matth.5.c Act.1.a 1.Cor.1.d Psal.33.a

De diuitum insolentia erga pauperes: de luxu ipsorum: de iusto iudicio Dei: de tolerantia & patientia calamitatum: de veritate: atque ibidem monitiones priuatim vnicuiq; conuenientes: ꝙ saluti proximi ministrandum sit. Cap. V.

AGE nunc diuites flete ululantes in afflictionibus uestris aduentantibus.

Auaritiam et tenacitatẽ diuitum luctum eorum cum putet, vlulare, id est, lugere & lamentari eos hortatur: eo ꝙ in perniciem & consumptionem diuitias suas recondant, & non in indigentes erogent & impendant. Is etenim solus diuitiarum sumptus, qui erga inopes fit, non perit: sed integer ei qui expendit, reseruatur. Propterea etiam concionator ita inquit: mitte panem tuum supra faciem aquæ: hoc est in eam quæ videtur esse eius consumptio, & dissolutio. Panis enim si in aquã proijcitur, licet dissolui cõsueuerit, non tamen interit: sed dissolutione illa recreationem nobis affert: si forte ad linguam inflam- Eccle. 11.a

ma cruciatam refrigerandam gutta aquæ indiguerimus.

Diuitiæ uestræ putruerunt: indumenta uestra a tineis corrosa sunt: aurum uestrum & argentum æruginem contraxit: & ærugo eorum in testimonium uobis erit, & comedent carnes uestras, sicut ignem thesaurizastis in extremis diebus. ecce merces operariorum qui messuerunt regiones uestras, quæ subtracta est a uobis, clamat: & clamor eorum qui messuerunt, in aures Domini Sabaoth ingressus est.

Diuitiæ uestræ, subintelligendum est, quas, vt sit tota sensus continuatio in hunc modum: Diuitię uestrę quas, sicut ignem thesaurizastis, comedent carnes uestras &c. putredo autē diuitiarū, & corrosio indumentorum a tineis, & ærugo auri & argenti contra vos testificabuntur, & auaritiam uestram arguent, q̄ nemini ea distribuere volueritis. iccirco, inquit, in extremis diebus, aduentus scilicet Domini, diuitias uestras sicut ignem in perniciem uestram reconditas & thesaurizatas reperietis: id quod diuiti in euangelio
Luc. 16.f etiam contigit.

Luxuriati estis in terra, & deliciati: nutriuistis corda uestra tanquàm in die occisionis.

Inuehitur cōtra Iudaicos principes, qui bona pauperum depascentes, & ex honoribus omniū pingue scentes ad occisionem et cædem sibi a Romanis inferendam præparabātur. maxime quia eum qui solus iustus erat, Dominum non contendentem neq; clamantem condemnarunt, & occiderunt. vnde inquit.

Condemnastis, occidistis Iustum. non aduersatur uobis.

Hoc profectò sine vlla dubitatione ad Christum refertur, qđ inquit, condemnastis, occidistis Iustum. Q_đ tamen infert, (non aduersatur vobis) aliįs etiam commune esse potest, qui idem a Iudæis passi sunt. Fortasse etiam prophetice suam ipsius passionem significat.

Tolerate igitur fratres usq; ad aduèntum Domini.

Cum Iudæorum principum luxum, et duritiā & asperitatem contra pauperes reprehenderit, ad fideles redit, atq; inquit: ne cum hæc videatis fratres scandalum patiamini, neq; consternemini animo, & desperetis, quasi vel nulla ipsis impendeat vindicta, vel si impendeat, nimium tardet. nō tardat enim, sed prope adest. Intelligit autem de Romana expeditione, & Iudæorum captiuitate: quam Domini aduentum vocat. quēadmodum Ioannes qui in pectus Domini recubuit, cum de sua vita loquitur, ita Dominum dicentem inducit: si ipsum volo manere donec ve- Ioan. 21.f
niam, quid ad te? Nam Ioanni vsq; ad Hierosolymorū captiuitatem, & paululum etiam vltra porrectum vitæ huius tempus est. Atq; aduentū Domini & hic & in Ioanne Hierosolymorum destructionem significare ex propheta manifestum est, qui dicit: ecce Dominus venit, & quis Mala. 3.a
diem ingressus eius sustinebit? Quin & Aureus

IOANNES in quadã explanatione ſua, vbi illud, (donec veniam) explicat: excidiũ Hieroſolymorum id oſtendere aſſerit. atque id ex oratione trium puerorum confirmat, qui dicebãt: Ita fiat coram te ſacrificium noſtrum hodie, & ad perficiendũ poſt te. quid enim, inquit, ſibi vult (poſt te?) niſi poſtea q̃ furor tuus acceſſerit? acceſſit autem eo tempore quo Hieroſolyma Nabuchodonoſor eſt depopulatus? Ac de aduentu quidem Domini hæc ſufficiant. Illud quoq; nonnulli ex patribus dicunt, tolerantiam, id eſt, μακροθυμίαν longanimitatem, quando iram & furorem differimus, intelligi inter nos ipſos mutuo. patientiã vero, id eſt, ὑπομονὴν quaſi ſuſtinentiam dicas, erga alios, & externos. tolerat enim & in longũ iram differt erga eos quiſpiam, quos vlciſci etiã poteſt: patitur ac ſuſtinet, quos vindicare nõ poteſt. atq; iccirco de Deo patientiam. i. ὑπομονὴν nunq̃ dici aiunt, ſed longanimitatem & tolerantiam: de hominibus vero patientiam. Dan.3.d

Ecce agricola expectat precioſum fructum terræ, tolerans ob ipſum, quoad pluuiam matutinam & veſpertinam acceperit. tolerate etiam uos. Stabilite corda ueſtra, propterea quòd aduentus Domini appropinquauit. Ne ingemiſcite contra uos mutuo fratres, ne condemnemini. ecce iudex ante fores aſtat. exemplũ malorum patientiæ fratres mei & tolerantiæ prophetas accipite, qui in nomine Domini ſunt loquuti. Ecce, eos qui ſuſtinent, beatos prædicamus. ſuſtinentiam & patientiam Iob audiuiſtis. & finem Domini uidiſtis, quòd miſericors Dominus eſt, & miſerator.

Matutina pluuia eſt in iuuentute cum lacrymis pœnitentia: veſpertina in ſenectute. omnia autem ex Dei benignitate dependent: propterea inquit, (quoad acceperit.)

Ante omnia autem fratres mei ne iuretis neq; per cœlum, neq; per terram, neq; alio aliquo iuramento. Mat.5.f

Sed dicet quiſpiam, ſi cogat aliquis iurare, quid faciendum eſt? reſpondendum, timorẽ Dei neceſſitate illius qui cogit, potentiorem eſſe debere. Veruntamen adhuc dubitare aliquis poſſet, cur cum lex eum qui per nomẽ Domini iuraret, Leui.19.c laude dignum exiſtimaret: gratia id omnino nõ facere iubeat? cui dubitationi illud obiicimus, q̃ lex vt Iudæos a iuramento per idola auocaret, iurare per Deum iuſſerit. quemadmodum etiam vt Deo ſacrificarent, præcepit, quo a ſacrificijs quæ dæmonibus offerebant, animos ipſorũ auerteret. poſtea q̃ vero ſatis ad pietatem eos inſtruxit, ſacrificia quoq; vt pote inutilia repudiauit, non amplius animalium imolationem, ſed animam contritam requirens: quæ videlicet per humiliationem igne charitatis crematur. cuiuſmodi erat Pauli anima, qui eo q̃ nonnulli fideles ſcandalum patiebantur, ſupra modum vrebatur. Pſal.50.d 2.Cor.11.g

Sit autem ueſtrum eſt, eſt: & non, non.

Id eſt veſtra affirmatio de ſtabili re ac certa, ſtabilis & certa ſit: & negatio de ijs quæ eſſe nõ

possunt.

Ne in hypocrisin incidatis.

Hypocrisin hic, pro κατακρισιν ponit, id est, pro condemnatione, quæ eos consequi solet qui temere iurant, & ex iurandi consuetudine in periurium delabuntur. Vel hypocrisis hic significatum suum obtinet, cum aliud est, & aliud apparet. Sed quo pacto qui iurat, in hypocrisin et simulationem potest incidere? cum videlicet ob iusiurãdum uerus esse creditus postea falsus esse deprehenditur: & cum (est) non profert de certa re: & cum (non) non dicit de eo quod esse & fieri non potuerit. Per Deum autem iurare prohibet, Matth. 5.f ne peieremus: per cœlum vero & alia, ne his Dei Hebr. 6.d honorem attribuamus: quippe cum omnes qui iurant, per maiorem se iurare consueuerint.

Afflictatur aliquis inter uos? oret. alacris est aliquis? psallat.

Afflictationi oratio adiungitur, vt leuior ei q tentatur, tẽtationum exitus efficiatur. deinde vero vbi per orationem sopita fuerint ea quæ nobis molestiam afferebant, & in propriam tranquillitatem & sedationem anima redierit, spallẽdum est, vt bona ei multiplicentur, et in spirituali exultatione lætetur. Hymnorum enim consolationes hilarem & alacrem animæ statum iuxta nostrum & magnum BASILIVM nobis conciliant. qui enim non ita est progressus, neq; ad talem animi sedationem peruenit, quam sanPsal. 29.a ctitatẽ Dauid appellat, vbi inquit: Psallite Do-

mino sancti eius: dum temere & vane psallit, prolixas nugas contexit: quemadmodum inquiunt qui prouerbia conscribunt.

Aegrotat aliquis inter uos? aduocet presbyteros ecclesiæ, & oret super ipsum, ubi unxerint eum oleo in nomine Domini. et oratio fidei saluum faciet ægrotantem: & excitabit ipsum Dominus. Et si peccata fecerit, remittentur ei. Confitemini uobis mutuo delicta: & precemini pro uobis mutuo, ut sanemini.

Cum oleò vnxeritis. hoc etiam quando Dominus inter homines adhuc versabatur Apostoli faciebant, dum vngerent oleo ægrotantes, & sanarent. Mar. 6.b

Multum ualet deprecatio iusti efficax effecta. 3. Reg. 17 *Helias homo erat similibus affectibus præditus, quibus nos: & oratione orauit ne plueret, & non pluit* a.b *supra terram annos tres & menses sex: & rursus ora* Luc. 4.d *uit, & cœlum pluuiam dedit, & terra produxit fructum suum.*

Deprecatio efficax effecta, id est, ἐνεργουμένη, quasi actuatam dixeris. Iusti autem oratio efficax efficitur, cum ille etiam pro quo fit, spirituali aliqua afflictatione & humiliatione oranti opitulatur. nam si alĩ pro nobis Deum deprecẽtur, & nos luxui, & delicijs dediti dissolute vitam traducamus, nos intentionẽ orationis eius qui p nobis laborat, resoluimus: & in nobis id contingit, quod beatus Petrus inquit: sus lota in volu- 2. Pet. 2.d

Eccl.34.d tabro cæni. & vnus ædificans, & vnus destruēs nihil aliud prodest, q̄ labores affert.

Mat.18.a *Fratres si aliquis inter uos a ueritate aberrauerit, & conuerterit ipsum quispiam, sciat eum qui cōuerterit peccatorem ab errore uiæ suæ, seruaturum animam à morte & multitudinem peccatorum occultaturum.*

Saluti proximi esse succurendum ac ministrā dum monet. Hoc etiam Hieremias ait: et si hono
Hier.15.d ratum ab indigno abduxeris, tāq̄ os meum eris. os enim Dei efficitur vnusquisq;, qui verba eius annunciat. Non enim vos, inquit, estis qui lo-
Mat.10.c quimini, sed spiritus patris mei, qui in vobis lo-
Mar.13.b quitur. Vnde etiam per Dauid peccatorem iusti-
Psal.49.c ficationes suas enarrare prohibet, & testamentū in os assumere.

Epistolæ Catholicæ Iacobi finis.

PETRI CATHOLICAE Epistolæ primę argumentum.

HANC Petrus ijs scribit, qui in dispsione erant Iudæi, & Christiani fuerant effecti. confirmat enim ipsos in fide. ac primum fidem in Christum, ac redemptionem nostram per sanguinem eius a prophetis fuisse prænunciatam ostendit, & omnia quæ & ipsis et gētibus prędicātur, in quæ cupiunt angeli prospicere.

cere. Deinde monens vt pro dignitate eius qui ipsos vocauit, vitam traducant, hortatur vt & reges honorent, & mulieres cum viris cōcordes sint. & nōnullis alijs ad mores spectātibus adiūctis, postremo hanc quoque prædicationem salutis & resurrectionis à Domino factam apud inferos fuisse, vt qui prius mortui sunt, resurgant, & iudicētur in corpore, & gratia resurrectionis permaneāt. Tum finem omnium appropinquare inquit, debereq; omnes paratos esse, vt rationem iudici reddāt. atq; ita epistolæ finem imponit. Roma scripta fuit.

Capita Petri Epistolæ primæ.

De regeneratione in Christo, & tentationum patientia, & salutari fide à prophetis prænuncia ta: de spe & sanctificatione. Cap.1.

De vita sicut conuenit adoptioni, in Christo traducenda ad vtilitatem etiam eorum qui sunt extra: ad gloriam Dei: de subiectione erga principes, & fraterno amore, & pietate erga Deum: de seruorum subiectione & tolerantia malorum ob Christum. Cap.2.

De obedientia mulierū & concordia erga viros in salutem in spiritu in modum Sarræ: de indulgentia virorum erga mulieres: de mansueta erga omnes tolerantia ac patientia, cuius figura est benignitas Dei in Noe, & in nos per baptismum Christi consensio. Cap.3

De prauarum actionũ depositione, & resumptione fructuum spiritus pro donorum differentia: quòd ex communicatione cum Christo naturales affectiões oportet superare, & spe in ipsum ab alijs illata damna sustinere. Cap. 4.

Monitio ad presbyteros de ꝓcuratione gregis: vbi de communi omnium erga vnũquemq; humilitate ad victoriam contra Diabolum consequendam. Cap. 5

PETRI EPITOLA CATHOLICA PRIMA.

De regeneratione in Christo, & tentationum patientia, & salutari fide a prophetis prænunciata: de spe & sanctificatione. Cap. I.

PETRVS APOSTOlus Iesu Christi electis peregrinis ex dispersione Galatiæ Pãti, Cappadociæ, Asiæ, et Bithyniæ, ex præcognitione Dei patris in sanctificatione spiritus in obedientiam, & aspersionem sanguinis Iesu Christi.

ORDO est: Petrus apostolus Iesu Christi ex præcognitione Dei patris in sanctificatione spiritus, in obedientiã & aspersionem sanguinis Iesu Christi: reliqua vero interposita eos indicãt ad quos epistola scribitur. Inquit autem Apostolus ex præcognitione Dei:

id est missus, vt ostendat se nihilo esse posteriorem nisi tempore prophetis, qui etiam ipsi fuerunt missi. Nam missos fuisse etiam prophetas, Esaias testatur, vbi ait, vt euangelizarem pauperibus, misit me. Quamuis autem tempore posterior sit, quantum tamen ad Dei præcognitionẽ spectat, posterior non est: sed in hoc æqualem se esse Hieremiæ ostendit, qui ante quàm formaretur in vtero, & cognitus est & sanctificatus, & propheta ad gentes constitutus est. Quoniam vero prophetæ vnà cum alijs Christi quoq; aduentum prænunciarunt, ob hoc enim missi fuerant: hic missionis suæ & apostolatus necessitatem adiungit: atque inquit, in sanctificatione spiritus se missum esse in obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu Christi. quibus verbis declarat modum apostolatus sui esse hũc, vt segreget gentes: hoc enim sanctificatio significat: vt ibi: & eritis mihi populus peculiaris sanctificatus: id est segregatus ab alijs gentibus. Modus igitur apostolatus eius est, vt per spiritualia dona gentes segreget cruci & passioni Christi obedientes, aspersas non cinere vitulæ, vt à gentili communitate & immunditia expurgentur, sed sanguine ex passione Christi. Simul etiam sanguinis mentione martyrium eorum qui in Christũ credũt, præsignat. Qui enim obedienter magistri vestigia sequitur, prorsus ipse etiam si opus fuerit, nõ abstinebit, quin propriũ sanguinem pro eo effundat, qui suum pro totius mũdi salute effudit. Scribit autem Apostolus hic ijs qui ex circuncisione erant, non secus ac beatus Iacobus: nisi q

Esa. 61. a

Hiere. 1. a

Exod 19. a

ille promiscue omnibus Iudæis qui in qualibet orbis terrarum parte habitabant: hic separatim illis tãtum qui erant his in regionibus quas enumerat. In Galatia Ponti) adiunxit (Ponti) propterea quòd altera est apud Gallos Galatia, quę proprie ita nuncupatur, à qua isti etiam qui hic sunt, transmigrarunt. Illis igitur qui in Galatia Ponti erant, & alijs gẽtibus quas in præscriptione nominat, vniuersalem hanc epistolam mittit. Melius tamen est, vt euidentioris declarationis causa transumptis, ac transmutatis dicendi formis, atq; ijs quę desunt, adiunctis, ordinate totã hanc sententiam exponamus. Petrus Apostolus Iesu Christi ex præcognitione Dei patris missus apostolus ad segregandos ipsi in spiritu, & obedientes reddendos eos qui aspersionẽ sanguinis Iesu Christi expiatricem admiserunt: vobis electis peregrinis ex dispersione Galatię põti, Cappadocię, Asiæ, & Bithyniæ gratia & pax multiplicet. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi: qui ob insuperabiles suas diuitias & misericordiam per resurrectionem Iesu Christi regenerauit nos: id est transmutauit & traduxit in spem viuentem, in hæreditatem incorruptibilem, & immaculatam, & immarcescibilẽ, repositam ijs qui in potestate custodiuntur per fidem, quæ quidem fides in salutem nobis in extremo hoc tẽpore reuelata est: quo tempore paululũ modo, breuis enim & exigua vita hæc præsens est, molestati, siquidẽ oportet vos varijs tentationibus molestari: exultatis & lætamini: illud cognoscentes vos tentari, vt probatio fidei

vestræ auro quod perit, & igne probaꝰ, multo precioſior reperiatur in laudem & honorem & gloriam vestram tunc, quãdo reuelabitur Iesus Christus: quem cum modo corporaliter non videritis, amatis: atq; in eum qui a uobis non videtur, credentes inexplicabili gaudio exultatis finem fidei vestræ recipientes, quæ est salus animarum: De qua quidem salute prophetæ etiam inuestigarunt, & inquisiuerunt. Cum vero inquit electis aduenis: id est παρεπιδήμοις, vel ob dispersionem eos peregrinos vocat, vel quia omnes qui secundum Deum viuunt, peregrini in terra appellari consueuerũt, quemadmodum etiam Dauid inquit, quoniam aduena ego apud te sum & peregrinus, sicut omnes patres mei. Nomen autem hoc παρεπίδημος quod est, aduena, non idem significat quod προσήλυτος: nã προσήλυτος, id est aduentitius, idem est quod ἐπίδημος & eum qui aliunde vltro aduenit, significat: παρεπίδημος vero eum qui obiter & præter propositum & nõ dedita opera aduenit. sicut enim opus, & uia principaliora quædam sunt: id est ἔργον, & ὁδός: πάρεργον uero, quod verbũ rẽ præter opus, & quę opus sequitur, & πάροδος quod aditum via adiacentem significat, quædam viliora sunt, & quæ posteriori loco habeantur: sic ἐπιδήμῳ: id est aduenæ proprie, παρεπίδημος peregrinus quasi res quędam assistens & agnata accedit. Pſal.38.c

Gratia uobis, & pax multiplicetur. 2.Cor.12

Gratia, propterea quòd gratis nos & nihil conferentes salui efficimur: pax, quia pace illis

opus est, qui dominum suum offenderunt, & in numerum hostium redacti sunt.

Ephe. 1. a

Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui ex multa sua misericordia regenerauit nos in spem uiuentem ex resurrectione Iesu Christi ex mortuis.

Benedicit Deum, hãc ipsi ob bona quæ dedit, gratiarum actionem reddens. Sed quæ sunt, quæ donauit Deus? spes, nõ eiusmodi, cuiusmodi erat ea quæ per Moysen data est, vt in terra Chananæa habitarent: ea enim mortalis cum esset spes, mortalia etiã mortalibus promittebat. sed hæc viuens est. sed vnde habet vitam? ex eo q̃ Iesus Christus ex mortuis resurrexit. cum enim resurrexerit, eadem resurrectione qui per fidem ad eũ accesserunt, dignos facit.

In hæreditatem incorruptibilem, & immaculatã, & immarcescibilem conseruatam in cœlis, ad uos qui in Dei potestate custodimini per fidem in salutem paratam ut in tempore extremo reueletur: in quo paululum modo, si oporteat, molestati in uarijs tentationibus, ut probatio uestræ fidei auro q̃d perit, & igne probatur, multo pretosior inueniatur.

Spes igitur viuens quæ datur, est hæreditas incorruptibilis & immaculata nõ in terra, vt quæ patribus reposita fuerat: & quam nonnulli post mille annos in terra futuram fabulose commenti sunt: sed in cœlis. Vnde & perpetuitas existit,

quæ omni terrestri hæreditate longe melior est. & præterea conseruatio, & custodia eorum qui credunt: propterea quòd etiam hoc Dominus precatus est, cum dixit: conserua ipsos pater sancte. vnde inquit (in Dei potestate & potẽtia) vsque videlicet ad Domini reuelationem. Si enim potenter non esset facta custodia, nõ eatenus porrecta fides esset. Quoniã igit̃ talia ac tãta sunt, quę dantur dona, nihil à probabilitate alienum est, quin exultatio, & lætitia postea subsequat̃. Sed quia magistri promissio non lętitiã, sed dolorem videtur polliceri, dum inquit, afflictationem habebitis: ideo ait (in quo paululum molestati) & quia hoc graue erat, statim subiunxit, (modo) vt concors cum magistro suo sententia euadat. nam ille, in mũdo, inquit, afflictationem habebitis, sed dolor tũ vester in gaudiũ euadet. vel igitur (modo) posuit vt ad exultationem & lætitiam referatur, quæ modo paululũ incipiẽs, in futuro non paululum & breui tempore duratura sit, sed in longum & infinitum processura. Vel (paululum modo) cum sequentibus construẽdum est, hoc pacto: si oporteat, paululum modo molestati in varijs tentationibus. Quia vero tẽtationum nomen animum turbat auditorum, ic circo causam earum subiungit. inferuntur enim ea causa, vt probatio vestra auro lucidior & pretiosior afficiatur: quippe cum aurum quoque ipsum, licet sit ex rebus quæ caducæ sunt & pereunt, si igne purgetur & defecetur, preciosius apud homines esse consueuit. Dixit (si oporteat) propterea quòd neque omnes iusti, neque omnes

Ioan. 17. b

Ioan. 16. g

Ioan 16. a

peccatores afflictionibus tentantur. immo neq; prosperitate fortunæ aut illi, aut hi semper vtuntur. sed iusti cum affliguntur, ad incremẽtum coronæ patiuntur: peccatores, vt peccatorum pœnam luant. Quin neque omnes iusti affliguntur: ne vitiũ quispiam laudabile esse existimet, & virtutem odio prosequatur. neque omnes peccatores miseriis afficiuntur: ne si retributionem omnium quæ quis meretur, hic fieri videamus, de resurrectione dubitemus. Ordo igitur horum verborum est: paululũ modo molestati, si oporteat: id est si modo molestia & dolore affici opus sit: quippe cũ non omnes, vt diximus, sancti afflictiones patiãtur: in extremo tempore exultabitis. nam quod inquit (exultatis) pro futuro sumptum videtur. Tametsi potest de præsenti tempore, sicut est, etiam intelligi: quemadmodum inferius explicabitur.

In laudem & honorem & gloriam in reuelatione Iesu Christi, quem cum non uideritis, amatis: in quem modo non uidentes, sed credẽtes, exultatis gaudio inexplicabili & glorificato, recipientes finem fidei uestræ, salutem animarum.

Causam cur hic affligantur iusti, ostendit: simulq; ipsos & consolatur, dum clariores ex calamitatibus futuros esse ipsos asserit: & studiosiores feruentioresq; efficit, dum addit (in reuelatione Iesu Christi) eo q; tempus illud laborum ostẽtatione & manifestatione multam gloriam illis qui decertarint, allaturum sit. Quoddam quo-

que aliud adiungit, quod ad sustinendas afflictationes eos incitat. quid illud est? quod infert, quem cum non videritis, amatis modo. si enim oculis carnis ipsum non intuiti ex sola auditione amatis: considerate, inquit, quantum amorem vbi eum videritis, præ uobis feretis, præsertim cum in gloria vobis reuelabitur. Si enim passio eius ita vos attraxit: quando vobis in splendore insuperabili apparebit, quem in modum animũ vestrum affecturus est? quo tempore etiam præmium, id est salutẽ animarum vobis exhibebit. vt igitur tali ipsi occurratis talem gloriam consequuturi, æquiparabilem huic tolerantiam præstate.

De qua salute inquisiuerunt, et scrutati sunt prophetæ, qui de gratia in uos prophetarunt, inuestigantes in quod, aut quale tẽpus manifestabat qui in ipsis erat Christi spiritus, protestans & passiones Christi, & quæ postea subsequutæ sunt, glorias. quibus reuelatum est, ipsos non sibi, sed uobis ministrare ea quæ annunciata uobis sunt.

Quoniam de animæ salute mentionem fecerat, quæ obscura, & noua quędam res audientibus videtur: prophetas adducit, qui & inquisiuerunt, & scrutati de ipsa antea sunt. Inquisiuerũt enim, sicut Daniel de futuris rebus, qui propterea vir cupiditatũ ab angelo qui ei oracula edebat, vocatus est. Inquisiuerunt inq̃, in quod tempus, quod scilicet in consummatione seculi erat futurum: vel in quale, cum ex varijs captiuitati- Dan. 9.

bus Iudæis ad promiſcuum Dei cultum declinã-
tibus, idonei homines ad ſuſcipiendum Chriſti
myſterium euaſerunt. Aduerte autem cũ inquit,
Chriſti ſpiritum, Deum Chriſtum oſtendere, ac
trinitatis myſterium ſignificare: filij enim &
ſpiritus ſancti perſonã exprimit. cũ vero inferius
(de cœlo) ſubdit, patrem indicat. Spiritus autem
Eſa.53.c paſſiones Chriſti manifeſtabat, cum per Eſaiam
dicebat: ſicut ouis ad mactationẽ ductus eſt. et ꝙ
Hier.11.d Hieremiam: Accedite, et inĳciamus lignũ in pa-
nem eius. Reſurrectionem vero & gloriam per
Oſee.6.a Oſee: Die tertio reſurgemus, & viuemus coràm
ipſo, & perſequemur, vt Dominum cognoſca-
mus, tanc̃ꝫ diluculum paratum ipſum inueniе-
mus. Reuelata autem hæc ſunt, inquit, ipſis pro-
phetis non propter ipſos, ſed propter uos. atque
hic his verbis duo efficit: cum & prophetarum
prouidentiam manifeſtet, & eos qui ad fidem
Chriſti vocati ſunt, ante mundi conſtitutionem
Deo fuiſſe prægnitos oſtendat. Prouidentia
enim huiuſmodi prophetarũ eos inducit, ne ino-
bedientes ſint ĳs quæ prophetæ ita prouide pro
ipſis inquiſiuerunt: propterea ꝙ necꝫ filij mode-
ſti contemnere paternos labores ſoleant. nam ſi
ipſi cum nullam vtilitatem inde eſſent conſequi
turi, hæc inquiſiuerunt & inuenerunt: atꝙ inuen
ta libris tradiderunt, vt quaſi hæreditas quędam
ad nos tranſmitteretur: non ſanè iuſte nos gere-
mus, ſi hęc neglexerimus. Iccirco necꝫ nos debe
tis qui vobis hęc euangelizauimus, contemnere,
atꝙ ita noſtram vanam reddere euangelij prædi
cationem. Atꝙ ex prophetarum quidem proui-

dentia ad hoc ipſos incitat. Ex eo vero ꝙ præco
gniti a Deo fuerũt, eos deterret, ne indignos Dei
prægnitione, & vocatione ſe reddãt: ſed ſum-
mo ſtudio niti ac certare, vt dono hoc Dei digni
efficiantur.

*Per eos qui euangelizarunt uobis in ſpiritu ſan-
cto miſſo de cœlo: in quæ proſpicere angeli cupiunt.*

Si & ipſi & prophetę eodem ſpiritu, illi pro-
phetiam, hi euangelium exequuti ſunt, nulla in-
ter ipſos & prophetas eſſe differẽtia debet. opor
tet igitur, inquit, vt idem ſtudium his adhibea-
tis, quod & illi qui prophetis audientes fuerunt.
ne ſi aliter feceritis, pœnæ illorum obnoxĳ ſitis,
qui prophetis non obediuerunt. Q d' vero ait
(in ſpiritu ſancto miſſo de cœlo) de eo intelligit,
qd' die pentecoſtes contigit: de cœlo autem, non
ad locum referendum eſt, ſed ad pręcipuam Dei
excellentiã: &, vt ſuperius diximus, hoc inquit,
vt patrẽ ſignificet. Q d' vero ſubiungit (in quæ
proſpicere angeli cupiunt) id eſt, quæ etiam an-
geli cupiunt: & quorum cognitionem & euentũ
videre angeli quoꝫ ipſi cupierunt. vnde cum ea
fierent, ex lætitia cecinerunt, gloria in altiſſimis
Deo. Luc.2.b

*Iccirco ſuccinctі lumbos mentis ueſtræ ſobrij per-
fecte, ſperate in eam quæ uobis fertur gratiam in reue
latione Ieſu Chriſti, tanquàm filij obedientiæ, non
conformãtes uos prioribus ueſtris, dum eratis in igno
rantia, cupiditatibus: ſed quemadmodum ille qui uoca*

uit uos, sanctus, sic et uos ipsi sancti in omni cõuersatione efficiamini. propterea q; scriptum est: sancti estote, quoniam ego sanctus sum.

Leu. 11. g. 19.2.20.b Deu.10.d

Ex antedictorum causa adhortatio hęc fit. nã cum dixerit prophetas ministrasse ipsis ea quæ ad salutem ipsorum spectabant, atque ea fuisse adeo admirabilia, vt angelis etiam essent appetenda: q; fuerint angelis appetenda, ex eo ostenderit, q; ex lætitia in natali Christi carmen illud, gloria in altissimis Deo, cecinerint: nũc causam horum subiungit, atq; inquit: Quoniam quæ administrata vobis omnibus sunt, & amanda et summopere appetenda non solum hominibus, verum etiam angelis fuerũt: propterea neq; vos negligenter vos gerere debetis, sed intendere animum vestrum, & fortiter incumbere: id enim lumbos succingere significat: id qd' & Iob facere a Deo iubetur. quos vero lumbos ostendit, dũ inquit, lumbos mentis. Succincti igitur lumbos mentis vestræ sobrij perfecte, inquit, sperate in eam quæ vobis fertur, gratiam, seu lętitiam: nõnulla enim exemplaria χάριν, id est, gratiam, alia χαρὰν, id est, lætitiam & gaudium habent. intelligit autem de gratia, seu lętitia, quam paulo ante in secundo Domini aduentu euenturam esse dixit. Non dixit autem sobrij tantummodo, sed sobrij perfecte, propterea q; lex exilem quãdam & introductricem sobrietatẽ afferebat, quę imperfectis tantum erat accommodata. Conformationem autem vocat consensionem, qua quis rebus præsentibus sese addicit: His igitur vanitatibus repudiatis, siue cognoscendo, siue ignorãdo ipsis detinebamini, nunc saltem, inquit, ad eius similitudinem qui vos vocauit, qui sanctus est, sancti etiam vos efficiamini.

Luc.2.b

Iob.38.a; 40.a

Et si patrem inuocatis eum qui absq; personarum acceptione iudicat secũdũ uniuscuiusq; opus; in timore uestri incolatus tẽpus cõuersemini, scientes, uos nõ corruptibilibus argento uel auro e uana uestra conuersatione a patribus tradita redemptos fuisse, sed sanguine tanquàm agni immaculati & incontaminati Christi.

Rom.2.b Gal.2.d. 1.Co r.6.d & 7.d Heb.9.d 1.Ioan.1.c Apoc.1.b

Cum multis modis exhortationem fecerit, primum ex eo q; angeli quoq; ipsa hæc cupiũt: deinde ex scriptura quæ inquit, sancti estote &c. postea ex necessitate: nam si Deum patrem inuocãt, necesse est eos qui adoptari in filios cupiũt, dignos patre se præstare: postremo ex eo q; innumerabilia bona ex precio quod pro ipsis solutũ est, fuerunt consequuti. qd' quidem preciũ Christi sanguis est, qui pro eorum qui se per peccatũ maligno vendiderunt, redemptione est datus: iubet, vt in timore per totum vitæ tempus versentur: nõ eo quidem initiatorio: is enim secum pœnam adiunctam habet: sed perficiente. Timor enim perfectos sanctos semper comitatur, ne in aliquo deficiant, ex ijs quę a perfectis præstari debent, de quo quidem perficiente timore ita dictum a beato Dauid est: timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est defectio timentibus eum. Cõsiderandum autem est, cum dictũ

Psal.33.b

Ioan.5.d

Ioan.5.e

a Christo sit (pater non iudicat quenq̃, sed iudicium tradidit filio:) quo modo nunc Petrus patrem iudicare dicat. dicendum est, quoniam illud quoq; dixit Christus (non potest filius quicquã facere, nisi patrem facientem viderit:) id eandẽ naturam sanctæ trinitatis significare, & diuinitatis operationes non esse distinctas, quæ in personis quatenus deitatem habent, considerãtur, sed easdem omnes: vt conspiratio & consensio pacifica & tranquilla in omnibus sit. atq; iccirco indistincte patrem hic quoque iudicare dixisse, eo q; quicquid ab vna ex tribus personis, quod ad deitatem spectat, fieri dicitur, id cõmuniter omnibus conueniat. præsertim cum ipse etiam Dominus sæpe Apostolos filios vocet, & resoluto illi homini dixerit, fili remittunt tibi peccata tua: & sanguinis fluorem patienti mulieri, filia fides tua saluam te fecit: nihil absurdi esse ostẽdens, si ipse quoq; eorum quos sanctitatis participatiõe progenuit, patrem se vocet:

Mat.5.f
Mat.9.a
Mat.9.c
Luc.8.g

Qui præcognitus quidem ante mundi conditionem fuit, sed in extremis temporibus manifestatus propter uos qui per ipsum creditis in Deum, qui excitauit ipsum a mortuis, et gloriam ipsi dedit, ut fides uestra & spes in Deum sit, animas uestras purificantes in obedientia ueritatis per spiritum.

Christi morti resurrectionem quoque connexuit, propterea quòd veretur, ne recentes in fide si passionis tantũ Christi opprobria audiuerint, ad incredulitatem mutari facile queant. Ostẽdit

præterea non nouum ac recens esse Christi mysterium, id quod stultorum etiã animos turbat, sed antiquum, et ante quàm mũdus conderetur: licet Dei prouidentia opportuno tempori fuerit reseruatum, & antea prophetis indicatum qui de his inquisiuerunt, vt paulo superius dixit, & nunc apertius manifestatum. Quoniam, ante q̃ mundus conderetur, cognitum Deo videlicet fuerat, nunc manifestatum est, id est perfectum, & absolutum. & ob quos fuerit consummatum, adiungit, cum inquit, propter vos. propter vos enim, inquit, ipsum a mortuis excitauit Deus. Sed cur propter vos? vt vos ipsos purificantes in obedientia veritatis per spiritum fidem vestrã & spem in Deum habeatis. Sed cur purificãtes? Quoniam qui ei credidistis, qui per resurrectionem ex mortuis incorruptibilem vitam vobis auspicatus est: debetis etiam vos, quemadmodũ ille qui vos vocauit, incorruptibilis est, ita in nouitate vitæ ambulare. Cæterum ne turberis, si & hũc & Paulum patrem suscitasse a mortuis Dominum asserere videas. imperfectiore enim & magis ad introductionem idonea doctrina vsi, id dicunt. Nam Christum se ipsum suscitasse, cognoscere ex ijs euidenter potes, quæ in hunc modum ipse inquit: Dissoluite templum hoc, & tribus diebus suscitabo ipsum. Quin & Lucas, quibus, inquit, etiam manifestauit se ipsum viuentem, postea quàm passus fuit. Et item Christus ipse: potestatem habeo deponendi animam meam, & potestatem habeo eam iterum sumendi. Ea dispensatiõe igitur resurrectionem filij pa

Ioan.2.d

Act.1.a

Ioan.10.c

tri interdum attribuunt, vt vnam & patris & filij operationem significent. Ordo autem horum verborum talis est: Qui præcognitus quidem ante mundi conditionem fuit, in extremis vero temporibus manifestatus propter vos qui creditis in Deum qui excitauit ipsum a mortuis, & dedit ipsi gloriam, ea causa vt purificantes animas vestras in obedientia veritatis fidē vestrā et spem in Deum habeatis. nam particula (vt) qua hic vtitur, cum inquit (vt fides vestra) 'est, ὥστε, quæ non causam, sed euentum significat: quæ im proprie posita hic est pro, ἵνα, quæ est causalis. posuit etiam εἶναι: id est sit, pro ἔχητε: id est habeatis. hoc est ἵνα ἔχητε: vt habeatis. Alioquin enim barbara & inconnexa constructio esset: quippe cum (ἡγνικότες): id est purificātes, nihil habeat ad quod referri possit, nisi huiusmodi transmutatio intelligatur. Sic enim tota loquutio apte consentiet, ἵνα τὴν πίστιν ὑμῶν καὶ ἐλπίδα ἔχητε εἰς θεὸν ἡγνικότες τὰς ψυχὰς ὑμῶν, &c. i. vt fidē vestrā & spē habeatis in Deum purificantes animas vestras: id est præparantes vos ipsos ad obedientiam veritatis per spiritum. nam est etiam obedientia in prauis & falsis rebus, quæ per spiritum non est, id est non est spiritualis.

In amorem fraternitatis non simulatum, ex puro corde uos mutuo diligite intente, regenerati non ex satione corruptibili, sed incorruptibili per uerbum uiuentis Dei & manentis in æternum.

Quoniam purificatio in obedientiam, id est præparatio

præparatio, seu exercitatio, seu meditatio multos etiam alios adiutores & cooperatores solet conciliare, si spiritualis & carens inuidia futura est: id autem amoris fraternitatis opus est, vt bonum quod inuentum fuerit, cuipiam alteri, & proximo participemus: iccirco subdit in amorē fraternitatis non dissimulatum. posuit autem id inconnexa quadam constructione. Huiusmodi enim beatorum apostolorum loquutio esse consueuit. sicut apud beatum Iacobū. Quis sapiēs inter uos & scius: &, Age nunc qui dicitis hodie & cras. & multa alia id genus. Spirituales autē homines summo studio niti, vt inuenta bona inter se mutuo cōmunicent, ex ijs cognoscere poteris, quæ alibi dicuntur: Animaduertamus nos mutuo in iritationem charitatis, hoc est incitationem & prouocationem.

Iacob. 3. c
Iacob. 4. d
Heb. 10. d

Propterea quòd omnis caro sicut fœnum, et omnis gloria hominis sicut flos fœni. exiccatum est fœnum, & flos excidit. Verbum autem Domini manet in æternum. id autem est uerbum, quod ad uos euangelizatum est.

Esa. 40. b
Eccle 14. c
Iacob. 1. b

Cum dixerit regenerati ex semine non corruptibili, sed incorruptibili per verbum viuentis Dei, &c. subiungit cum contemptu quàm caduca & fragilis humana gloria sit, quàmque, vt ita dicam, insubsistens: vt hoc modo ad sequēda ea quæ proposuit, auditores alliciat: quippe cum illa stabilitatem in se habeant, & perpetuitatem, nostra hæc prius fere corrumpantur, quàm sint.

Fœnum & florem fœni quæ caduca admodum
sunt, ad confirmationẽ huiusce rei adducit. Q ui
Psal.101.c bus etiã Dauid nostram vitam comparat. Atq;
ita vbi gloriam nostram vilem ita & fragilem
ostendit, rursus apertius ipsos docet, quid sit id
quod ipsos per verbum viuentis Dei, & manen
tis in æternum, regenerauit. atque inquit, verbũ
quod euangelizatum est ad vos. Q uod vero ait
in æternum manere verbum Domini, conuenit
cum eo quod in Euãgelio ipse Dominus inquit:
Mat.24.c Mar.13.d Luc.21.g cœlum & terra præteribunt: verba autem mea
non transibunt. Sciendum autem ita esse con
struenda hæc verba: ex puro corde vos mutuo di
ligite intente in amorem fraternitatis non simu
latum. euentus enim rerum res quæ ob ipsos agũ
tur, consequi cõsueuerũt. Vnde quia ex dilectio
ne quæ puro corde fit, nõ simulatus fraternitatis
amor consequitur, melius est (vt) ex puro corde,
anteponatur. Aduertendum etiã (in) præpositio
nem pro (propter) esse positam, vt sit, propter
amorem fraternitatis.

De vita sicut conuenit adoptioni, in Christo traducẽda ad uil
litatem etiam eorum qui sunt extra, ad gloriam Dei: de
subiectione erga principes, & fraterno amore, &
pietate erga Deum: de seruorũ subiectione, &
tolerantia malorum ob Christũ. Cap. II.

Rom.6.a Eph.4.a Coloss.3.b Hebr.12.a *DEposita igitur omni malitia, et oĩ dolo, et si
mulationibus, et inuidijs, et oĩbus detractioni
bus, tãquã modo geniti infantes rationale dolo oĩ ca
rens lac desiderate, ut in ipso augeamini: si quidẽ gu
stastis, quàm benignus sit Dominus. Ad quem acceden*

*tes lapidem uiuentem, ab hominibus quidem reproba
tum, sed apud Deum electum, precioſum, & uos ipſi
tanquam lapides uiuentes ædificemini, domus ſpiritua
lis, ſacerdotium ſanctum, ad ſpiritualia ſacrificia offe
renda accepta Deo per Ieſum Chriſtum. Vnde etiam
continet in ſcriptura. Ecce pono in Sion lapidem an
gularem electum, precioſum, & qui credit in ipſum,* Esa.28.d Rom.9.g *non erubeſcet.*

Cum spiritualis regenerationis excellentiam
præ hac carnali ostenderit, humanq; gloriæ vi
litatem declararit: q; generatio hæc corruptibi
lis sit & caduca, gloria vero eius à vernis flori
bus nihil differat: verbum vero Domini non ita
se habere, sed cum humana omnis cogitatio cito
deficiat & cesset, Domini verbum in æternũ du
rare, vt certæ eius promissiones sint. id enim si
gnificat, cum subiunxit, quod ad vos euangeli
zatum est. Cum igit hæc superius proposuerit,
deinceps ex vnoquoq; quod vtile est, accipiẽs,
& quod ad rem conferre videatur, moralis ser
monis doctrinam aggreditur, atq; inquit: Depo
sita igit omni malitia &c. Iustũ enim nõ est, vt
qui incorruptibili vita regenerati sunt, malitiæ
laqueis inuoluant, & quod nõ est, ei qd est, ante
ponãt. quippe cum malũ substantia non sit, sed
circadefectum generabilis & mortalis substan
tiæ versetur: & longe a subsistẽte vita diuersum
sit, cum tantummodo accidat. Iidem et à dolo,
inquit, & simulatione, & inuidia, & omni detra
ctione liberi esse debent, nam dolus & simulatio

pcul à veritate est, & à verbo quod vobis fuit euangelizatum: quippe cum etiam dolus in perniciem eorum tendat, qui decipiuntur: & simulatio diuersum quid ab eo quod est, fingat: quorum contrario modo salutare verbum quod vos instituit, progredi videtur. Inuidia vero et detractio quem locum in vobis habere poterit, qui firmo fraterni amoris vinculo constricti, à nulla re quæ dissidium inducat, offendi potestis? Inuidiã autem & detractionẽ dissidiũ & odiũ fraterni esGen.4.a.b se causam ignorat nemo, qui Cain, & tragœdiã eius cognouerit. ille enim ob inuidiam à fraterna diuulsus coniunctione dolum & simulationẽ & cædem aggressus est. nam qui inuidet, à detractione liber non est. id quod in fratribus Ioseph Gene. 37. b,c. conspici manifeste potest, qui innumerabilia cõtra eum obtrectando patri retulerunt. Propterea inquit, ab his omnibus purgati tanquam modo Matt. 18.a Matt. 19.b geniti infantes, accedite. quippe cum horum esse regnum cœlorum Dominus etiam dixerit: & dolo carente ratione seu sermone nutriti crescatis in Ephe. 4.c mensuram ætatis complementi Christi. Nam cũ gustaueritis: id est per tractationem & exercitationem sacrorum euangelicorum mandatorum progressi doctrinæ benignitatem sensu cognouerítis. sensus enim omni ratione esse euidentior ad cognitionem solet. vnde etiam quod in experientiam prodit, gratius contingit, quàm quod ratione tantum percipitur. cum igitur, inquit, Domini benignitatem gustaueritis, ipsi quoq; vos benignitatis bonum erga alios exercentes, & lapidi viuenti vos ipsos dicantes summi anguli, qui

reprobatus quidem ab hominibus fuit, sed apud Deum precíosus, & electus habitus est, & à prophetis quoque prænunciatus, inter vos ipsos coarctemini per charitatẽ vniti et coagmẽtati in spiritualis domus complementum, cõtemptus & neglectionis hominum nulla cura habita: id quod etiam summi anguli lapis Christus ab his reprobatus fecit. Coniuncti itaq; & in domum spiritualem coaptati, & sacerdotium sanctum effecti hostias spirituales offerte quę sacrificijs irratiõalibus lõge magis Deo acceptę sunt. ne enim putetis eos qui vinculo inter se charitatis connexi non fuerint, immaculatas Deo hostias offerre. inquit enim, volo ergo vt viri orẽt 1.Tim.2.b sanctas manus tollentes absq; ira & disceptationibus. quo pacto enim orãs aliquis vnire se Deo poterit, si ira & disceptationibus prauis à fratre sese alienet, atque auellat.

Vobis igitur qui creditis, honor: ijs uero qui non credunt, lapidem quem reprobauerunt ædificantes, is in caput anguli euasit: & lapis offensionis, & petra scandali: qui offendunt in uerbum hoc, non credentes in quod etiam positi sunt. Psal.117.d Matt. 21.d Act.4.b. Esa.8.c.

Vobis profectò qui creditis, honor à Deo, exhibetur, qui dixit, ecce pono in Sion lapidẽ &c. nam in eos qui non credunt, inquit Deus, vobis pono in Sion lapidẽ offensionis: qui quidẽ et petra scandali & lapis offensionis illis est, qui non credunt, qui offendũt & impingunt in verbum, dum nõ credunt verbo, in quod etiã positi sunt.

vt integer sensus talis euadat. Ecce pono in Sion lapidem summi anguli precio sum, electum. & qui credit in ipsum, non erubescet: qui quidem credentibus vobis precio sus est: non credentibus offensionis lapis efficitur: quem reprobauerunt quidem ædificantes, ipse autem in caput anguli euasit, inter sese credentes connectēs. Est vero lapis offensionis ijs qui offendunt, & impingunt in verbum Euāgelij, dum ei nō credunt: in quod & positi sunt. non quòd à Deo in hoc segregati fuerint: nulla enim causa perditionis ab eo exhibeat, qui omnes homines fieri saluos vult: sed quòd ipsi se ipsos iræ vasa constituerint, ita vt incredulitas subsequuta sit, & in eo ordine & statu, in quem se ipsi præparauerant, positi fuerint. Nam si liberi arbitrij est homo, vt vim inferre voluntati eius non liceat: non merito conqueri quispiam potest, quòd eo statu à Deo fuerit dignatus, quem sibi suis operibus cōciliauit. Angularis autem lapis vocatur Christus: id est ἀκρογωνιαῖος: id est summi anguli lapis, eo quòd duos parietes qui paternam domum absoluunt, hoc est gentiles & Iudæos suo contactu connectit, & in unam iuncturam constringit, dum & inutiles horum immolationes tollit, & gentilium dæmoniacam superstitionem in pietatē traducit.

1.Tim.2.b
2.Tim.2.d

Vos uero genus electum, regale sacerdotium,
Exo. 19.d *gens sancta, populus in acquisitionem, ut uirtutes eius*
annuncietis, qui è tenebris uos in admirabilem suum
lumen uocauit. qui olim non populus, nunc uero po-
Osee. 2.d
Roma. 9.c *pulus Dei, olim non consequuti misericordiam, nunc*

consequuti misericordiam estis.

Vbi non credentium malignitatem reprehendit, quòd ipsi videlicet sibi ipsis incredulitatis causa extiterint: nunc ad laudandos eos transit, qui bene egerunt, & inquit: vos genus electum estis, regale sacerdotium: perinde ac si dicat: illi ob duritiam & incredulitatem in summi anguli lapidem impegerunt, et non fuerunt coædificati. Vos vero non ita: sed ex credulitate coædificati estis in regale sacerdotium, tanquam genus electum, & gens sancta. cęterum ne aut nimia laude ipsos resoluat, aut hæreditarie se gentem sanctam & cætera esse opinentur, & propterea quòd & genus Abrahæ sint, & nunquam offenderint, se eum honorem consequutos putent: eorum gloriationem huiusmodi reprimit: atq; ait: ne ob genus gloriemini. non enim ob Abraham in regale Sacerdotium fuistis electi. qui enim ex ipso progressi sunt, sacerdotiū a rege distinctum habuerunt. non estis igitur per Abraham gens sancta, & genus electum, & in regale sacerdotium segregati estis. nihil enim horum Abrahæ dictum est. Sed per Christum estis, qui & sacerdos iuxta ordinem Melchisedec, & rex mansuetus, iustus, & salutem afferens, & super pulum asinæ insedēs, appellatus est. Ex ipso igitur qui vtraq; hæc habuit, per sanctum baptisma regenerati, merito & genus electum appellamini, & regale sacerdotium. atque hanc lucem habetis ex misericordia ipsius qui e tenebris vos in admirabile suum lumen vocauit. ideo per vestra opera lucis alijs ho

Pſal. 109.a
Eſa. 62.d
Zach. 9.e

minibus virtutes eius enunciate. Atq; hoc ex be nignitate eius habetis: nam quantum ad vos atti net, estis populus, qui olim populus non eratis: & misericordiam estis consequuti, qui olim non
Osee.2.d eratis. Id quod ex Osee sumptum est, quo minus molestam exprobrationem faciat. Sed quo modo virtutes eius enunciant? Ipse Dominus do
Matth.5.b cet, cum inquit: ita luceat lux vestra coram hominibus, vt videant bona vestra opera, & patrē vestrum glorificent, qui in cœlis est. Cum vero inquit (populus in acquisitionem) significat in possessionem, & hæreditatem. Omnes enim κτίσμα, id est, creatura Dei sunt: κτῆμα vero, id est possessio, soli illi qui per bonam suam operationem dignati ea re fuerint. Propterea, inquit, electi fuistis, vt per obedientiam, & bona vestra opera præcones virtutis eius qui vos vocauit, dicamini.

Gala.5.c Rom.13.d *Dilecti hortor uos tanquam aduenas & peregrinos, ut a concupiscentijs carnalibus abstineatis, quæ aduersus animam militant, conuersationem uestram bonam inter gentes habentes: ut & in eo q̄ obloquūtur de uobis tanquam maleficis, ex honestis uestris operibus inspicientes Deum glorificent in die uisitationis.*

Ordo est: Dilecti hortor vos tanquàm aduenas et peregrinos in mundo hoc, vt abstineatis a carnalibus concupiscentijs, quæ aduersus animā vestram militāt. mos enim est magistris, vt post dogmaticam institutionem, moralem etiā subiūgant. id quod nunc etiam beatus hic facit. Appel

lat autem ipsos dilectos, hoc est, ἀγαπητούς quod est proprie diligibiles, amabiles, caros, & non ἀγαπωμένους, id quod proprie dilectos significat: propterea quòd in omnibus desiderabiles erant, & propter omnia amabiles. qui vero ob vnam aliquam rem amantur, dilecti, & non diligibiles vocari consueuerunt. Carnales autem cupiditates militare inquit aduersus animam: propterea quòd, vt inquit etiam beatus Paulus, caro con- Galat.5.c cupiscit aduersus spiritum: quippe cum carnis cupiditates circa fruitionem & voluptatem sensibilium rerum cum versentur, rationem nostrā & consilium conturbent: seruilemq; animam nostram efficiant. Hortor item vos, inquit, vt conuersationem vestram inter gentes bonam habeatis: nam (habentes) pro (habeatis) positum est. Obloquentes autem de nobis gentiles inducit, quod si quis cognoscere vult, ex ijs quæ IRENAEVS Lugdunensis Episcopus de Sancto & Blandina martyribus memorię tradidit, manifeste perspicere potest. Ea, vt breuibus referamus, eiusmodi sunt. Cum Gręci Christianorum prima institutione instructorum, quos catechumenos vocant, seruos comprehendissent, eosque cogerent, vt arcani aliquid de Christianis proderent: serui hi cū nescirent quid iucundi ipsis possent referre, quantum ab heris suis audiuerant, corpus scilicet & sanguinem Christi esse quod in sacra mensa sumeretur, id re vera ipsi carnem & sanguinem esse existimantes, inquirentibus euulgarunt. Ipsi vero id certo fieri a Christianis rati, in reliquos Græcos diffamarunt. et Sanctū

& Blandinam confiteri fidem tormentis coegerunt. quibus Blandina sumpta fiducia opportune dixit, quo pacto, inquiēs, facere hoc Christiani paterentur, qui ne concessis quidem carnibus exercitationis & continentiæ causa frui volunt? Diem visitationis, id est, ἐπισκοπῆς quasi inspectionis & explorationis dicas, examinationē & explorationem quæ in hoc mundo fit, vocat. Cum enim vitam nostram isti examinarint, & contrario modo res quàm opinati fuerant, esse inuenerint, fiet, vt & ipsi ex erubescentia corrigantur, & Deus glorificetur.

Roma.13.a *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Dominum: siue regi, utpote excellenti, siue præsidibus, utpote qui p ipsum mittūtur ad uindictam malificorum, & laudem benefaciētiū. propterea quòd ita est uoluntas Dei, ut benefaciēdo obstruatis os imprudentium hominum ignorantiæ.*

Humanam creaturam hic magistratus vocat, qui a regibus creantur: quin etiam ipsos reges, propterea q ipsi quoq; ab hominibus cōstituuntur. solet enim scriptura constitutionem & positionem creaturam etiam quandoq; appellare, vt
Ephe.2.d cum inquit: vt duos creet in vnum nouum hominem, id est, ponat, & constituat. Inquit igitur, subditi estote mundanis principibus, ac subditi quidem propter Dominum, id est, eo modo quo
Matt.22.c Dominus præcipit. Sed qd præcepit Dominus?
Marc.12.c Reddite quæ sunt Cęsaris, Cæsari, & quæ sunt
Luc.20.d Dei, Deo. vt si quid contra Dei institutionem

mandarint, obediendum eis non sit. Hoc enim prorsus & Dominus & eius discipulus præcipit ea causa, ne dicere Græci possint, Christianissimū subuersionem vitæ afferre, turbationisq; & confusionis causam esse. Adiunxit etiam (propter Dominum) fidelium causa: quippe cum verisimile sit, aliquos futuros qui dicerent, cum nos cœlorum regno dignos effeceris, magnamq; hāc dignitatem nobis attribueris, quid rursus ita viles reddis, vt nos principibus mūdanis esse subditos velis? Vnde siquis hæc dicat, sciat, inquit, is non meum esse hoc mandatum, sed Domini. præsertim cum ipse etiā Petrus quibus, & qualibus principibus subiici debeant, ostendat: qui iuste videlicet se gerunt. Infert præterea causam, Dei hanc esse voluntatem asserens: & nostram erga principes subiectionem, sicut indicium probitatis nostræ est, ita quoq; infideles in pudorem inducere. Cum enim de nobis quasi arrogantes & insolentes & inobedientes simus, obloquantur: si & humiles & obedientes in quibus oportet nos esse, videant, magis erubescunt, atq; obmutescunt.

Tanquam liberi, & non tanquam prætextum habentes malitiæ libertatē: sed tanquam serui Dei, omnes honorate: fraternitatem diligite. Rom.12.c

Hoc dependet a superiori hoc modo: subditi estote tanquam liberi, et non tanquam prętextū malitiæ habentes libertatem: sed etiam tanquam serui Dei, non solum principes, verum omnes

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoq; cęteros honorate, fraternitatem amantes, Deum timentes, regem honorantes. Quod autē inquit (tanquam liberi) Aureus IOANNES ita explanat: Ne dicant, inquit, liberati a mundo sumus ciues cœlestes effecti, & tu rursus principibus nos subijcis, & vt obediamus ipsis, hortaris? huius causa, ita obedite, inquit, tanquam liberi, id est, tanquam qui credideritis ei qui vos liberauit, & vt hoc faceretis, mandauit. ita enim non videbimini malitiæ animi, id est, contumaciæ et inobedientiæ prætextum habere libertatē, qua obedientiam recusatis. Possumus etiam alio modo hoc interpretari, vt dicamus, liberum esse in Domino, qui nulli turpi & inhonestæ rei seruit. cum simulatione enim viuere non est liberi hominis, sed perturbatiōibus obnoxij, id est, vel obsequio, vel voluptati alicui turpi seruientis. ob quæ id quod est, videri non vult, sed se illis accōmodat, quibus seruit. id quod planè absurdum, & a Dei seruis longe alienum est. Iubet igitur, vt subiectionem principibus veris & synceris moribus præ nobis feramus: & non infensum animum erga eos habentes coactam obedientiā eis præstemus: atq; ita huius latentis in nobis malitiæ synceritatem & simplicitatem morū prætextum faciamus: dum subiectionem eis apparētem quidem, sed non ex animo tamen eis exhibemus.

Deum timete: Regem honorate.

Vide quàm accurate Deo timorem, regi honorem attribuendum dicat. nam si Deus timendus est, qui perdere & animam et corpus potest, nullo modo parendum regibus est, si ad malum aliquod nos inducant: quippe cum timor erga Deum honorem in reges longe superet. Quin etiam qui a regibus cogitur, vt mali aliquid perpetret, honore omni ipsos prorsus priuabit, & cōtemnet: iuxta sanctum qui dixit, nihili factus est coram ipso qui maligne agit. Psal.14.b

Famuli subditi in omni timore heris, non solum bonis & mansuetis, sed etiam peruersis. hæc enim gratia est, si ob cōscientiam Dei molestias aliquis sustinet iniustè patiens. quæ enim est gloria, si peccantes & colaphis cæsi sustinebitis? sed si benefacientes et patientes sustinebitis. hæc enim est gratia apud Deum. ad hoc enim uocati estis. quia et Christus pro nobis passus est, uobis relinquès exemplum, ut sequamini uestigia eius, qui peccatum non fecit, neq; inuentus est dolus in ore eius. qui cum conuicijs afficeretur, non uicissim afficiebat: cum patiebatur, non minabatur. Ephe.6.a Coloss.3.d Tit.2.c 2.Cor.7.c Esa.53.c 1.Io.3.a

Timor multis modis dicitur, vno modo ille qui cum scientia existit, quem hic propter conscientiam nunc dicit, quę pietas & reuerentia etiam vocatur. est etiam timor affectuosus ex perpessione, qui ob pœnæ experimentum & sensum aliquibus accidit: quo bestię quoq; timere consueuerunt. Dicitur item timor incipiens & initiatorius, is qui eos consequitur qui ad Dominum accedunt, cum multorum sibi conscij fuerint, quę ad pœnam subeundam inducunt: quo terrefacta in euangelio meretrix ad Christum Luc.7.c

accessit. Est & timor perficiens seu perfectiuus qui semper sanctis omnibus adest: dum semper timent, ne in aliquo deficiant ex ijs quæ ad perfectam charitatem spectant. Cum tot modis sumatur timor, an per omnes modos timere proprios heros serui debeant, non negaret sanè hic, qui in omni timore subiectos esse heris seruos monet. nam & initiatorius & perfectiuus si adsit, optime eos afficiet: alter, vt caueant, ne ob peccatum in pœnam aliquam grauiorem incidant: alter, ne quicq̃ quod hero suo sit iniucũdum, agere ne in animum quidem inducant suum. Nunc tamen timorẽ propter conscientiam, id est, eum qui cum scientia rectæ rationis euenit, eum appellat, qui dum nihil peccant serui, a peruersis & prauis heris infertur. Hunc laude dignum esse inquit, & vt cum tolerantia admittatur, præcipit. Nam ob peccata vel commissa, vel cauta timere, ne quid mali patiantur, bonorum quidem etiam id seruorum est, & ad correctionem tendentium: nondũ tamen tantæ patientiæ est, vt nullius mali sibi conscius quispiam æquo animo afflictationes ferat. hoc siquidem magnum est: hoc a paucis præstatur: hoc Deo etiam est acceptum, quippe cũ passionibus Christi æmulum esse videatur. Nam ipse quoq;, vt inquit, non pro peccato proprio, peccatum enim nunquam commisit: sed pro nobis & peccatis nostris passus est. Ex impietatibus populi mei, id est, ob impietates populi ductus ad mortem est, inquit propheta. Laudabilẽ hunc timorem esse statuit: vult tamen nihilo minus, vt omnibus alijs timoribus instructi serui

Esa.53.c

sint, dum inquit, in omni timore. super omnes tamen alios hunc propter conscientiam collocat, & solum hunc laude dignum esse demonstrat: eo quòd alij ad dominorum iram deprecandam existant: hic nullam omnino huiusmodi causam habeat.

Sed tradebat ei qui iudicat iuste: qui peccata nostra ipse sustulit in corpore suo super lignum. Esa.53.b

Tradebat, inquit, Deo qui iuste iudicat: qui reddet videlicet unicuiq; secundum opera sua. id enim iustum est. Sed forte dicet quispiam, quo pacto inquit nunc Petrus Dominum cum conuicijs afficeretur, non conuiciatum contra fuisse, et cum pateretur, non fuisse minatum? cum tamen videamus ipsum & Iudæos canes mutos, & Pharisæos cæcos vocare: & Iudæ item minari, cum inquit, bonum erat ei si natus non fuisset homo ille: &, tolerabilius erit Sodomis, quàm ciuitati illi: &, vbi vermis ipsorum non desinit, & alia complura huiusmodi. Dicimus igitur, non asserere hic Petrum Christum conuiciatũ nõ fuisse, aut minatum non fuisse: sed cum conuicijs afficeretur, non fuisse contra conuiciatum, & cum pateretur, non minatum fuisse, quasi per contentionem & vindictam. Sed si quid modo est conuitiatus alicui, id increpando et exprobrando duritiam dixit. Nam cum conuicijs afficiebatur a Iudæis, dum dicerent dæmonium habes: &, in principe dæmoniorum dæmonia eijcis: & ecce homo vorax & potator vini; nunquid ipsis vi-

Rom.2.a
Esa.56.d
Mat.7.a
Mat.15.b
Mat.26.c
Mat.10.b
Mar.9.g
Ioan.7.c
Mat.12.b
Mat.11.c

cissim quicpiam contumelioſum per conuicium reſpondit? Non ſanè: ſed manſuete admodum illis dixit, ſi ego in Beelzebub dæmonia eĳcio, fiłĳ veſtri in quo eĳciunt? alĳs qui voracem & potatorem eum vocabant, parabolam eam puerorũ obiecit, qui in platea aduerſus colluſores ſuos indignabantur, qui cum tibia cecinissent ipſi, illi non ſaltaſſent: & cum luctum præcinuiſſent, nõ planxiſſent. cum vero cruci affigebatur, & patiebatur, magis orabat, quàm minabatur. et Iudæ ante quàm eum prodidiſſet, & ſcelus illud perpetraſſet, ne mali aliquid pateretur, minabatur, vt a prauo illo propoſito reprimeret. Simili modo eos qui non ſuſcepturi erant diſcipulos, peius quid paſſuros eſſe, quàm Sodomitas aſſeruit: partim, vt ad hoſpitalitatem ipſos incitaret: partim, vt terrore eo prædicationis euangelicę locum aperiret. ita vt hæc, minime dum male pateretur, minatus ſit: & veriſſima hæc Petri oratio de Domini tolerantia eſſe deprehendatur: qua inquit, nemini eum inſultanti & contumeliam inferenti contentioſe fuiſſe aduerſatum.

Mat.12.c Mar.11.b

Luc.23.e Mat.26.c Luc.22.b Mar.12.c Ioan.13.c Mat.10.b

Vt cum peccatis deceſſerimus, iuſtitiæ uiuamus: cuius uibice ipſius ſanati eſtis. eratis enim tanquam oues errantes: & conuerſi nunc eſtis ad paſtorem, & præſidem animarum veſtrarum.

Cum deceſſerimus, id eſt, mortui fuerimus. cuius autem vibice, ob id inquit, quia a Pilato flagris cæſus, in corpore vibices geſtauit.

Mat.27.c Ioan.19.a

De obedientia

De obedientia mulierum & concordia erga viros in ſalutem in ſpiritu in modum Sarrę: de indulgentia virorum erga mulieres: de manſueta erga omnes tolerantia & patientia, cuius figura eſt benignitas Dei in Noe: & in nos per baptiſmum Chriſti conſenſio. Cap. III.

SIMILITER mulieres ſubditæ ſint uiris ſuis, ut ſi qui etiam non credunt uerbo, per mulierum conuerſationem ſine uerbo lucrifiant, inſpicientes caſtam ueſtram in timore conuerſationem. Quarum ornatus non ſit extrinſecus intortorum criniũ, auri circumpoſiti, aut amictus iudumentorum: ſed occultus cordis homo in incorruptibilitate manſueti et quieti ſpiritus, qui in conſpectu Dei eſt ſumptuoſus. Ita enim olim quoq; ſanctæ mulieres quæ in Deũ ſperabãt, ornabãt ſe ipſas ſubditæ effectæ proprijs uiris. Sicut Sarra Abraham obediuit Dominum eum uocans. cuius filiæ effectæ eſtis benefaciendo, & non timendo ullam trepidationem. Viri ſimili modo cohabitantes ex cognitione tanquam infirmiori uaſi muliebri honorem attribuentes utpote etiam cohæredibus gratiæ uitæ: ut ne interrumpantur orationes veſtræ.

Coloſſ. 3.c Ephe.5.c

1.Tim.2.c

Gen.18.b

1.Cor.7.a

Cum per omnes hos moralem inſtitutionem perſequutus ſit, per reges, principes, dominos, ſeruos: & regibus, & principibus quibus oportet, & in quibus etiam oportet, obediendum eſſe ſanxerit: oſtenderitq; ipſos illos qui dominantur cum iuſtitiæ igniculum habeant, leges, quic

quid secundum ipsas egerint, non fore condemnandos: si vero præter ipsas iniuste & tyrannice se gerant, perituros esse: quippe cũ ob gentiũ
Gal. 3. c vtilitatem, ut Paulus etiã clamat, lex data ipsis
Rom. 13. a fuerit. Quin etiam principes ipsi nõ secus ac leges in vtilitatem dati sunt. neque vt nonnulli male opinantur, terrenarum rerum potestas diaboli est. neque ei credendum, cum inquit ad Dominum. hæc omnia mihi data sunt, & cuicunq;
Luc 4. a voluero do ipsa. non enim reges qui ad malorũ correctionem dantur, ipsius iussu constituunt: non enim tale quicpiã agere inter homines diabolus studet. Datę si quidem potestates & principes à Deo sunt, alij ad iustitiæ cõseruationem, & subditorum correctionem & vtilitatem: alij ad terrorem eorum qui peccant; alij vt insolenter & contumelioſe se gerentes merita pœna afficiant. Cum igitur iam dixerit Petrus bonum esse vt his obediamus, & subiecti simus, malum contrà, si obtemperare noluerimus: & simili modo seruos instituerit, vt dominis suis qui in carne sunt, pareant: eosq; qui insontes à malis heris afliguntur & sustinẽt, maxime probatos esse docuerit: atq; ita obiter malorum dominorũ vituperatione heros quoq; ipsos castigarit: transit nunc ad mulieres: consulitq; ipsis vt duo hæc potissimum studeant, vt & proprijs viris subditæ sint, & sanctarum veterum mulierum imitatione ab ornatu omni extrinsecus & com-
Psal. 44. c ptu sint alienæ. omnis enim gloria filiæ regis intrinsecus est. nam etiam hic quemadmodum
Rom. 7. d beatus Dauid, et Paulus alterum interiorem ho-

minem præter exteriorem agnoscit: qui occultus cordis homo appellatur. Quin etiã illę, inquit, solum eum ornatum agnoscebant: vt suis uiris obedientes atque obtemperãtes se se præstarẽt. id enim significat, cum inquit, (ornabãt seipsas subditæ effectæ:) id est hoc ornatu se comebant, q̃ maritis suis obediebãt: subiectionẽ enim ornatum vocat. Quid lucri autem ex hac re euenieret tum bona eorũ qui extra fidem sunt, ęmulatio: quæ ex obedientia etiam quæ a nobis exhibetur principibus, exoriri consueuit: tum quod ipsi gratias Deo causa nostra agunt. quæ Christianorum vel magna gloriatio est, cum nõ maledicitur, sed propter nos nomen Dei benedicitur. Quod enim inquit, (sine verbo lucrifiant) ita est intelligendum, vt qui non credunt verbo & prędicationi, cessante omni verbo, & omni contradictione per conuersationem vxorum ad credendum inducantur: vel quia demonstratio quæ per opera fit, certior omni verborum curiositate habeatur. opus enim tacitũ & carens verbo, verbo quod opere careat, longe præstantius est. Cum indeterminate dixerit (sanctas mulieres) postea determinate Sarram subiungit, atq; huius ad maiorem adhortationem filias esse eas inquit, vel ex fide, vel ex genere etiam. necesse enim est, vt filiæ matres suas imitentur. vnà aũt cum hoc decoro & Christianis conueniente ornatu misericordes erga pauperes vt sint, etiã monet, nihilq; vereãtur ob hoc uirorum suorũ exactas rationes. hoc enim videtur significare, cum inquit (& non timendo vllam trepidationem.)

quippe cum verisimile sit, vt viri interdũ sumptuum domesticorum ab uxoribus rationes exigant. Ita cum suspenderit sermonem, & parsimoniam & pusillanimitatem fœminæ ad liberalius rebus domesticis vtendum inuitarit, seueritatem & austeritatem maritorum erga ipsas postea coercet: atque inquit: viri ex cognitione cohabitantes, id est cum sensum & cognitionẽ habeatis leuitatis fœminarũ, & temeritatis in omnibus, & procliuitatis in pusillanimitatem, tolerantur vos gerite erga ipsas: neq; domesticarum rerum quas custodię ipsarum commisistis nimis exacte rationem ab ipsis requirite. atque hoc, vt dixi, ne exacti sint subductores & examinatores monet, si liberaliter illę in erogatione erga pauperes se gerãt. Mihi tamen videtur per hæc profundius quid, & sanctius quàm Paulus de cõiugali vsu significare. Paulus enim aperte cla

8. Cor. 7. 2 mat: ne defraudetis vos mutuo, nisi quid ex cõsensu &c. hic vero sanctius, vt dixi, & honestius, cum cognitionem dixerit, & per eam rem ipsam innuerit, consulit, vt cum pronior ad hoc muliebris sexus sit, ne cum obiurgatione & vehementi austeritate ab ipsis uiri abstineant: sed primum ipsis vtpote infirmioribus indulgenter vtantur: deinde cum quadam reuerentia persuadeant, vt huiusmodi abstinentiam admittant. hoc enim: id est reuerentiam & rationem quam habere de vxoribus uiri debent, significat, cum inquit (honorem attribuentes.) nisi enim honor aliquis alicui exhibeatur, eius reuerentia & ratio haberi nulla consueuit. Siue igitur: vt infirmioribus, siue etiam vt cohæredibus gratiæ viuentis ipsis vti hoc modo in huiusmodi consuetudinibus decet. Ac nos quidẽ non male in hunc sensum locum hunc interpretari, quod subsequitur, declarat. Vt ne interrumpantur, inquit, orationes vestræ. quam enim orationis interruptionem viri erga vxorem austeritas affert? nullam sanè. immo multam & assiduitatem & diligentiam e contrario vxoris contemptus in tempore orationis facit. Ac mihi quidem hac de re ita videtur. ei tamen qui melius iudicarit, concedendum duco.

Postremo autem omnes unanimes sitis, compatientes, fraterno amore præditi, misericordes, benigni, humiles, non reddentes malum pro malo, aut conuicium pro conuicio, sed contra benedicentes. Pro. 17. d. & 21. d Rom. 12. d 1. Thes. 5. d

Cum maritorum & vxorum monitiones absoluerit, cõmunẽ ad omnes facit deinceps adhortationẽ, ad uiros, mulieres, senes, iuuenes, reges, subditos, peregrinos, ciues, diuites, pauperes. Vnde ait, postremo, quod Græce est, τὸ δὲ τέλος, hoc est, qui autem est finis, id est quid opus est de priuatis loqui: in uniuersum omnibus dico: hic enim finis est, & ad hoc scopus salutis omnibus spectat. & hæc lex omnibus charitatis est, ex qua humilitas, misericordia, compatientia, & reliquæ similiter uirtutes oriuntur, quas hic enumerat. Quarum vnanimitas consensio quædam, & concordia circa aliquid est cum studio sine controuersia. Compatientia est erga ma-

lum aliquod patientes affectio, perinde ac si nos ipsi pateremur. Amor fraternus est dilectio, quæ erga proximos tanquam fratres debetur. Miseri cordia est motio animę benefaciendi et opem ferendi erga congeneres. Benignitas est mansuetudo & humanitas ergo omnes, quæ inter amicos & familiares exhibetur. Humiliatio seu humilitas est cum quis opprobrio afficit, ferre: agnoscere peccatum: accusationes sustinere: quæ ἐυγνωμοσύνη etiã dici potest: id est modestia, quasi agnoscentiã dixeris. Conuiciũ est ex praua cõsuetudine in obiurgando & detrahendo effusa cõtẽtio.

Pſal.33.c *Scientes in hoc uocatos uos esse, ut benedictionem hæreditetis. Qui enim uult uitam amare, & uidere dies bonos, sedet linguam suam à malo, & labia sua ne loquantur dolum: declinet à malo, & faciat bonũ, quærat pacem, & persequatur ipsam. Quoniam oculi Domini super iustos, & aures eius in preces ipsorum, facies autem Domini super facientes mala. &*

Matt. 5.a *quis erit qui uos affligat, si boni imitatores fueritis? Quin etiam si ob iustitiam patiamini, beati estis. timorẽ eorum ne timeritis, neq; conturbemini. Sed Dominũ Deum sanctificate in cordibus uestris. & prõpti semper estote ad responsionem unicuique qui rationem à uobis petat de ea quæ in uobis est spe, cum*

Supra.2.c *mansuetudine & timore, conscientiam habentes bonam, ut in eo quòd detrahunt uobis tanquam malefi-cis, erubescant ij qui insultãt uestræ bonæ in Christo conuersationi.*

His antedictis, inquit, uirtutibus exornati prę terquã q̃ inexpugnabiles vitio efficiemini, æmulatiõi quoq; eritis, dum diuina uita instituimini. qui enim ab omnibus benedicitur, æmulationi quoque esse consuetuit. atq; horum testem Dauid producit, qui inquit. quis est qui videre vi Pſal.33.c tamvult? vitam nõ eam qua bruta etiamviuũt, sed quam homo secũdũ Deum traducit: & videre dies, non malos, sed bonos? dies enim seculi huius iuxta patriarcham Iacob, parui & praui Gen.47.b sunt. Atque vbi propheticum oraculum hoc exposuit, in quo positum est, oculi Domini super iustos, & facies eius super facientes mala, subiungit: si ita uixeritis, propitium et benignum Deũ habebitis. quod si fiet, quis erit qui vos affligat? omnia enim in manu eius sunt: quippe cũ mors Iob.12.b & vita in manu Domini sit. Sed quia calamitates quæ ob fidem quibusdam contingunt, malæ Sap.3.a. & 7.b esse nonnullis uidentur, vt opinionem hanc corrigat, subdit beatus Petrus: ne hęc mala, inquit, esse existimetis, cum beatificatione etiam digna habeantur. nam qui ab homininibus intentat timor in nulla æstimatione haberi debet, cum & diarius sit, & à diarijs hominibus proficiscatur. Si enim oculi Domini super iustos, & aures eius in preces ipsorum, super uero faciẽtes mala facies Domini est, quæ perditionem eis minetur: prorsus si mala hæc sunt, qui bonorum est dispensator, nullo modo vos sibi dilectos malis remuneraret: mala enim malis mittit. non malæ igitur sunt afflictationes, quæ ob pietatem contingunt. Sanctificare autem Dominum in cordi

Esa. 8.c

bus suis cum Esaia hortatur: id est non in aperto gloriari & iactari, sed in occulto cordis conclaui sanctificationem Domini exercere, quæ in scelerum id est prauarum consuetudinũ gentium segregatione existit. Sanctificate, inquit, Dominũ ita, ut ex honesta vestra conuersatione alij homines ipsum glorificẽt. Quemadmodum ipse etiã

Matth. 5.b

Deus & homo Christus præcipit, cũ ait: ita fulgeat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrũ qui in cœlis est. Cum vero inquit (& prompti semper estote) fidelem hominem hortat̃, ut semper rationem de fide, quippe quæ in omni occasione à nobis repetatur, prompte ac facile reddamus, ac respondeamus cum mansuetudine, quasi ipse etiam Deus adsit. nemo siquidem modestus seruus cum adest dominus, insolenter loqui consueuit. Quidq; ex hoc lucri euenturum sit, subiungit, quæ est infidelium erubescentia & obmutescentia, æquiorq; erga nos animus. Aduertendum autem est, non esse contraria hæc ijs quę à Domino dicuntur: cum Dominus non esse debere solicitos nos moneat, cum ad magistratus &

Matt. 10.c
Luc. 12.b.

potestates adducimur, quid respondeamus: Petrus vt ad respondendum præparati simus, nobis præcipiat. Dominus enim de martyrio & testificatione corã principibus impræmeditato facienda loquitur: vnde etiam datum iri inquit illis vim & sermonẽ humana omni sapientia præstantiorem, et circum intentatorum terrorum securitatem. Quod vero Petrus nunc inquit, ad doctrinam spectat, quæ nisi præmeditata sit, re-

prehendi consueuit. si enim absque perspicientia & examinatione cognoscere aliquid videamur, reprehendimur. quippe cũ insipientiũ cognitio inexaminatę rationes sint. præsertim cũ et multorũ nos impiorũ accusent, & spes nostras esse uanas asserãt. Quibus sanè ut cõsiderate & exquisite responsiones afferamus, cõsulit, ita ut à uita ẽt nostra cõprobent̃. id quod conscientiã uocat. Ordo totius huius sententię talis est: postremo autẽ, quod Græce inquit, τὸ δὲ τέλος, id est, qui finis autem est, id est, quod omnia continet: omnes vnanimes estote &c. sciẽtes in hoc vocatos vos esse, ad benedicendum, id est, vt omnibus benedicatis. benedicite enim, inquit Paulus, persequentibus vos. id autem faciẽdo hęreditabitis nomen, vt ab omnibus benedicentes appellemini. ideo iustum non est, vt qui æternam vitam affectat, lingua alicui maledicat. proterea etiã Dauid monet, vt linguam a cõuicio puram habeat, qui veram vitã amare vult &c. ita enim instructi omnipotentem Deũ et omnia intuentem propitium habebitis, ita vt vos mansuete inspiciat, & non iracunde, quemadmodum erga maleficos facit. quod si ita erit, quis affligere vos poterit? si autẽ calamitas aliqua vobis inferatur, qui boni operatores et imitatores estis, ne ægre feratis: sed gaudete potius, primum quia hæc mala non sunt: deinde quia etiam beati ob hæc & non miseri estis. iccirco in cordibus vestris Deum sanctificãtes terrorem humanum ne timeatis, neq; turbemini. sed prompti estote ad responsionem semp̃ vnicuique qui a vobis de uestra spe rationem re-

Eccle. 21.a

Roma. 8.c

Psal. 33.a

quiſierit, reddendam: ita vt actiones quoque bonas præ vobis feratis. nam ſi humane hoc & mã ſuete feceritis, & conſcientiam veſtram bonam eſſe, id eſt, conſcios vos bonorum eſſe & non malorum, vt qui vos calumniantur, dicunt, probabitis: & prauam de vobis opinionem habentes qui inſultant, et veſtra acerbe exquirentes in malam partem interpretantur, in erubeſcentiam inducetis.

Melius enim eſt vt benefaciendo, ſi voluntas Dei velit, patiamini, quàm male faciendo. Quoniam etiam
Heb. 9. d
Rom. 5. b
Chriſtus ſemel pro peccatis paſſus eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos Deo adduceret.

Cauſa hæc non ad ea quæ proxime, ſed ad ea quæ paulo ſuperius dicta ſunt, referri debet, cum inquit, quando etiam ſi ob iuſtitiam patiamini, beati eſtis: propterea quòd melius eſt vt benefaciendo patiamini, quàm malefaciendo. Vel ſi quis ad proxime dicta aſſignare hanc cauſam velit, Verbum hoc (benefaciendo) non ita ſumendũ erit vt ad alterum referatur, & pro, beneficijs affi ciendo accipiatur, ſed abſolute pro, bene agẽdo, beneq; operando intelligi debebit, & ſimili modo, malefaciendo. Addidit autem, ſi volũtas Dei velit, vt nihil ſine Dei nutu in nos contingere oſtendat: ſed huiuſmodi omnia vel ad ſubleuatio nem a peccatis, vel ad comprobationem & gloriam noſtram, vel ad ſalutem aliorum fieri. hoc autem dupliciter contingit. vel enim affligitur aliquis iuſtus, vt peccatores alij corrigantur: in

quem ſenſum dictum illud eſt: ſi iuſtus vix ſeruatur, peccator vbi apparebit? atq; hoc quoq; duplicem præ ſe fert vtilitatem, dum iuſto qui calamitatibus opprimitur, per patientiam iuſtitiæ incrementum: peccatori qui id videt, conuerſionem afferat, quemadmodũ diximus. Vel igitur hac de cauſa patitur iuſtus: vel etiam ob aliorũ ſalutem, ſicut Chriſtus. Ac propterea etiam Petrus Chriſti nunc exemplum ſubiungit: eo quòd etiam Chriſtus ea quæ paſſus eſt, non pro peccatis ſuis, ſed ꝓ noſtris eſt paſſus. Vnde etiam infert, (iuſtus pro iniuſtis) quippe cum ipſe, ſicut antea ex propheta oſtendit, peccatum non commiſerit. vt autem eius qui paſſus eſt pro hominibus, efficaciam ac vim declaret, ſemel, inquit, pro peccatis paſſus eſt: vt oſtendat, etiam ſi multa peccata noſtra prooccuparint, vnam ſolam Domini paſſionem ſatis fuiſſe ad vim omnem peccatorum noſtrorum retundendam ac tollendam. Quoniam igitur pro eo eſt paſſus, vt nos ad Deum & patrem ſuum deduceret, non omnes omnino qui patiuntur, ob peccata affligi, nobis manifeſtat. Pro. 11. d

Mortificatus quidẽ carne, ſed uiuificatus ſpiritu.

Quia Chriſtus duplex eſt, Deus & homo: duplicem quoq; gratiam patiendo nobis exhibuit. mortuus enim vtpote homo, a morte nos & corruptione liberauit, dum reſurrectionẽ nobis innouauit, ſuique exemplo oſtendit non amplius eos qui moriuntur, ſine vlla reſurrectionis ſpe mortẽ ſubire. hoc enim eſt quod inquit, mortificatus

quidem carne, id est, morte affectus ex natura carnis, id est, humana, quam assumpserat: sed vi uificatus spiritu, id est, sed a mortuis resurgens
Ioan.4.d ex vi & potentia diuinitatis. Deus enim spiritus est, vt ipse theologiæ fons, ac sapientia nos docuit: ex mortuis siquidem non quatenus homo, sed quatenus Deus resurrexit. viuificatus igitur, simul eos qui apud inferos erant, secum suscitando viuificauit: quippe cum multa corpora, vt
Mat.27.f inquit diuus euangelista, sanctorum qui mortui fuerant, surrexerint, & apparuerint multis.

In quo etiam spiritibus qui erant in custodia, profectus prædicauit: qui olim non crediderant, quando semel expectabat Dei tolerantia *in diebus* Noe *dum*
Gen.6.b *construeretur arca, in quam paucæ, hoc est octo*
Mat.24.d *animæ per aquam seruatæ fuerunt: quod in figura respon*
Luc.17.f *dens nunc etiam nos saluos facit baptisma, non carnis sordis depositio, sed conscientiæ bonæ in Deum interrogatio, per resurrectionem Iesu Christi, qui profectus in cœlum subiectis sibi angelis, & potestatibus, & uirtutibus in dextera Dei est.*

In quo, id est ob quod causaliter subiungit. cum enim dixisset iustum p iniustis nobis mortuum fuisse: atq; inde opinandi occasionem præbuisset, quòd pro omnium hominum salute mortē obijsset: infert, quapropter ijs quoq; qui apud inferos cohibebātur, prædicauit. Cum enim huc usq; progressus oratione fuisset, & restaret adhuc in dubio, quo pacto eos qui antea dormierant, moriendo iuuerit: non paruaq; relinqueretur quæstio, si in salutem omnium hominum humanitas a Domino sumpta est, quam salutem fuerint consequuti qui mortui antea sunt: vtraq; vna hac ratione dissoluit: Domini mortem inquiens vtraq; hæc effecisse, & spem resurrectionis, propterea q; ipse surrexit, & salutem item eorum qui mortui antea fuerant. Qui enim: quo tempore viuebant, bonis operibus vitam ita exornarunt suam, vt si tunc quoque in mundo versatus fuisset Christus, viuificans præconium non repudiassent: ij tunc ex descensu Domini ad inferos salutem adepti sunt. Quemadmodū GREGORIO etiam diuino placet. Inquit enim ille: saluos ne facit omnes absolute & in vniuersum Christus, vbi scilicet ad inferos superuenit? an etiam illic eos, qui crediturі erant? Dum enim inquit, eos qui crediturі erant, eos significat qui sese ita præstiterunt, vt si tunc etiam accessisset Christus, futssent crediturі. neq; id reprehendendum videtur. nō enim sortito exhibetur salus. Nam cum inter viuentes etiam versaretur, non omnes saluos fecit, sed eos tantum qui crediderunt. Quippe cum vniuscuiusq; etiam electione opus esset: vt cum ratione præditi simus, non stupide afficeremur erga ipsius qui nos creauit, beneficentiam, sed dantis benignitate ac bonitate dignos nos exhiberemus. Quod vero inquit (qui non crediderant) iccirco positum est, vt obiectionem quādam soluat. Verisimile enim erat, dicturum esse aliquem, ecquis alius ante Christum prædicauit, vt qui non crediderunt,

fuerint condemnati: id est, digni condemnatione euaserint, qui ante Christum viguerunt? cumq; ipse hoc posset, quemadmodum etiam Paulus
Rom.2.b ex insitis in nobis rationalibus facultatibus refellere, ac dicere, nos cum boni & mali iudicio præditi fuerimus, si bonum non operemur, condemnatione esse dignos: id minime facit, quippe cum præstantior ea consideratio & doctior esse videretur, quàm vt ingenio Iudæorum conueniret: sed ex scriptura incredulitatem hanc probat: neq; a temporibus prophetarum, sed ab ipsis penè mundi primordijs probationem petit. atque inde ostendit cũ a principio vsq; hominibus etiã salus prædicaretur, ab eis qui ad vana & voluptuosa procliues ferebantur, fuisse neglectam.
Gen. 6.b Cum enim etiam eo tempore innumerabiles essent homines, soli octo homines credẽtes ijs quæ prædicabantur, ex arcæ fabricatione consequuti salutem sunt. Quoniam vero per aquam salus eis comparata est, statim id ad baptismũ refert: atque inquit, aquam illam baptismum nostrum significasse, qui etiam ipse sicut incredulos dæmonas demergit ac suffocat, ita fideles qui ad arcam ecclesiæ accesserint, saluos efficit. ac quẽadmodum aqua sordẽ e corpore abluit, ita baptismus, non sordium ille quidem carnis depositionem affert, sed arcana quadem & mystica ratione maculas animę detergit atq; abluit: estque interrogatio bonæ conscientiæ in Deũ, id est, quasi arrabo quidam, & pignus bonæ erga Deum cõscientiæ. Qui enim bonorum operum sibi conscij sunt, hoc est vitam insontem atque immaculatam sectantur, atq; eam ex omnibus exquirũt, & quasi interrogant: quippe cum eos qui diligẽter inquirunt, consequi soleat interrogatio: ij sanè ad sanctũ baptisma accedunt, atq; accurrũt. & quid est, inquit, quod nobis exhibet, vt diuinum baptisma inquiramus atque interrogemus? Christi resurrectio. ante enim eius resurrectionẽ & passionem illud pronunciatur, nisi quis renatus ex aqua & spiritu sancto fuerit, non potest introire in regnum Dei. postquàm vero resurrexit, promulgatum est, vt omnes quæ accesserint gentes, baptizentur in nomen patris, & filij, & spiritu sancti. Quod vero ait subiectis sibi angelis, id ob humanitatem assumptam infert, cui erat vnitus. Vnito enim ei cum homine procul dubio angeli subditi ac subiecti fuerunt.
Ioan.3.a
Matt.28.d

De prauarum actionum depositione & resumptione fructuum spiritus pro donorum differentia: quod ex communicatione cum Christo naturales affectiones oportet superare, & spe in ipsum ab aliis illata damna sustinere.
Cap. IIII.

CVM Christus igitur passus pro uobis sit carne, uos quoq; eadem cogitatione armemini: q, qui passus in carne est, a peccato desiit, ut non amplius ex hominum concupiscentijs, sed ex uoluntate Dei reliquum in carne tempus uiuat.

Posteaquàm de dispensatione commemorauit, id est de descẽsu Domini ad inferos, & cuius causa illuc fuerit, pro salute videlicet etiam eorũ qui illic erant; rursus occasionem aliam nactus

ex Domini morte incitandi ad virtutem, ita inquit: Si Christus pro vobis mortuus est carne, non enim immortali sua ac diuina natura passus est. vos quoq; prorsus retribuere ipsi id debetis: vt ob ipsum mortui peccato, non amplius humanis concupiscentijs capiamini: sed ex voluntate tantũ Dei quod restat vitæ tempus in carne traducatis. Ordo autem est huiusmodi: Cum igitur Christus passus pro vobis sit, id est mortuus, vos quoque eadem cogitatione, id est, iuxta eãdem cogitationem, eundemque scopum præparemini: quippe cum mortui etiam vos mundo videlicet sitis, qui vero mortuus est, a peccato iam desierit: & cętera quę sequuntur. Nam cũ inquit (qui passus est) de morte intelligit, cum Paulo
2. Tim. 2. b consentiens, qui ait: si mortui sumus cum Christo etiam conuiuemus: et mortui quidem erimus peccato, sed viuentes Deo.

Ephe. 4. *Satis enim uobis fuit præteritum uitæ tempus ad uoluntatem gentium conficiendam, dum ambularetis in petulantijs.*

Satis enim vobis fuit, id est sufficit vobis, q̃ anteactæ vitæ tempore voluntatem gentium exequuti sitis, hoc est gentiliter vixeritis ambulantes sicut gentes. perinde ac si dicat: non ne satis vobis est, quòd tanto vitæ tempore in libidinibus versati fueritis? nonne sicut gentes petulanter vitam traduxistis? & quæ sint ea petulanter facta, speciatim subiungit, ipsos increpans, atq; in pudorem inducens.

Concupiscentijs,

Concupiscentijs, temulentijs, comessationibus, compotationibus, & nefarijs idolorum cultibus: in quo demirantur, q̃ uos in eandem luxuriæ refusionem non concurratis, maledicentes: qui ei reddent rationem qui paratus est ad iudicandos uiuos & mortuos.

Temulentijs, id est, οἰνοφλυγίαις ebrietatibus, & ad vinum incontinentibus appetitionibus. In quo demirantur) quod Græce ξενίζονται inquit, id est, ex quo & ob quod peregrinantur, hoc est peregrinam rem & nouam putãt. Quod autem ait, huiusmodi est. Cum semel gentilibus institutis renunciaueritis, in quibus olim vixeratis, præclaræ huic quam assumpsistis, vitæ incumbite. ita enim etiam ipsi gentiles demirantur vos, quòd vnà cum ipsis in similem impietatis refusionem, id est, confusionem non concurratis. Vnde post hanc admirationem & hæsitationem quam ex mutatione vestra concipiunt, non solũ ipsi non erubescunt, verum etiam maledicunt, id est subsannant vos, & derident: quippe cum cultus erga Deum ac pietas detestanda quædam res ac deridenda peccatoribus atque impijs videatur. At isti sanè neq; impune huiusmodi maledictis & conuicijs vtentur: reddituri enim rationẽ sunt ob hanc ipsam rem ei, qui immutabiliter ac stabiliter ad omnes iudicandos confessurus est, id enim hoc loco significat, cum inquit, qui paratus est: non secus atque illud, præparans montes in fortitudine sua: & parata sedes tua. ei igitur Psal. 64. b
qui immutabiliter & firmiter viuos & mortuos Psal. 92. a
est iudicaturus, reddẽt rationem hi qui vos sub-

sannant. quo autem modo viuorum sit & mortuorum iudex, deinceps declarabit.

Ad hoc enim etiam mortuis euangelizatum est, ut iudicati quidem sint iuxta homines carne, iuxta Deũ autem spiritu uixerint.

Ordo & continuatio orationis huius ad hũc modum se habet: hi qui uobis maledicunt, ei dabunt rationem qui viuos & mortuos iudicaturus est. nam etiã mortui iudicantur: id quod ex descẽsu Domini ad inferos perspicuum fit. siquidem ibi quoque versatus Dominus, quo tempore videlicet in cruce mortem obierat, illis prædicauit, quemadmodum supra terram illis qui viuebant: prædicauit autem non verbis sed re. Et quemadmodum cum in mundum venit, ijs qui ad eum cognoscendum parati erant, in iustificationem, alijs qui eum ignorarunt, in condemnationem accessit: sic illis quoq; qui apud inferos erant, si qui ex carne humane vixerũt, id est spirituale, & virtute præditam uitam traduxerũt, ijs in gloriam & salutem aduenit: atque ita viuorum & mortuorum iudex dici merito potest.

ALITER. Nonnulli ex veteribus patribus hoc quod inquit (etiam mortuis euangelizatum est) quasi sententiam a superioribus separatam, ita explanauerunt: neq; quasi dependeat ab ijs, quæ superius dixit, sed quasi abscissus, ac separatus ab illis sensus sit, in hunc modum explicant. Mortuos aiunt duplici modo dici in sacra scriptura, vel eos qui mortui ĩ peccatis sunt, qui ne

que vitam quidem vnquam videbunt: vel qui morti Christi conformanẽ, & mundo, id est mũdanis concupiscentijs mortui sunt, & soli Christo viuunt: quemadmodum etiã Paulus inquit: quod autem nunc uiuo in carne, in fide filij Dei viuo. Dicunt igitur eos qui ita Christo mortui sunt, ob ante actam ignaue ac negligenter vitã se ipsos in carne cõdemnare: atque id nihil aliud esse quàm spiritu, id est ex Christi institutione vitam traducere: quippe cum priorum vitæ actionum damnatio alacriores ac prõptiores ad ea quæ præmanibus habent, exercenda ipsos efficiat. Atq; illi quidem ita interpretanẽ. Quod quamuis verum sit, nondum tamen ita recte sese habet, vt ex superius dictis apte consequatur. Nam cum superius dixerit, illis quoq; qui in custodia erant spiritibus apud inferos prædicatum fuisse euangeliũ: par erat, vt præsens oratio causali cõnexione subiuncta quasi ad superiora spectaret, ita consideraretur, non quasi absolute, ac per se esset dicta. Quocirca dicendum est, quia proxime dixerat, reddituras esse rationem gentes ei, qui paratus erat ad iudicandos viuos & mortuos: & aliquis subijcere poterat, sed vbi vivi, & vbi mortui iudicantur? ex ijs quæ paulo superius de spiritibus dixit, quibus apud inferos prædicatum fuit, rei huius comprobationem sumit. ac prædicationem quidem illam in iudiciũ eis, id est in condemnationem euasisse inquit: cũ illi qui honeste ac bene transactę vitæ sibi erant conscij, bonitati eius qui illuc aduenerat, statim sese adiunxerint: alij contrà pudore oppressi con Gala. 2. d

demnationem in se admiserint, qui male se atque improbe vixisse cognoscebant. Atque hoc est, quod mortuorum etiam iudicem Dominũ esse attestatur. Viuorum vero eum esse inde patet: quòd cum in corruptibili hac uita in mundum venisset, aduentus eius hominibus condemnationem attulit: cum boni ad eum accurrerint, discipuliq; eius fuerint effecti: mali ac scelesti eum repudiarint, ac sponte ad veritatis illustrationem oculos concluserint: id quod condemnationem ipsis attulit. Vnde etiam Dominus, in iudiciũ, Ioan.9.g inquit, veni in mundum, id est in condemnationem: vt qui non vident, cæci fiant. Ita igitur fit, vt & viuorum & mortuorum Dominus iudex sit: & causæ redditio ad integram orationem, non ad partem referatur. Cum vero inquit, iudicati sint, & vixerint: tempus pro tempore præteritum uidelicet pro futuro sumpsit, sicut mos diuinæ scripturæ est. nam Domino ad inferos profecto, qui in mundo vixere carnaliter, cõdemnati sunt: qui spiritualiter vitam traduxere, vixerunt, vel in reuiuiscentia & resurrectione cum Mat.27.f Domino, multa enim sanctorum corpora quæ dormierant, surrexerũt: uel in spe. omniũ enim, inquit, finis appropinquauit: hoc est & eorũ qui in vita, & eorũ qui apud inferos iustificati sunt. quippe cum in secundo aduentu quod vnicuiq; repositum est, sit perficiendum. Quòd si quis prædicationem Domini apud inferos irritam facit, ac reprobat, nihil eam asserens mortuis conferre potuisse, propterea quòd apud inferos, vt Psal.6.b inquit propheta Dauid, nemo confiteatur; is &

prædicationem apud inferos crasso quodam modo accipit: & confessionem non laudem Dei, sed enunciationem esse intelligit, illud nõ aduertens, quod alibi idem propheta canit: non mortui laudabunt te Domine. Quod autẽ inquit Dauid, Psal.13.d in inferno quis confitebitur tibi? intelligendum ita est. confessio gratiarum actio erga Deũ est, cum quis e molestijs aliquibus fuerit liberatus. Quoniã igitur in hac præsenti vita omnia agũtur, cum mortui vero sunt homines, ab operationibus omnibus vacant: merito cum nemo apud inferos operetur, vt ab aliqua agendarum rerũ difficultate liberatus confiteri atque agere pro liberatione gratias possit, dictum est, in inferno quis confitebitur tibi?

Omnium autem finis appropinquauit. temperantes igitur estote, & sobrij in orationes. ante omnia autem mutuam erga uos charitatem intentam habeatis: quoniam charitas multitudinem peccatorum operiet. Rom.12.c Pro 10.b

Finis: id est completio & consummatio: vel finis appropinquauit: id est finis omnium prophetarum aduenit, qui est Christus. omnium siquidem perfectio ipse est: & non vt græci nugãtur, quorum alij voluptatem, alij scientiam, aut contemplationem, aut virtutem esse finem ac summum bonum asserunt. Quoniam igitur omniũ perfectio, qui est Christus, accessit, vos quoque debetis huic conformati in omnibus absolutos ac perfectos vos reddere, in temperantia, in

sobrietate orationũ, quippe cum sobriorum sit oratio & precum effusio, id est vigilantium, & non eorum qui mundanarum rerum ebrietate sopiti opprimunt: In mutua erga vos charitate ītē ta) id est abundante, & late diffusa: quam ἐκτενῆ appellat, quasi extentam, seu distentam dixeris.

Rom.13.d Hanc Paulus legis plenitudinem esse inquit: hic vero esse eiusmodi ait, vt peccata possit operire ac tegere. misericordia enim erga proximũ Deũ nobis propitium reddit: at misericordia absque multa charitate exerceri recte non potest.

Phil.2.b Heb.13.a Rom.12.c *Hospitales sitis erga uos mutuo absq; susurratione: unusquisque sicut accepit donum, id erga uos mutuo ministrantes, tanquam boni uariæ gratiæ Dei dispensatores. si quis loquitur, tanquam eloquia Dei: siquis ministrat, tanquam ex uiribus quas suppeditat Deus: ut in omnibus glorificetur Deus p Iesum Christum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, amen.*

Vbi de charitate dixit, ea quoque quæ ex charitate subsequuntur, subiungit: hospitalitatem, quam absque susurrationibus exequendam monet, id quod veræ charitatis est: subministrationem eorum donorum quæ quis habet, erga fratrem qui illis caret: ut si quis doctrinæ sermone donatus sit, id enim significat, cum inquit, tanquam eloquia Dei: is indigenti ea re fratri exhibeat: si quis affluat opibus, is inopi succurrat: neque id parce, sed pro viribus quas suppeditatio a Deo ipsi affert. Si enim ea quæ in nobis sunt

ac nostra potestate constituta, non faciamus, omnis iniustitiæ crimen subibimus: neque id in opum possessione tantum intelligendum, sed in omnibus etiam reliquis naturæ dotibus: quas non habenti fratri communicare vnusquisque debet. propterea q; ipse etiam cum non haberet, à Deo iccirco accepit, vt indigentibus exhiberet. Atque hæc inquit, moneo, vt in omnibus vel gentibus, vel operibus vestris Deus glorificetur.

Carissimi ne ex incensione quæ ad tentationẽ uobis exhibetur, perturbemini, quasi peregrina res ac noua uobis contingat: sed quatenus communicatis cũ passionibus Christi, gaudete: ut in reuelatione quoque gloriæ exultantes gaudeatis.

Vbi has admonitiones adhibuit, quia videbat fore, vt aliqui ob illatas sibi afflictationes scandalo afficerentur: quippe cum in lege seruiẽtibus Domino turbatione omni ac molestia carens vita promittatur: nunc locum hunc quẽ superius breuiter, quãdo seruis præcepta tradebat, pertransiit, latius ac diffusius persequitur. Atq; inquit, carissimi, ut statim ex ipso nomine significet, non quia odio habeantur, sed quia valde cari sint, vehementerq; amẽtur, afflictationes ipsis contingere. Quod inquit (ne perturbemini) id græce est μὴ ξενίζεσθε. i. ne peregrinemini, hoc est ne peregrinam rem & alienam ab amicis Dei esse existimetis. Cum uero incensionẽ: id est πύρωσιν afflictationes appellat, ob probationem

& exploratione exhiberi ipſas indicat. proba tio uero precioſam & ſtudio dignam rem quæ exploratur, vt aurum & argentum reddit. His quod beatiſſimum omnium eſt, ſubiungit, ꝙ illi qui ita patiuntur, ſimiles Chriſti euadãt, dum cum ipſo nunc contemnuntur, atque ita totum ornamentum ipſis abſoluit, ac perficit.

Si opprobrio afficimini in nomine Chriſti, beati eſtis, quoniam & gloriæ & Dei ſpiritus ſuper uos requieſcit: quantum quidem ad ipſos attinet, maledicitur, quantum ad uos, glorificatur. Ne enim quiſpiam ueſtrum ut homicida, uel fur, uel maleficus, uel alienorum explorator, patiatur.

Si probris afficimini, dum nominamini & appellamini Chriſtiani, beati eſtis &c. Cum vero inquit (quantum quidem ad ipſos attinet, male dicitur) extrinſecus intelligendum eſt (qui) vt ſit ſenſus: qui ſpiritus Dei quantum ad impios attinet, videtur maledici, quantum ad uos, glorificatur. quo pacto? quia cũ ipſi falſo vos accuſent, ac damnent, ipſis dedecus, gloria vobis comparatur. Alienorum autem explorator ille hic dicitur, qui aliena curioſius inquirendo occaſionem præbet, vt vituperio ac conuiciis afficiatur. id quod animi verſuti ac malefici, et ad omne malum procliuis vitium eſt.

Si autẽ ut Chriſtianus, ne erubeſcat: ſed glorificet Deũ in parte hac. propterea quòd etiã tẽpus eſt, ut inciat iudicium a domo Dei. quòd ſi primum a uobis,

quis finis erit eorum qui euangelio Dei non credunt? & ſi iuſtus uix ſaluus fit, impius & peccator ubi apparebit? Quare & qui ſecundum uoluntatem Dei patiuntur, tanquàm fideli creatori commendent animas ſuas in bene faciendo. Pro.11.d

Cum inquit, propterea quòd etiam tempus eſt, vt incipiat iudicium a domo Dei, ſolicitos ipſos ac trepidos reddit, atque a vita ignaua ac deſide excitat. vnde etiam infert, quòd ſi primũ a vobis, qui eſtis domus Dei, vitę examinatio incipit, quis finis eorum exiſtimandus eſt, qui non credunt? Iudicium autem hic non condemnationem, ſed inueſtigationem, & examinationem, & explorationem intelligimus. Exquiſita autem hęc examinatio a domo Dei primum incipit, quia vt magnus BASILIVS inquit, natura comparatum eſt, vt contra eos qui familiariſſimi nobis ſunt, cum in nos peccant, maxime indignemur. familiariſſimi autem Deo ſunt non alĩ, quàm fideles qui domum Dei, id eſt eccleſiam complẽt, atq; extruunt. Vnde etiam Saluator inquit: dicet prius ĩs qui a dextris erant. Iudicium autem hic appellat afflictationes, quæ ab impĩs fidelibus inferuntur: quas Dominus etiam prænunciauit, cum diceret: tradent vos in concilia & cætera. Deinde beatus Petrus quaſi eos conſoletur, ſubiungit: ſi vobis ſibi familiariſſimis non parcit, quis impĩs finis futurus ſit, conſiderate. atq; id ex ſcriptura confirmat. quæ inquit: ſi iuſtus vix ſaluus fit, impius & peccator vbi apparebit? Scriptura autem hic ſignifi- Mat.25.c Mat.10.b Pro.11.d

cat, si iustus multo cum labore salutem consequi
tur: quippe cum violentia acquiratur regnum
Mat.11.b Act.14.d Dei, & multis ærumnis & afflictationibus com-
paretur: quid fiet iis qui negligenter et voluptuo
se vitam traducunt? de futuro autem tempore
hoc quod de impiis inquit, intelligendum est.
Quare si hoc ita se habet, nos quoq; secundum
voluntatem Dei patientes ne ignaue nos gera-
mus, sed tanquàm fideli creatori commendemus
animas nostras in bene faciendo. Secundum vo-
luntatem autem Dei, inquit, vel vt non præter
Dei prouidentiam calamitates & afflictationes
nobis contingere, sed ab ipso eas quasi ad proba
tionem nobis dispensari ostendat: vel vt quasi
1.Cor.10.c pro Dei voluntate patientes ipsi exitum etiam
atq; euentum rei omnem relinquamus. Fidelis
siquidem ipse est, id est fidus et verax in promis-
sionibus suis, vt tentari nos supra quàm possi-
mus, permissurus non sit. Sed quo pacto commē
dare se ipsum Deo quispiam debet? in bene faciē
do videlicet: id est in humilitate, vt non glorietur
& se efferat ob ea quę patitur: sed quanto maio-
ra videtur pati, tanto inutiliorem se ipsum exi-
Danie.3.e stimet, & semper illud subiungat, ac dicat, iustus
es in omnibus quæ fecisti nobis. At vero impius
& peccator in eo differunt, quòd impius a Deo
alienus prorsus est: peccator aliquatenus quidem
Deum colit, sed alioqui tamen leges eius contem
nit, ac violat. fieri vero potest, vt idē & impius
sit, & peccator: quippe cum qui contra legem
operatur, prorsus impie se gerat, dum peccando
deum esse non considerat.

Monitio ad presbyteros de procuratione gregis: vbi de communi omnium erga vnumquemq; humilita te ad victoriam contra diabolum con-sequendam. Cap. V.

PRESBYTEROS qui inter uos sunt, ob-secro compresbyter etiam ipse & passionum Christi testis, & gloriæ quæ reuelenda est, consors: pascite qui apud uos est, gregem Domini, præsidentes non coacte, sed sponte, non turpis lucri causa, sed prom pte: neq; tanquam dominium exercentes in cleros, sed ita ut formæ gregis efficiamini. & cum apparuerit pa storum princeps, immarcescibilem gloriæ coronam recipietis.

Cum de humilitate agere proposuerit, quam etiam cum diceret (in bene faciēdo) significauit, compresbyterum se vocat: id autem vel ætatem seniorem, vel dignitatem episcopatus indicat. nā presbyteros etiam episcopos dici liber quoq; de Act.20.d gestis Apostolorum manifestat. Deinde cum præeminentiā suam, & se humilitatis causa cō-presbyterum se appellasse, velit ostendere: aucto ritatem suam ac dignitatem subiungit, cum in-quit, & passionū Christi testis: ea videlicet cau-sa, vt ad humilitatem ipsos magis inducat: per-inde ac si ita dixerit: si ego qui talium miraculo rum spectator fui, atq; eorum uobis præceptor sum, non dedignor compresbyterum & socium vestrum me ipsum vocare: neq; vos supra illos efferri qui sub vobis sunt, debetis, quippe cum

etiam Christus huius magister cum humilitatē
Ioan.13.b doceret, dixerit, si igitur ego Dominus & magi-
ster laui vobis pedes: sic & vos alter alterius la
uare pedes debetis. Quod vero infert, (& glorię
quæ reuelanda est, consors) propterea addidit, vt
humilitatis excellentiam ac præstantiam decla-
Colos.3.a ret. Quemadmodum etiam Paulus inquit, quā-
do Christus manifestatus fuerit, tunc etiam nos
manifestabimur. Non coacte autem neq; inuitus
pascit, qui formam & exemplar bene faciendo
se ipsum subditis suis proponit: atque ita discipu
los suos afficit, vt ad æmulationem magistri in-
ter sese omnes certent. At non turpis lucri causa)
qui enim non superbe & arroganter se gerit, nec
supra subditos extollitur, sed in humilitate de-
git, vilitatemq; et parsimoniam ita amplectitur
vt nullo sumptu indigeat, neque indumentorum
magnificorum, neq; mensæ Sybariticæ: quæ cū
superbiam comitentur, ex turpi lucro etiam
prouentum requirūt. Clerum autem hic, quem-
admodum etiam nunc nos consueuimus, congre
gationem sacram vocat, quæ in sortem Domini
cessit. Cum vero ait, formæ gregis efficiamini, id
est exemplaria, quo modo non coacte pascere,
intelligatur, declarat. In eo autem quod inquit,
& cum apparuerit (&) coniunctio pro (vt) caus-
sali cōnexione posita est: hoc pacto, vt cum ipse
pastorum princeps apparuerit, immarcescibilē
coronam recipiatis. Quemadmodum etiam in
octogesimo nono psalmo, vbi ait, & respice in
seruos tuos, & in opera tua, (&) pro (ideo) accipiendum est.

Simili modo iuniores senioribus subditi estote, om
nes inter uos mutuo subiecti. Humilitate insinuemi-
ni, proterea quòd Deus superbis resistit, humilibus au Iacob.4.e
tem dat gloriam. humiliemini igitur sub potenti manu
Dei, ut uos exaltet in tempore, omni cura uestra in Matt. 6.c
ipsum iecta: eo quòd ipsi cura est de uobis. Luc.12.c
Psal.54.b

Insinuemini quod Græce inquit ἐγκομβώσασθε id est inuoluamini, induamini. In tempore, autē addidit, vt de exaltatione quæ in futurum tempus fit, intelligat: quæ vel sola exaltatio est, cum non mutetur, sed in perpetuum duret. Quę vero hic fit, cum instabilis sit, & caduca, semper sibi succedentem humiliationem habet, vt citius quandoque quàm exaltatus quispiam sit, in humiliationem delabatur. at ex humiliatione altitudinem & sublimitatem comparari ipse Domi- Luc.14.c
nus certus sponsor testatur, cū inquit: vnusquis- &.18.c
que qui se humiliat, exaltabitur, & qui se exal- Marc.23.b
tat, humiliabitur: & qui vult primus inter vos Mat.20.d
esse, sit omnium vltimus. Cum igitur inquit (in Mar.10.f
tempore,) in futurum ex humiliatione exaltatio Luc. 22. c
nem promitti significat: quippe cum inuariabilium rerum tempus in futuro & incorruptibili seculo sit. cum enim incorruptibile illud sit, nihil mortale & caducum in se habet. Deinde vero vt timorem omnem ex humiliatione hac auferat: fortasse enim vereri aliquos videbat, ne si in hac vita se ipsos humiliarent, mali aliquid paterentur: iccirco subiungit: ne timeas, curam omnem Psal.54.d
& sollicitudinem tui in Dominum conijce, nam

si id feceris, prouido ac fido ꝓcuratori te ipsum commiseris: ipsi enim cura est de his omnibus.

Roma.12.c Psal.54.d *Sobrij estote, uigilate, quia aduersarius uester diabolus tanquàm leo rugiens obambulat quærens quem deglutiat.*

Eos qui intellectualiter dormire, id est, uanis rebus oscitanter uacare consueuerunt, atque inde sobrietatem animæ aggrauant, praua ac molesta desperationis fera inuadit. Id quod euitans Christi discipulus monet, vt vigilemus semper, Mat.13.d & zizaniorum seminatorem caueamus, ne forte dormientibus nobis, id est, negligenter & ignaue viuentibus malas cogitationes latenter inserat, atque a vera vita nos seducat. non enim cessat, inquit, sed tanquàm leo rugiens circuit quęrens quem deglutiat. Harum diaboli absque vlla intermissione insidiarum & assiduarum eius contra nos versutiarum causam afferens etiam sanctus martyr IVSTINVS, Diabolum inquit ante Domini aduentum suæ pœnæ uim non ita certo nouisse, cum diuini prophetę obscure & ęnigmatice loquuti de ipso fuerint. sicut uidere licet in Esaia, qui sub persona Assyrij totam Esa.14.b c.d eius tragediam agendo occultauit. Vbi uero ex Domini aduentu repositum esse ac paratū ętermat.25.d num ignem diabolo & angelis eius manifeste audiuit, ex illo uero tempore nō cessare eum inquit, ab insidijs Christi fidelibus inferendis: dū multos suæ defectionis habere socios uult, ne solus eius condemnatione dedecoretur: uana hac et

inuida consolatione suffultum.

Cui resistite solidi fide, scientes easdem afflictationes fraternitati uestræ quæ in mundo est, perfici.

Cui etiam uos solido ac firmo animi proposito resistite. Hi autem ad quos Petrus scribit, ut uidetur, multis ob Christum calamitatibus affligebantur: iccirco etiam subinde hinc & inde cōsolari eos conatur: dum modo sicut socij sunt Domini passionum, ita glorię quoque quæ reuelabitur, futuros hæredes ait: modo nō solos eos pati, sed omnes qui in mundo sunt fideles, ijsdem afflictationibus affici asserit. quippe cum sociarum manuum admotio in subleuando pōdere multū conferre consueuerit.

Deus uero omnis gratiæ qui uocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, paululum passos ipse uos instaurabit, firmabit, corroborabit, & stabiliet. Ipsi gloria & Imperium in secula seculorū amē.

In principio etiam epistolæ patrem dixit per filium misertum nobis fuisse: & nunc in calce eundem patrem per filium uocasse inquit. Hic enim ipsis scopus est, ut mysterium prædicent, quo quo modo, etiam si admonendo id faciant.

Per Syluanum uobis fidelem fratrem, ut arbitror, paucis scripsi, adhortans, ac testificans hanc esse uerā gratiam Dei in qua statis. Salutat uos quæ in Babylone est simul electa ecclesia, & Marcus filius meus. Salutate uos mutuo in osculo charitatis. Pax uobis

omnibus, qui in Christo Iesu estis. Amen.

Fidelis admodum erat Syluanus hic, & circa prædicationem alacriter certabat: siquidē Paulus etiam eius meminit, et socium secum cum Timotheo in epistolis assumit, dum inquit: Paulus
1.Thes.1.a & Syluanus & Timotheus ecclesiæ Thessaloni censium &c. Babylonem autem hic Romam vocat ob excellentiam imperij & claritatem, id qđ olim multo tempore Babylon obtinuit. Marcū vero filium suum spiritu, non carne appellat: cui euangelium quoq; scribendum commisit. Nonnulli tamen sunt, qui Marcum carnalem etiam filium diui Petri asserere non dubitent, eo argumento vsi, quòd in gestis Apostolorum
Act.12.c Lucas inquit, Petrum e carcere in quem coniectus ab Herode fuerat, mirabiliter ab angelo Dei eductum, vbi ab eo dimissus fuit, ad domum matris Ioannis qui appellaretur Marcus, profectū fuisse: quasi in domum suam, & ad legitimam
1.Cor.16.d coniugem redierit. Cum Paulus autem scribat, vt in osculo sancto salutentur, hic in osculo charitatis inquit, idem diuersis verbis significans:
1.Cor.13.b quippe cum etiam Paulus charitatem in Christo maiorem cæteris virtutibus, quin etiam martyrio ipso esse cognoscat. Ille igitur osculum sanctum, osculum in Deo segregatum appellat: hic osculum charitatis, verę scilicet charitatis, quā Paulus etiam celebrat. Vnde etiam subiungit (pax vobis omnibus qui in Christo Iesu estis) nō de communi pace hominum intelligens, quā vt affectibus incumbant, homines procurant, quo

quo videlicet frui voluptatibus vanis, atq; inani gloria possint, quibus cum à bello vacant, se se dedere consueuerunt. Sed pacem eam cōsequi ipsos optat, qua quoque magister Christus cum ad passionem abiret, dignos ipsos existimauit,
Ioan.14.d pacem, inquiens relinquo uobis, & subiungens differentiā, nō quo mō mundus dat. non enim vt fruamur delicijs & cupiditatibus, pax habenda est: sed vt colligati in charitate omnes aduersarij nostri ictus retundamus. Vbiq; autem Discipuli votum in fine quasi signaculum imponentes, quod proprium suæ ipsorum sanctitatis est, subiungere consueuerunt.

Primæ epistolæ catholicæ Petri finis,
Roma scriptæ.

PETRI CATHOLICAE EPISTOLÆ SECUNDÆ ARGUMENTUM.

IDEM hanc quoque ijs qui iam crediderāt, scribit, quæ cōmemorationē eorū quæ superius dixerat, cōtinet. cum enim celerem sibi ex hoc corpore solutionem futuram esse cognosceret, cōmonefacere omnes studebat de ijs quæ iam fuerant instructi. Ac primum fidem a prophetis fuisse annunciatam inquit, & prophetias de Saluatore humanas non esse, sed à Deo, declarat. Deinde monet ne deceptoribus animum aduertant, perniciem eorum non secus atq; angelorum qui peccauerunt, futurā asserens: prædicitq; tempus futurum quo illusores venient, & inducę

re in errorem homines conabuntur, dum dicent aduentum Domini inaniter iactari, propterea quòd cum semper dicatur, nondum tamen aduenerit: quos quidem maxime cauendos præcipit, docens non esse negligenter ita tempora supputanda, cum omne tempus nihil ferè sit apud Deũ, sed unus dies mille anni, et mille anni unus dies apud ipsum habeat: nã nõ tardare Dñm sed inopinato aduẽturum: ad cuius aduentum bonis operibus sese vt præparẽt, adhortat: scriptisq; a Paulo apostolo acquiescant, neq; attendant ijs qui ea calumniantur, & deprauant: cũ idẽ toti diuinæ scripturæ facere consueuerint. neque a proposito fidei scopo decidant. atque ita finem epistolæ facit.

Capita Petri epistolæ secundæ.

De vocatione in fide quæ operibus virtutis rata fit spe futurorum bonorum. Commonitio doctrinæ post solutionem sui a corpore: quo pacto in monte Thabor Dei de filio vocem audiuit. Cap. 1

Prædictio fraudulentæ hæreticorum illusionis, deque eorum impietate, & futuro supplicio. Cap. 2

Resumptio de prauitate hęreticorũ hominum: vbi ait in consummatione huius seculi inopinato Christum aduenturum: vt ad eum omni virtute præparari debeamus. Cap. 3

PETRI EPISTOLA CATHOLICA SECVNDA.

De vocatione in fide quæ operibus virtutis rata fit spe futurorum bonorum. Commonitio doctrinæ post solutionẽ sui a corpore: & quo pacto in mõte Thabor Dei de filio vocem audiuit. Cap. 1.

SIMON Petrus seruus, & Apostolus Iesu Christi, ijs qui æqualem nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia Dei nostri & Saluatoris Iesu Christi: Gratia uobis & pax multiplicetur.

SIMON legitur, & Simeon. Simon enim Simeonis est diminutiuũ: sicut Metrodori Metras, & Menodori Menas, & Theodosij Theudas. Statim ab exordio spiritus & animos eorum qui crediderunt, extollit, & ad æquale studium cum apostolis prædicãdi incitat. qui enim æqualem gratiam sortiti sunt, digni non sunt vt aliquo. ex ijs in quibus æquales extitere, defraudentur. Vbique autem pacem ipsis optat, non quidem mundi pacem, sed eam quæ in cognitione Dei consistit. ea siquidem sola pax est, vtpote quę ab offensione in Deum & inimicitia nos liberet. Vnde etiam Christus hãc nobis cum ad patrem discederet, exhibuit: & cum à mortuis surrexisset, pax vobis, clamauit. Quin etiam in ecclesiis nos angelũ pacis dari nobis precamur: & sacerdos sæpenumero de sancto altari hãc po

Ioan. 14. d
Ioã. 20. c. g
Luc. 24. f

pulo exhibet: & nos in mutuis salutationibus hac uti consueuimus: propterea q̃ ea & bonorũ omnium mater, & gaudij nostri fundamentum est. Iccirco etiam Dominus discipulis suis, vbi in domum aliquam ingrederẽtur, exhibere eam præcepit. Mat.10.b Luc.10.a

In agnitione Dei, & Iesu Domini nostri: utpote cum omnia diuina potentia ipsius, quæ ad uitam spectant & pietatem, nobis donauerit, per agnitionẽ eius q̃ nos uocauit p̃ gloriã & uirtutẽ: p̃ quæ pretiosa et maxima promissa donata nobis sunt, ut per ea diuinæ naturæ participes efficiamini, cum a corruptione mundana quæ in cõcupiscentia est, effugeritis. & hoc ipsum studio omni adhibito subministrate in fide uestra uirtutem, in uirtute cognitionẽ, in cognitione continẽtiam, in continentia patientiam, in patiẽtia pietatẽ, in pietate fraternum amorem, in fraterno amore charitatem.

Ordo est, gratia vobis & pax, vtpote cũ omnia quæ ad vitam spectant & pietatem in agnitione Dei & Iesu Domini nostri diuina ipsius potentia: id est per diuinam eius potentiam gratia hæc nobis donauerit, agnitionẽ eius, gloriã, virtutem: per quæ maxima promissa donata nobis sunt: vt cum à corruptione mundana effugeritis, quæ ex cupiditate existit, diuinæ naturæ participes efficiamini. Vel hoc modo: vobis qui in agnitione Dei & Iesu Domini nostri æqualẽ nobiscum fidem sortiti estis per iustitiã Dei nostri, gratia & pax multiplicetur. Vel ita: in agnitione Dei & Iesu Domini nostri, quæ quidem agnitio per diuinam eius potentiam omnia quæ ad vitam spectãt & pietatẽ, donauit, per ipsam inquam agnitionẽ eius qui nos vocauit per gloriam & uirtutem, per quam gloriam & virtutẽ preciosa & maxima promissa data sunt: vt diuinæ naturę participes efficiamini, dum mundanæ concupiscentiæ corruptionem effugeritis: sed etiam hoc ipsum, id est in hoc ipsum studiũ omne conferentes subministrate in fide virtutem, in virtute cognitionem &c. Sensus autem est huiusmodi: Cũ innumerabilia dona acceperimus ex aduentu Christi, quibus & diuinæ naturæ fieri participes possumus, & ad vitam & pietatem attolli: ita nos gerere debemus, vt fidei virtutem subministremus, ac per virtutem ad pietatis profectum progrediamur, quoad in perfectum omnium bonum deuenerimus, quę est charitas. Diuinæ vero naturę participes ex Domini & Dei aduentu effecti fuimus: cum ipse naturæ nostræ primitias in se assumpserit, & assumendo sanctificarit. nã si primitiæ sanctæ sunt, massa quoque ipsa sancta est. massa autem primitiarum nihil aliud est, quàm illi ex quibus sumptæ primitiæ sunt. corruptionem autem quæ ex mundana concupiscentia existit, propterea ait, quia & ex corruptibilibus constat, & circa corruptioni obnoxia mundana cõcupiscẽtia versatur. Gradus progressionis & profectus ita facit. primum gradum fidem esse statuit, quæ bonorum omniũ stabilimẽtũ est ac fundamentum: secũdum, vir- Roma.11.c Col.2.a

Iacob.2.d tutem, id est opera, sine quibus, vt Iacobus inquit, fides mortua est: tertium, cognitionem: sed quænam hæc est cognitio arcanorũ Dei mysteriorum scientia: quæ non cuilibet aduenit, sed ei tantum, qui ex operibus præstantioribus per habitum exercitatos sensus sibi comparauit. Post

Heb.5.d hæc continentia subsequitur: quippe cũ hac quo

Ephe.4.b que ei opus sit, qui ad mensuram & modum cognitionis iam peruenit, ne doni magnitudine insolens euadat. Quoniam vero fieri non potest, vt parum vsus quispiam continẽtia firmum ac stabile donum acquirat: solent enim semper affectus, cum à cohibente & coercẽte liberi euadũt, in peius ferri, ac profundi: patientia subintrans rem omnem absoluit, & perfectiorem erga Deũ obedientiam reddens pietatem nobis conciliat. Postea pietati fraternus amor accedit, qui sanè non accessisset, nisi pietas gradum ad benignitatem erga omnes nobis supposuisset. Postremo omnium succedit charitas, ut Paulo & veritati

Rom.13.e videtur, bonorum omnium cõsummatio ac per-

1.Cor.13.a fectio: quippe quæ & Dei filium quoq; , & eius

b.c. patrem induxerit, hũc ut dilectum filium suum daret: illum, vt sanguinem suum pro nobis effunderet.

Hæc enim cum uobis insunt, et abũdant, non ociosos, neque inefficaces ad Domini nostri Iesu Christi cognitionem uos reddunt. Cui enim hæc non adsunt, cæcus luscioſus est.

Hæc, quænam ẽ fides, virtus, cognitio, continẽ

tia, patientia, pietas, amor fraternus, charitas, quæ profectò non ad esse tãtum modo, sed abundare etiam debent. nam si præsentia iuuat, multo maiorem abundantia ipsorum vtilitatem afferet. Sed quę vtilitas est, quę ex ipsis euenit? ea nimirum, vt in secundo Domini aduentu fiduciã habeamus. qui enim hæc non habet, ei cum in gloria iudex aduenerit, & tãquam sol fulgurauerit, cæcitas oborietur. quandoquidem etiam si valenti visu præditus esset, neq; ita quod supra modum fulget, absq; turbatione posset inspicere: cum natura comparatum sit, vt lumen quod supra modum splendet aciem eorum obscuret, qui in id oculos imbecilliter intendunt. Luscioſum autem esse ideſt μυωπάζειν nihil aliud significat q̃ cęcutire ἀπὸ τῶν μυῶν: id est à muribus qui sub terra degunt, qui cæci in perpetuum sunt.

Purgationis ueterum suorum peccatorum obliuione inductus. Quare fratres magis studete, ut firmam uestram uocationem & electionem faciatis.

Hoc simile ei est quod à beato Iacobo dictũ est. si quis auditor verbi & non effector, is simi- Iacob.1.d
lis viro est, qui faciem generationis suæ in speculo contemplatur. contẽplatus enim seipsum est, & abijt, & statim oblitus est, qualis erat. Sic etiã iste cum cognouerit, dum purgatus fuit sancto baptismate, se multitudine peccatorũ fuisse ablutum ac liberatũ, & ex ea ablutione sanctitatem se accepisse: cum deberet sobrie agere, & dare operam, vt perpetuo sanctificationem sibi con-

Heb. 12.d seruaret, sine qua Dominum videbit nemo: ipse obliuioni hoc mãdauit. Quare, inquit, fratres magis studete, vt stabilem atque immutabilem vocationem vestram atque electionem reddentes, id est institutionis atq; instructionis verbũ, quod ex electione vestra & vocatiõe audiuistis, irreprehensibiles sitis: ne quasi obliti verbi Dei iudicemini, sed in firma vestra vocatione permaneatis.

Hæc enim facientes non errabitis unquã. Ita enim abunde subministrabitur uobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi.

Hęc, quænam? quę antedicta sunt: id est virtutem, cognitionem, continentiam, & quę sequuntur. Vide autẽ quo modo prius ab horribilibus rebus, id est à tribunali iudicis eos adhortatus, nunc ex bonis, hoc est ab ingressu in æternum regnum Domini eos incitet.

Iccirco non negligam uos semper commonere de his, quamuis sciatis, & in præsenti ueritate firmati sitis. Iustum autem existimo, ut quamdiu sum in hoc tabernaculo, excitem uos commonitione, cũ nouerim celerem tabernaculi mei esse depositionem: quemad-
Ioan. 21.f *modum etiã Dominus noster Iesus Christus mihi manifestauit. Dabo autem operam, ut uos etiam semper post meum exitum horum habere memoriam possitis.*

Ne videantur, dum assidue commonefiunt de ijsdem, ignauiæ atq; ocij damnari, atq; iccirco dolore afficiantur: ea de causa subiungit (quamuis sciatis, & in præsenti veritate firmati sitis.) & deinde assiduæ huius commonitionis causam infert, cum inquit se nosse, cito fore, vt ab ipso hoc corpore decedat. Quod sequitur vero, id est, dabo autem operam &c. nõnulli per traiectionem intelligendum censent, vt legamus: dabo autem operam etiã post meum exitum, vt vos semper & assidue horum memoriam habeatis: atq; ostẽdere hinc volũt, sanctos viros post mortẽ quoq; horum qui hic sunt recordari, ac pro viuentibus intercedere. Sed alij tamen simplici modo ita interpretantur: Dabo operam, vt semper vos etiã post meum exitum horum memoriam habere possitis. quasi dicat, ne miremini, neque grauiter feratis, si assidue vos de ijsdem commonefacio: non enim id ago, propterea quòd tarditatis atq; imperitiæ vos damnem: sed vt assidua de his doctrina stabilẽ atque immutabilem perceptionem in animos vestros inducam: qua confirmati post meum quoque vitæ obitum insita atque indelebilia huiusmodi documenta habeatis.

Non enim cõmentitias fabulas sequuti uobis Domini nostri Iesu Christi uim & aduentum manifestauimus, sed magnificentiæ illius inspectores effecti.

Cum dixerit debere ipsos studiose se gerere et diligenter, erga ea videlicet quæ ab ipso fuerunt annunciata: cumque de his longam orationem produxerit, & sæpenumero licet scientes & percipientes varijs modis monuerit: nunc confirma

tionem ipsorum subiungit: atq; inquit, non frustra se de his diligentiam præ se ferre: sed eatenus ea persequi, quatenus certissima ac verissima cognitione percepit. Non enim sapientia se humana vtendo, & ornata oratione decipiendo vim Domini & aduentum manifestasse ipsis asserit. Id quod & Græci faciunt & hæretici: dum illi fuco orationis, hæretici figmentis auditores captant ac fallunt. Quemadmodum Valentiniani, qui profundum & silentium prodigiosis fabulis introducebant. Nam verisimile est eo tempore ipsos iam suboriri incepisse. Nihil, inquit, huiusmodi in nobis deprehendi potest: quippe cum
1.Cor.2.a simplici oratione doctrinam hãc apud vos exercuerimus: id quod etiam Paulus ad Corinthios scribit: atq; ea vobis tradiderimus, quæ cum in montem sanctum simul cum ipso ascẽdissemus, inspectione ipsa percepimus. intelligit autem de gloria ab vnigenito ipsis in transfiguratione demonstrata, & de voce, quam a patre de cœlo emissam ob Dominum audiuerunt, vt sequendo declarat, cum inquit.

Mat.17.a *Accipiens enim a Deo patre honorem et gloriam, uoce ipsi delata a magnifica gloria huiusmodi: hic est filius meus dilectus in quem mihi complacitum est. et hanc uocem nos audiuimus de cœlo delatam, cum in monte sancto cum ipso essemus.*

Vel participium hoc (accipiens) pro verbo (accepit) positum est: propterea quòd ad participium consequutio orationis minime respondet:

Vel si pro participio ,pprie sumere hoc quispiã velit, necesse omnino erit, vt inconstructa oratio efficiatur: sed si (accipiẽs) pro (accepit) sumamus apte omnia respondebunt, in hunc modum. Accepit enim a Deo patre honorem & gloriam voce ipsi delata a magnifica gloria, & propterea habemus certiorem propheticum sermonẽ &c. Testimonium autem a patre filio ter exhibitum est, in baptismate: in passione, cum dixit, glorifi- Matth. 3.d
caui, & rursus glorificabo: & in monte: de quo Ioan.12.d
nunc hic loquitur. Matt. 17.a

Et habemus certiorem propheticum sermonẽ: cui bene facitis attendendo tanquam lucernæ lucenti in squallido loco, quoad dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus uestris. illud primum scientes, omnẽ scripturæ prophetiam priuatæ solutionis non esse. Nõ enim uoluntate hominis allata aliquando est prophetia, sed spiritu sancto acti sancti Dei homines loquuti sunt. 2.Tim.3.d

Propterea quòd, inquit, ex rebus ipsis & experientia cognouimus quæ a prophetis fuerunt prænunciata, certiorem omnem eorum prophetiam habemus: non quòd de voce a patre de cœlo demissa prophetia aliqua sit: sed quia ex voce patris quæ de filio testificata est, confirmati sumus, & certo credidimus omne prophetarum vaticinium stabile ac sine vlla controuersia verum esse. ex his enim certiorem esse eorum prophetiã iudicamus: quippe cum res verba ipsorum fuerint consequutæ. Iccirco etiam vos recte facitis,

dum prophetiæ attenditis, id est ijs quę a prophetis fuerunt prædicta, licet tunc obscura haberentur, & similia lucernę, quæ in caliginoso loco incenditur. Squallidus enim & siccitate affectus locus, caliginosus & obscurus esse consueuit, propterea quòd dum calore solis succensus humore qui aeri formam dat, priuatur, aerem ipsum radiorum solarium ministrum ineptum ad ei ministrādum necessario efficit, vtpote qui in discrimen veniat, ne propriam suam qualitatem amittat. Vnde fit, vt quasi per peregrinum vehiculū radius delatus obscuram quandam lucem emittat. Attendendo igitur, inquit, ijs quæ ita obscure a prophetis dicta sunt, spe non frustrabimini. nam cum res suo quęq; tempore aduenient, quas diei nomine significauit, apte admodū in translatione persistens: Dixit enim lucernam, & locum squallidum, id est caliginosum, & tenebrosum, quæ quidem nox est, noctem autem omnem dies subsequitur: cum dies igitur, inquit, aduenier, id est rerum ipsarum præsentia, habebitis orientem luciferum in cordibus vestris, hoc est Christi cognitionem, & aduentum eius a prophetis prænūciatum: qui tanquam lux vera corda vestra illustrabit. Deinde vt ostendat, cur prophetæ ea quę dixerunt, non sint interpretati, distinguatque prophetiam veram a ficta ac dæmoniaca, quæ inter hæreticos exerceri deprehenditur: omnem prophetiam scripturæ inquit, priuatæ solutionis minime esse: hoc est prophetas a Deo quidē accipere prophetiam, non tamen vt ipsi volunt, sed vt qui eos mouet, diuinus spiritus operatur: ac

nouisse quidem ipsos atq; intellexisse propheticum sermonem qui ipsis demittebatur, nō tamē solutionem etiam eius fecisse. Nam prophetas qui diuino spiritu afflabantur, nouisse ea quæ a Deo dicenda ipsis mittebantur, inde perspicuum est, quòd sponte exequebātur, & quod volebāt, id loquebantur, id subticebant, quod nolebant. Id quod in Iona & Balaam videre licet. quorū alter denunciare Niniuitis vaticinium nolebat: alteri pręceptum est, vt ea diceret, quæ ipsi suggererentur. At falsis prophetis, aut Græcorum oraculis minime idem contingebat. non enim compotes mentis erant, dum futura predicebāt, sed furore oppressi atq; agitati, non secus atque ebrij, quæ agerent, ignorabant. Sancti vero Dei prophetæ, id est veteres quamuis cognoscerent omnia, non necesse tamen habuerunt sua interpretari, sed alijs, id est nobis ea interpretanda postea sumministrarunt. Id quod etiam ea dispensatione contigit, vt Domini aduētus lateret, ne ab impijs obseruatus insidijs appeteretur. Nā licet ob immensam Dei potentiam ex quibuslibet insidijs elabi potuisset, verisimile tamen fuisset, vt cum interdum incredibili quodam modo atque admirabili elapsio ea fieret, humanitatis assumptæ mysterium prodigiosum quoddam esse videretur. Hoc verū esse inde patet, quòd prophetæ noui testamenti cum prophetabant, se ipsos interpretabantur, etiam si non prorsus: vt diuus Paulus in priore ad Corinthios inquit: quippe cum in nouo testamento suspicio nulla huiusmodi fuerit. Nam quòd sancti hi prophetæ non mē

Ion.1.a

Num.22.d

1.Cor.14.a

te exturbati vaticinari consueuerint, illud quoq; argumento est: quòd cum vno & eodem spiritu
1.Cor.14 f tam in veteri quàm in nouo testamento omnes vaticinentur, Paulus, inquit, si alteri sedenti reuelatum fuerit, prior taceat. hinc enim sanè in naturali statu constitutos prophetas & mentis compotes sponte prophetasse, satis constat, propterea quòd cum alter afflatus fuerit & surrexerit, priori qui loquebatur, mandatur vt taceat. Id quod in furentibus & insanientibus esse nullo pacto potest. quo modo enim tacebit, qui neque quid agat, cognoscit? Quin etiam spiritus sancti esse operationem in prophetis idem Paulus
1.Cor.12.a b. declarat, cum inquit: & diuisiones operationum sunt, idem tamen qui operatur omnia in omnibus. vnicuiq; autem manifestatio spiritus datur ad id quod confert. alteri enim per spiritum sermo sapientiæ datur: & post nonnulla, alteri prophetia. Tametsi etiam ex ijs idem confirmetur, quæ superius producta sunt.

Prædictio fraudulentæ hæreticorum illusionis, deque eorum impietate, & futuro supplicio.
Cap. II.

FVERVNT *autem etiam falsi prophetæ in populo, quemadmodum quoq; inter uos erunt falsi doctores, qui sectas perditionis subintroducent, etiam qui eos redemit Dominum negantes, inferentes sibi celerem perditionem, & multi perditiones eorum sequentur: propter quos uia ueritatis maledicetur, & in usurpatione fictitijs uerbis uos mercabuntur. quibus*
Iob.4.d *iudicium iamdiu non ociatur, & perditio ipsorũ*

non dormitat.

Cum prophetiæ nomen communiter, & de prophetis & de falsis prophetis dicatur, confirmat nunc ipsos ne falsis prophetis attendãt. quid autem sit quod distinctionem inter ipsos faciat, Paulus docuit, vbi dixit, nemo dicit Dominum 1.Cor.12.a Iesum nisi in spiritu sancto. Hinc autem contra Nicolaitarum hæresim iuuehi incipit, duplicem ipsorum malignitatem taxans. Sunt enim & in dogmate quod ex maledictis contra Dominum Christum composuerunt, maxime impij, & in vita impurissimi. Atq; hoc quidem nunc ex turpi lucro manifestat, paululum tamen progressus apertius rem declarabit. Vsurpationẽ vero nũc turpe lucrum appellat. Vsurpatio enim, id est πλεονεξία, modo iniustitiam, modo lvcrum significat. vnde accommodate ad rem verbum (mercabuntur) subiungit. Porrò a diuina doctrina prorsus esse ipsos alienos ostendit, cum fictitijs verbis vti eos innuit. sed habebũt, inquit, impietatis suæ stipendium mortem. Iudicium enim & condemnatio his non ociatur. i. non ociosa erit, atque irrita: sed iamdiu ab antiquo tempore, id quod præcognitionẽ Dei significat, parata ipsis est. Sicut enim ex præcognitione bonis bona, ita impijs & malis conuenientem ipsis locum præparauit. Ordo autem est, qui inferentes sibi celerem perditionem subintroducent sectas perditionis, etiam qui eos redemit Dominum negantes &c.

Nam si Deus angelis qui peccauerant, non perpercit, sed catenis caliginis in tartarum deiectos tradidit

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad iudicium reseruandos: & prisco mundo non peper
Gen.7.a *cit, sed octauum Noe iustitiæ præconem cum diluuium*
mundo impiorum induxisset, custodiuit: & urbes So-
Gen.19.b *domorum & Gomorræ in cinerem redactas subuer-*
sione condemnauit, in exemplum ijs qui impie acturi
essent, constituens: & iustum Lot oppressum a nefa-
riorum in libidine cõuersatione liberauit. Visu enim
& auditu iustus his habitans inter ipsos in dies animã
iustam iniquis operibus examinabat. Nouit Dominus
pios e tentatione eripere, & malos in diem iudicij pu-
niendos reseruare.

Si enim Deus neque angelis qui peccauerunt, neq; prisco mundo pepercit, sed vrbes Sodomorum & Gomorrę in cinerem redactas submersio
Gen.19.c ne condemnauit, & in exemplum omnibus qui post ipsos impie erant acturi, posuit: Noe vero
Gen.7.a iustitię pręconem a diluuio quod mundo impiorũ induxerat, seruauit. & Lot ab impijs oppressum & defatigatum, quãdo scilicet hospitio ex-
Gen.19.d ceptos angelos Sodomorum viri efflagitabant, & ad imitationem impiarum ipsorum actionũ quotidie incitatum, & per abstinentiam, & cõtinentiam examinatum liberauit: non ne multo magis etiam hoc tempore ipsos hos scelestos, quémadmodum transgressores angelos, & qui tempore diluuij fuerunt, & Sodomitas perdet ac destruet? et vos qui cum istis in mundo incolitis, sicut Noe & Lot qui tunc cum impijs cohabitabant, seruabit? Ita sanè faciet: negabit nemo. Nouit enim Dominus, & pios è tentationibus

bus eripere, & malos in diem iudicij puniendos reseruare. Vide autem, cum superius exemplum de maleficis prępositisset, nũc iustos anteponit, vt per id æmulos iustorum soletur: q impijs anteponãtur. Vnde etiã Christus prius iustis: id est qui à dextera erant, agnis dat pręmia, deinde hę Matth. 25.
dos à sinistra pœnis ac supplicijs adiudicat: qp- c.d.
pe cum iucunda tristibus & molestis soleãt præferri. A pręstantioribus autem & honoratioribus argumentum sumit. inquit enim, si neq; hi qui ob substantiæ incorruptibilitatem angeli in honore apud Deum erãt, neq; homines qui proxime ad creationem & formationem suam accedebant, ubi peccauerunt, uenią consequuti sunt, multo magis neque his peccantibus parcet Dominus. Cum vero inquit (catenis caliginis) ineuitabilem damnationem ipsorum significat, e qua effugere, atq; elabi nullo pacto possint. huiusmodi enim vinculis qui a nobis penitus condemnãtur, constringi consueuerũt. Sed vnde dicet quispiam hæc dæmonum damnatio manifesta est? ex ipsis profectò dæmonibus: qui in euangelio vide Luc. 8.a
licet rogant, ne in abyssum demittantur: quasi id cæteri omnes paterentur. Aduertẽdum autem est, ex conditione & suppositiue argumentationem hanc fuisse productam, non tamen postea ita etiam absolui: quippe cum non habeat, quod ad conditionem referatur, ac respondeat. Vnde figura tantummodo argumentatio huiusmodi proposita est, re autem vera est exemplaris probatio simplex. Cur ita sit, dicam. Si enim ex figura esset, ita ꝓcessisset: Si enim angelis qui pec-

cauerunt, si prisco mũdo, si Sodomis & Gomorrę non pepercit, nũquid his parcet? nullo modo. Vel hoc pacto: si illis non pepercit, his etiã prorsus non parcet. Non simpliciter autẽ à pręstãtioribus & honoratioribus argumentatur, sed, vt peccantes magis pœnæ obnoxios esse ostendat. Quoniam enim etiã isti præstatiores in eo sunt, quòd vocati ad apostolatum à diuina via deflexere, maiore quoque condemnatione digni quàm cæteri habentur. Cum vero ex suppositione propositionem hanc exemplarem proposuerit, non reddidit quod ex figura consequi oportebat. iustorum enim assumptione exemplũ confudit: & cum deberet ei quod a principio propouerat: id est eorũ qui peccauerant, ob quos exẽplum adductum est, redditionem subiungere, & dicere: Si illis non pepercit, nũquid præsentibus his flagitiosis hominibus parcet? vel per negationem, multo magis neq; his parcet: non id facit. Quam ob rem? propterea q; videlicet redditio hęc duobus propositis exemplis bonorum et malorum, vni tantum malorum erat respõsura. Vbi igitur vna redditione proposita res absolui non poterat, loquutione alio modo vsus est, & per acclamationẽ cum inquit, Nouit Dominus &c. quod debebat inferri, exequutus est. Cur autem malis bonorum exempla adiunxerit, suo loco dicetur. ALITER. Sicut superius diximus, non secundum figuram orationis quæ videtur, sententia quoq; ipsa subsequitur: non enim redditio subiungitur, quę respondere huiusmodi constructionibus cõsueuit: sed simplex exempla

ris probatio est eorum qui & ob peccata puniũtur, & ob iustitiam pręmium consequunt: perinde ac si ita dixisset. Nouit Deus & eos qui peccant, irrefragabili damnatione punire, sicut angelos qui peccauerunt, sicut homines tẽpore diluuij, sicut Sodomorum vrbes: Nouit item econtrario eos pręmijs afficere qui iustitiam exercẽt, quemadmodum Noe & Lot. Ac connexio sentẽtiæ huiusmodi est: Quia dixerat falsos doctores ob maledicta in Deum, & impuram vitam esse puniendos, exempla subiungit. Deus enim neq; angelis peccantibus, neq; prisco mũdo pepercit. neque vrbes Sodomorum perniciẽ effugere potuerunt, sed in cinerem redactæ exemplo impie agentibus sunt. Et rursus Deus eos qui iustitiam exercent, honore ac præmio afficit, vt Noe & Lot. & qualem ob iustitiam vterq; salutem adeptus fuerit, explicat, cum inquit Noe & Lot ob temperantiam & continentiam a pernicie aliorum hominum fuisse ereptos. Nam & Noe impietatẽ hominũ qui ante diluuium fuerũt, sequutus non est: & Lot nihil æmulatus impura Sodomitarum flagitia, sed cum in dies semper libidinose agentium inspectione quasi stimularetur, & ad ipsa flagitia incitaretur, nunquam succubuit: hoc enim est quod inquit (visu & auditu &c.) cum enim multa haberet, quæ ad libidinẽ & impuritatem ipsum incitarent, visionem, auditionem, consuetudinem cum scelestis hominibus & conuersationem, purum se & mundum conseruauit. sed neq; hospitio exceptos angelos in specie hominum, ad libidinem ipsos exposcen

tibus præbuit, licet à nefarijs his multis atq; innumerabilibus contumelijs afficeretur. id quod significat, cum inquit (oppressum & defatigatum.) His vero postea quasi acclamationē subdit, Nouit Dominus, inquiens, pios è tentatione eripere &c. Cæterum aduertendum est cum nihil ante dixisset de iustis, sed de solis impijs, & eorum pœna, postea tamē iustorum exemplum interseruisse: primum propterea quòd historia quoque & de impiorum pernicie, & de iustorū salute mentionem facit: Deinde vt ex comparatione horum & peccantium vitium deprimat, & recte agentium virtutē extollat atq; illustret: Postremo etiam vt auditores inducat, vt & illorum scelera ob pœnas odio prosequātur, & piorum recte facta ob salutem amplectantur, atque appetant. Vnde etiam in acclamatione vtrorūq; mentionem fecit, piorum & impiorum, salutis & pœnę: quo videlicet impiorum vitia detestentur, virtutem piorum æmulentur.

Maxime uero illos qui post carnem in concupiscētia inquinationis ambulant, & dñationem cōtemnūt.

Hic a prioribus exemplis apte ad præsentem rem deuenit. intelligit autem de scelestis ac detestabilibus Nicolaitis, seu Gnosticis, seu Naasenis, seu Cerdonianis: multis nominibus enim uitium illorum cēsetur: & sicut scelestis operibus, ita nominibus quoque confusum atque inquinatum deprehēditur. Hi enim sicut etiam antea diximus, profundum & silentium prima mundi constitutionis initia constituentes, ex his matres

& secula prodigiose commentabantur: quemadmodum etiā Marcio malis seminibus hinc sumptis fabulatus est: Deinde per hæc a mundi opificio et prouidentia dominationibus expulsis, in omnem libere carnalem immunditiam profusi sunt. De quibus si quis plura cognoscere cupit, IRENAEI Galli beati hominis librū legat, quem contra falsi nominis cognitionem inscripsit, ibi enim horum flagitiosas immunditias inueniet, per Marcum maxime perpetratas impurissimum hominem, & quæ ab ipso deceptæ ac corruptæ fuerant miserabiles mulieres.

Audaces, contumaces, gloriā non ueremur maledicere, quando angeli robore & potentia maiores cū sint, non ferunt contra ipsas apud Dominum maledicum iudicium. Isti autem quasi ratione carentia animalia naturalia genita ad captiuitatem, et corruptionem, in ijs quæ ignorant, maledicentes in corruptione sua corrumpentur mercedem iniustitiæ recepturi, quotidianum luxum uoluptatem existimantes.

Subaudiendum est, qui sunt audaces & contumaces &c. Nihil enim absurdum est, vt qui rectorem & creatorem mūdi respuerunt, audaces sint & contumaces. i. αὐθάδεις, hoc est qui quod sibi placet, sequi omnino ac tueri velint, quin etiam maledici, vt inquit, sint. Nam qui ex contemptu dominationem vllam non timent, quid mirum, si omnem gloriam & excellentiam etiā spernunt? Apertius autem de his beatus apostolus Iudas dicet, vbi de Moysis corpore ait. Hic Iudæ.c.ā

enim nunc rem tantum significauit, & simul at que attigit, omisit. Quocirca ex illo sumpta oc casione interpretandorũ horum verborum dici mus, cum inquit, glorias non verentur maledice re, intelligi debere, pro contemnunt, & nihili fa ciunt blasphemare omnem gloriam. deinde vt audaciam circa hæc reprimat, infert: quando an geli robore & potentia maiores cum sint &c. idem quod beatus Iudas inquiens. Nam etiam il le loquacitatem & maledicentiam quorundam castigans eodem exẽplo, sed latius tñ monitionẽ Iudæ.c facit, cum inquit: Michael autem archangelus &c. non ausus est iudicium inferre maledicẽtię. Tale quid etiam Petrus nunc dicit, cum ait, hos miseros nulla ratione habita glorias maledicere: Cum tamen neq; qui potentia & viribus maio res sunt, istis uidelicet flagitiosis hominibus, nõ ferant, id est, non inferãt contra ipsas videlicet glorias maledicum iudicium apud Dominum. atq; huiusce rei testis Michael archangelus est: is enim quia gloriæ cuiusdam particeps est etiã Diabolus, propterea q; principiũ creationis Do mini fuit, contra ipsum maledicum sermonẽ nõ intulit. Et est à maiori argumẽtatio in hunc mo dum. Si diabolus qui dignior est, vt maledicat, quia tamen gloriæ cuiusdam est particeps, à Mi chaele archangelo corã Domino, id non est con sequutus: illi sanè non sapiũt, qui ita temere glo riam omnem maledictis prosequuntur, cum ta men multo post angelorum dignitatem constitu ti sint. Glorias autem vel diuinas potentias, vel ecclesiasticos etiam principatus appellat, aduer

sus quos suilli isti inuehuntur, ac maledicta infer re non desinunt. Atque angeli quidem ita mode ste se gerunt: at isti tanquam bruta naturalia, id est quæ sensu tantummodo, non mente & intel lectu viuũt: vnde etiam à corruptibilibus, id est ab ira & concupiscentia quæ in vita insunt quę corrumpitur atque interit, facile capiuntur. In ijs quæ ignorant, maledicentes: id est spontanea sua ignorantia maledicentes digna ipsis corru ptione corrũpent, mercedem iniustitiæ recepturi, quã spõte sibi compararũt. Voluptatem quo tidianum luxum existimantes: hoc est veram & amabilem lætitiam & voluptatem in quotidia na gulæ fruitione constituentes. Sciendum autẽ est, diuinam scripturam ea quæ hominibus natu raliter. i. quatenus sunt animalia, insunt, quan do vituperat, brutis animalibus solere compara re: quemadmodum cum inquit, Homo cum in honore esset, non intellexit, inter stolida iumẽta connumeratus est. Et, ne sitis sicut equus & mu- Psal. 48.d Psal. 31.c lus. Et, equi in fœminas furentes effecti sunt. Et Hier. 5.c fiatis prudentes sicut serpentes, & synceri vt co Matt. 10.b lumbę. atque id inquit non quòd mutari naturæ possint, fieri. n. id nullo pacto licet: sed ut ad na turales incitationes alias deuitandas, alias sectã das incitet. Quando autem salutare aliquid con sulit ac præcipit, ad superiora cõparationem fa cit, sicut cum inquit: sitis misericordes quemad- Luc. 6.f modum etiam pater vester cœlestis est. Et ne que hic naturam trãsmutadam monet, sed qua tenus vires nostræ patiuntur, ad hęc faciẽda nos hortatur.

Sordes & maculæ, in deceptionibus suis deliciantes, coepulantes uobiscum, oculos habẽtes plenos adulterę, & incessantes a peccato, instabiles animas inescantes, cor habentes exercitatum auaritijs, filij execrationis, qui relicta uia recta aberrauerunt sequuti uiam Balaam filij Bosor, qui mercedem iniustitiæ amauit sed propriæ iniquitatis redargutionem habuit. iumentum mutum hominis uoce loquens prophetæ demẽtiam prohibuit.

Num.22.d

Ordo est: Sordes & maculæ cor exercitatum auaritijs habentes, filij execrationis, coepulantes vobiscum, oculos habentes plenos adulteræ, & indesinẽtes a peccato, animas instabiles inescãt, quas Paulus mulierculas peccatis accumulatas dixit: qui quidem relicta recta via aberrauerunt in viam Balaam filij Bosor &c. Sordes & maculæ) quippe qui nihil in se habeant puritatis, sed quasi sordes in indumento mundo, id est in pura & syncera vita inhærentes, & omnia maculantes, vbi auerterint aliquos a sanctitate, & flagitiosos reddere secum versantes vel viros vel mulieres potuerint, id delicias sibi esse existiment. Quin etiam dum vobiscum coepulantur, nõ ob charitatem id faciunt, & vt salis & mensę communicationem ineant: sed vt occasionem ad decipiendas mulieres nanciscantur. hi enim cum oculos habeãt, nihil aliud quàm adulteras inspiciũt: atq; in hoc sine vllo fine peccantes tanquàm execrationis filij animas instabiles inescãt. cor enim ipsorum ad nullam aliam rem quàm ad auidita-

2.Tim.3.b

tem et auaritiam exercitatum est, hoc est ad pollutionem & pecunias: ob quæ vtraq; relicta via quæ ad salutem deducit, aberrauerunt: non secus ac Balaam Bosor filius, qui ob largitionem amauit iniustitiæ mercedem, redargutusq; suæ iniquitatis est a iumento muto, quod hominis voce loquutum, dementiam prophetæ prohibuit. Atque hinc cognoscere possumus Balaam ex auaritiæ affectu quem furioso suo vaticinio alebat, semel a Deo prohibitum, iterum contentiose ire ad Balac festinasse, & timore Dei, terroribusq; in itinere correptum benedictionis orationem non immutasse: id quod non vaticinij, diximus enim vaticinium, id est, μαντείαν ex furente animo depromi ignorante quid dicat: sed prophetiæ est. Prophetę enim scientes dicunt ea quæ prænunciant. Vnde etiam prophetam ipsum hunc vocauit, vtpote qui sciret ea quæ diceret. non enim si ignorasset, quæ dicebat, in electione præstantiorum perstitisset. Benedictio igitur eius non vaticinij & diuinationis suæ, sed virtutis diuinæ fuit.

Num.22.d

Hi sunt fontes aqua carentes, nubes a turbine agitatæ: quibus caligo tenebrarum in æternum reseruata est. supra modum enim fastuosa uerba uanitatis loquunti alliciunt in concupiscentijs carnis, in impudicitijs eos qui uere aufugerant, eos qui in errore conuersabantur, libertatem illis pollicentes, cum ipsi corruptionis serui sint. a quo enim quis superatus est, ei etiam in seruitutem est redactus.

Iudæ.3.d

Cum multa interposuerit, inter quæ etiam

exemplum Balaam adduxit, redit rursus ad impuros Gnosticos: quos fontibus aqua carẽtibus comparat, vtpote qui vitæ aquam, id est puram prædicationis, & dulcem aquam amiserint: quã cum haberet Dominus, multos qui ad se accederent, saturaturum se esse promittebat. Nubibus quoq; similes esse hos inquit, quæ a vento aguntur, atq; a vento quidem contrario, quem turbinem vocat, quippe qui illud quod impellit, conturbet ac contorqueat: id quod turbinis proprium est. Non sunt, inquit, nubes pellucidæ & claræ, vt sancti viri, sed nebulæ caliginis plenæ: quibus caligo tenebrarum, de futuro autem iudicio intelligit, in æternum reseruatur. curq; id fiat, causam subiungit, quoniam supra modum fastuosa verba vanitatis loquuti carnali concupiscentia in impudicitijs eos qui vere effugerant, alliciunt, & omnino eos qui prius in errore conuersabantur. Quare impudicitiæ, arrogantiæ, & impietatis rei sunt, qui hæc efficiunt. Cumq; ipsi immunditiæ serui sint, quam corruptionem merito appellat, libertatem alijs quos decipiunt, pollicentur, non veræ illam quidem, sed remissæ ac profusæ vitæ libertatem. vnde etiam cur serui sint peccati, rationem subdit: propterea quòd videlicet a qua quis perturbatione vincitur, ab ea in seruitutem etiam redigatur.

Ioan. 4. b
Ioã. 7. f

Psal. 17 b

Nam si cum effugerint inquinationes mundi in agnitione Domini & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superãtur, ultima ipsis peiora prioribus euaserunt. Melius enim ipsis erat si uiam iustitiæ nõ

Ioan. 8. d
Rom. 6. c
Heb. 6. a
Mat. 12. d

agnouissent, quàm ubi agnouerunt, a sancto mandato, quod eis traditum est, auerti. Contigit autem ipsis id quod ueri prouerbij est, canis conuersus ad proprium uomitum, & sus lota in uolutabro cœni.

Pro. 26. b

Duo probat hac oratione, & eum qui alicui affectui succumbit, illius esse seruum: & eos qui post veritatis agnitionem rursus prioribus flagitijs inuoluuntur, in deteriora prioribus mala incidere: Cui rei attestans prouerbium adducit. Est autem tota hæc sententia: Si autem cum agnitione Domini & Saluatoris Iesu Christi inquinationes mundi effugerint, rursus ijsdem impliciti ab ipsis superantur: prorsus etiam ipsis seruiunt, & peiore seruitute quàm ante cognitionem detinentur. cum insidiator noster Satanas id det operam, vt tanto deterioribus inuoluantur, quanto maiore ocio a prauis operibus antea vacauerãt. Iccirco Apostolus inquit, quoniam ad hoc deueniunt, qui malorum recantationem faciunt: melius sanè ipsis fuerat, si non agnouissent, quàm post agnitionem peioribus opprimi. Nam etiam canis qui ad proprium vomitum, id est ad id quod euomuerat, edendum reuertitur, multo est detestabilior: quippe cum quæ natura exosa euomere ac reijcere ipsum coegerat, ea rursus in cibum sumat, & quę corrupta iam sunt, & natura abortũ fecerunt, rursus comedat. Sus quoq; dũ ablui quęrit, si cœno id faciat, sordidior multo quàm prius erat, efficitur.

reconditi igni seruantur in diem iudicij & perditionis impiorum hominum.

Hi sanè omnes sponte ignorant, sponte enim conniuent, & ad veritatem percipiendam cęcutiunt. & quid est illud quod ipsos latet? Cœlos videlicet ante diluuium antiquitus sicut in mundi procreatione apud Moysem est, ex aqua extitisse. inquit.n. ille iussisse Deum in medio aquę
Gen.1.a firmamentum fieri, hoc est firmiorem aquarum subsistentiam existere. Latet etiam ipsos terram simili modo creatoris iussu emersisse, cum prius obruta detineretur: & sicut ex aquis cœlo & terra constante diluuium mundo inopinato superuenit, ita etiam nũc repositum esse, ut per ignem vniuersi pernicies efficiatur, quo cũ impij quoq; perituri sint. Cum enim duo sint elementa quæ vniuersi hanc machinam maxime continent, & cohęrentem conseruant, aqua & ignis, ex quibus reliqua duo etiam existũt: nam aer ex aquarum exhalatione, terra, ex earundem concretione cõstat: quæ vtraq; id est exhalationem & cõcretionẽ ex aqua exprimit ignis uis, quę à creante Deo naturaliter ipsi insita est. Cũ igitur duo hæc præcipua sint elementa, & per aquam prius impiorũ scelera fuerint deleta, necesse, inqt, est, vt rursus impiorũ perditio per ignem fiat. Ac de hoc quidem mundi interitu non Christiani solum, verum etiam Græcorum sapientes ut Heraclytus Ephesius, et Empedocles Aetnęus tradũt. Sed dicet quispiam, quæ ratio est cur conditus fuerit mundus, si interire rursus debet? Cui ita

respondendum est, mundum tunc non in perniciem prorsus interiturum, sed in renouationem abiturum. Vnde etiam propheta inquit, & renouabis faciẽ terræ. Sensibilis enim creatura a principio à Deo constituta, bona erat, et postea hominis transgressione vanitati etiã ipse fuit subiecta, vt non stabiliter amplius esset, sed fluxu & refluxu in interitum abiret. diluuio effectum est, vt ad pietatem rursus reductis hominibus per Noe & ea quę conseruata in arca fuerant animalia ad semen excitandum rursus mundus quasi instauraretur ac nouum quasi exordium sumeret. sed cum neque tunc hominis natura admodũ multum profecisset, sed ad dereriora fuisset delapsa, eam postea lex per Moysem data a prauitate conata est auertere: postremo vero Christi aduentus ad salutem deduxit, quę nisi à paucis tamen admittitur. Quotus enim est eorum qui salui fiunt, numerus prę eorum qui in singulis ętatibus pereunt, multitudine? pauciſſimus admodum. vt tempus consummationis prorogari propterea existimem, vt eorum qui seruãdi sunt numerus compleatur. Quoniã igitur sicut multiplex ad salutem vocatio fuit, ita varia quoque ex inobedientia perditio est subsequuta, fit, vt ignis diluuium necessarium sit, quo mũdus totus etiam si non omnino interiturus sit, consumatur. non enim animę interibunt, sed neque corpora: quippe cum oporteat, vt omnes nos non cum animabus corpore destitutis, sed vnà cum corporibus quę etiam ipsa immortalia sint effecta, ante tribunal Christi assistamus. Quo pacto

Pſal.103.d

Rom.8.d

Gen.8.d

Rom.14.b
2.Cor.5.b

Resumptio de prauitate hæreticorum hominum: vbi ait in consummatione huius seculi inopinato Christum aduenturum: vt ad eum omni virtute præparari debeamus. Cap. III.

HANC iam carissimi secundam uobis scribo epistolam, in quibus commonendo uestram syn ceram mentem excito, ut uerborũ quæ prædicta sunt a sanctis prophetis mandati nostri Apostolorum, Domini & Saluatoris Iesu memores sitis: illud primum
2.Tim.4.a 2.Tim.3.a Iudę.f. scientes, in extremo dierum uenturos esse illusores, qui iuxta proprias concupiscentias ambulent, & dicant:
Bze.12.f Vbi est promissio aduentus ipsius? ex quo enim patres dormierunt, omnia ita a principio creaturæ permanent.

Hinc omnes Petri epistolas duas esse cognoscimus. Cum vero inquit (in quibus) intelligendum est vtrisq; epistolis, id est, per quas vtrasq; epistolas synceram mẽtem vestram excito. Syncera enim ac pura mens & cogitatio est cum eorum quæ salutaria sunt, quę iam audiuimus, & reseruata iam sunt, ac depositа, recordamur, & ad resumendam eorum operationẽ omni studio, ac viribus omnibus incitamur. Recondita autẽ ac depositа & per propheticos sermones, & per Apostolicas prędicationes hęc sunt. Vnde etiam
Ephe.2.d Paulus inquit, inędificati supra Apostolorum et prophetarum fundamentum. omnes enim hi & primum & secundum Domini aduentum denunciarunt. tot vero ac tantis testibus non credendum non est. Cõstructio autem orationis huius-

modi est: vt memores sitis verborum prædictorum a sanctis prophetis, & mandati nostri Apostolorum, & mandati Domini & Saluatoris Iesu. vel vt memores sitis verborum prędictorum a sanctis prophetis, & a mandato scilicet prędictorum nostri Apostolorum, & a mandato Domini & Saluatoris Iesu. vt subintelligatur (ὑπὸ) id est, (à) prępositio: & non (mandati) in genitiuo sed in ablatiuo (mandato) ἐντολῆς interpretemur. Cur vero renouari hanc memoriam ipsis uelit, subiungit: propterea quòd qui iuxta proprias concupiscentias perturbate ac libidinose Mat.26.f
vitam traducunt, cum videant Domini aduentum, quem vnà cum alijs Deo afflatis sanctis viris etiam ipse Dominus prenunciauit, quosdam timere: ac propterea inhonestam ipsorum vitam detestari: fidelibus insultant atq; illudunt, eo q̃ non statim prędicatio experimento rei comprobatur, sed ob multorum salutem differtur: atque irridendo, inquiunt: vbi est promissio aduentus eius? atque ita per hãc vnam promissionem quę ob aliquos ex dispensatione nõdum expleta est, dolose machinantur, vt alijs quoque salutaribus Domini mandatis fides non adhibeatur. Hęc Gnostici qui per illa tempora vigebant, vel Naasseni, qui ijdem & Lampetiani, & Euchetæ appellabantur, nugari consueuerant.

Mat.24.c Mar.13.c Luc.21.c

Latet enim ipsos hoc uolentes, cœlos fuisse antiquitus, & terram ex aqua, & per aquam constitisse Dei uerbo: per quæ qui tunc erat mundus, aqua inundatus perijt: qui uero nunc sunt cœli & terra, ipsius uerbo

enim sola anima pœnas eorum reciperet, quę per corpus perpetrauit? Quin neque iusti esse iudicis videtur, vt cum duo simul eadem in re peccarint, alterum illęsum dimittat, alterum totius criminis supplicio afficiendum ducat. Pręterea si nos materias cōflare per ignem consueuimus, nō vt penitus eas destruamus, ne sint, sed vt purgatiores eas ac synceriores reddamus: credēdum non est, Deum cum per ignem cōsummationem promiserit, vel id non facturum, vel si faciat, in perniciem & interitum mundi id esse facturum. Nam si perdentur & consumentur aliqua, quæ ea erunt? superuacua hęc & pręsenti vitę accommodata: cuiusmodi sunt iumenta, hęrbę, plantę. Hęrbę siquidem iumentis & pecudibus victum suppeditant. iumenta vero vitæ huic corruptibili hominum ministerium exhibent. qui efficit, Psal. 103. b inquit, vt gramen oriatur iumentis & hærba ad seruitutem hominum. plantę autem et stirpes alię materiam & ligna ad tabernacula et domos extruendas, alię fructus ad alimentum hominibus producunt. Alimentum autem & nutritio corruptionis argumentum est. Defectus enim et repletio quid aliud promittere quàm corruptionē potest? Hęc igitur quę vana sunt & superuacua ad vitam incorruptibilem, corrumpentur ac perdentur. noui vero cœli & noua terra substituetur, quę tamen materia diuersa minime erūt: quippe cum neq; qui nouam domum extruit, eā ex nulla subiecta materia faciat. Sic Deus cum semel materiam a principio produxerit & formarit, omne id quod ad vsum quidē vitę huius necessarium,

necessarium, sed ad alteram tamen incorruptibilem inutile ac superuacuum est, tollet ac perdet: quicquid vero ad eam conducet, id incorruptibili & admirabili pulchritudine reformatum ad secundum & incorruptibilem mundum ornā dum relinquet. Cum vero ait terram ex aqua & per aquam constitisse, ex aqua tanquam ex materiali causa, per aquam tanquam per finalē constitutā esse ipsam significat. aqua enim est, quæ quasi gluten quoddam terram continet, atq; vt cohæreat, facit: alioqui nisi ea esset, in puluerem euanesceret, ac fatisceret, ac dissoluta in aerē diffluaretur. Sed fortasse insurget quispiam contra nos, & nugaci quęstione quid, inquiet, Deus cū mundum hunc visibilem constitueret, nō a principio stabilem eum & immutabilem, sed mutationibus obnoxium fecit? vt postea & tempore Noe per diluuiū, & in consummatione per ignē vt nunc dicit Petrus, fuerit ad incorruptibilitatem restituendus? Huic occurrendum hoc modo dicimus, vt asseramus non potuisse fieri vt immutabilitate esset prædituſ, qui ex mutatione constiterat. quippe cum ad id productus fuerit, vt esset, ex eo ꝙ nō erat. id quod alterationem et mutationē esse negaret nemo, qui compos mentis sit. Vnde cum alteratio peioribus cōmixta in deterius euasisset, necessario huius opifex, vt in melius restituat, & tempore Noe expurgationē per aquam intulit, & in cōsummatione per ignē est illaturus. quemadmodū etiam nos materias, sicut dictum est non vt destruamus, sed vt purgemus, conflare consueuimus. Quod autem in-

quit(per quæ)ad cœlum & terram refertur: per quæ:id est per cœlum & terram,cum terra aquã
Gen.7.b effudisset,& cœli catarrhactas suos relaxassent: id est tanquã catarrhactis subductis aquã detru sissent, qui tunc erat mundus, aqua inundatus perijt.(perijt)autem non ad totũ mundũ, sed ad sola animalia referendum est,quæ videlicet totũ mundum formãt. quippe cum absq; animalibus desertus locus ne mũdus quidem existimari pos set. In diẽ iudicij autem,pro,in diem condemnationis,dictum est.

Vnum autem hoc ne lateat uos dilecti,unum diem
Psal.84.a *apud Dominum tanquam mille annos,& mille annos tanquam diem unum esse. Non tardat Dominus promissionis,sicut nonnulli tarditatem existimant:sed to leranter agit erga nos,dum nõ uult ut aliqui pereãt, sed omnes ad pœnitentiam ueniant.*

Cum totam de consummatione mũdi orationem absoluerit,eam & necessario & per ignem futurã esse, quæ omnia nos latius etiam fuimus persequuti:transit ad temporis prorogationem, atque inquit:non tardat Dominus, vt quidã putant,sed toleranter agit ac patienter dum salutẽ nostrã expectat,& nos perire non vult,sed omnes ad pœnitentiam venire. Nam cum infinitus sit Deus,& substantiæ pelagus incircumscriptũ sit, nihil ipsi productum esse ac longum potest:sed mille anni tanquam vnus dies apud ipsum sunt: immo vt Dauid inquit, ne minima
Psal.84.a quidem diei pars:dicit enim in hũc modum:mil

le anni in oculis tuis Domine sicut dies hesternus,qui præterijt,& custodia in nocte,per custo diam breuissimam nocturni spatij partem signi ficans:quippe cum in quatuor custodias & vigi lias diuidatur nox. nam etiam Dominus quarta Mat.14.c Mar.6.f vigilia ad sanctos discipulos accessit.

Superueniet autem dies Domini sicut fur in no 1.Thes.5.a *cte,in quo cœli stridenti impetu præteribũt, et elemẽ* Apoc.3.a. *ta exusta dissoluentur, & terra et quæ in ipsa sunt,* & 16.c *opera, comburentur. Cum hæc igitur omnia dissoluã tur, qualesnam esse uos in sanctis conuersationibus & pietatibus oportet expectantes & accelerantes ad uentum diei Dei,quo cœli incensi dissoluentur,& ele menta exusta contabescent? Nouos uero cœlos & Apoc.21.a* *nouam terram iuxta promissum eius expectamus, in* Esa.65.c. *quibus iustitia habitat. Propterea dilecti hæc expe* & 66.g *ctantes date operam, ut immaculati & irreprehensi biles ab ipso inueniamini in pace: & Domini nostri tolerantiam salutem existimate.*

Incertitudinem & inexpectationem aduentus Domini per furem & noctem significat.obscura enim & incerta omnia in nocte fiunt. inexpectata vero furis irreptio est.ad neminem enim expectantẽ accedit,sed inexpectato et inopinato fur inuadit. Vnde etiam Dominus,sicut,inquit, in diebus Noe homines nuptijs & compotationibus lætabantur,& calamitatis quæ oppressura ipsos erat,nullum sensum habebant,donec diluuium ipsis superuenit:sic etiam aduentus Do- Mat.24.d Luc.17.f

mini inexpectato impĩs adueniet. Cum vero ait stridenti impetu: id est ῥοιζηδὸν impetuose, & stridenter, sonum significat & sibilum qui ex igne flagrantibus edi consueuit. Aduerte autem terrã dixisse & quæ in ipsa sunt, comburenda esse, nõ autem homines. nam perditionem tãtummodo impiorum. i. impietatum ipsorũ dixit. via enim impiorũ peribit, sed nõ ipse impius. Iuxta autẽ promissum eius inquit, ꝓpterea ꝙ fidelibus promisit, cum diceret: veniam & assumam vos. Et, apud patrem meum mansiones multæ sunt. Vnde etiam Paulus ait, tuba canente angelo de cœlo, & mortuis incorruptibilibus resurgentibus & ipsos occursuros Domino in gloria: cum gloria nihil aliud quàm incorruptibilitatem significet. ꝙ si incorruptibiles, noui prorsus etiã erunt. si autem noui homines erunt, creaturam quoq; mundi quæ cum hominum statu mutari consuevit, nouam quoque ipsam futuram manifestum est. Sicut enim ex delapsu hominũ in corruptionẽ corruptibilis euasit: ita incorruptibilis ex hominum renouatione efficietur, prorogationẽ autem temporis aduentus Domini, & tolerantiam eius ob salutem nostram fieri ait.

Pſal. 1. b

Ioan. 14. a

Ioan. 14. a

2. Thes. 4. d

Quem ad modum etiam dilectus noster Paulus ex data sibi sapiẽtia scripsit uobis, sicut in omnibus etiã epistolis, loquens in eis de his, inter quæ nonnulla difficilia intellectu sunt, quæ indocti & instabiles distorquent, sicut & cæteras scripturas in propriam ipsorũ perditionem. Vos igitur dilecti prænoscentes cauete,

ne nefarriorum errore simul abducti e propria stabilitate excidatis. Sed crescite in gratia & cognitione Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi. Ipsi gloria & nunc & in diem æternitatis. Amen.

Sed vbi tale quid Paulus dixit? vbi videlicet inquit, benignitas Domini in pœnitentiã te ducit. quòd si Dei tolerãtia & longanimitas ad pœnitentiam deducit, pœnitentia vero salutaris nobis est: ad vtilitatem et salutẽ nostrã Dei longanimitas spectat. Difficilia autem intellectu ea dicit, quæ ab impĩs distorte ac peruerse intelliguntur: id enim significat, cum inquit (distorquẽt.) Cęterum vt uno exemplo rem omnẽ aperiam, quod inquit Paulus, vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia, ipsi id peruertunt ac distorquent: atq; inquiunt Paulum ita intelligere, peccemus amplius, vt nobis remittat. atq; hoc, inquit, illi in perditionem suam faciunt. Quemadmodum enim qui prophetas et apostolos interfecerunt, ita etiam qui verba ipsorum distorquendo deprauant ac perdunt, eidem iudicio obnoxĩ sunt. propterea ꝙ sicut qui illos occiderũt, ea de causa id fecerunt, vt prohiberent quominus qui ab ipsis instruerentur, consequi salutem possent: ita qui verba ipsorum distorquent, ne per ea quispiam ad salutem perueniat, similiter vetat. Propriã autem stabilitatem fidem in Domino vocat. Sicut autem in alĩs epistolis in vota desinit, ita in hac quoque incrementum in fide Domini ipsis exoptat.

Rom. 2. a

Roma. 5. d

Secundæ Petri epistolæ catholicæ finis.

IOANNIS CATHOLICÆ epistolæ primæ argumentum.

HAC epistola Ioannes idem qui Euangelium conscripsit, eos qui iam in Dominũ crediderant, commonefacit, atque in fide confirmat. Primumque sicut in euangelio fecit, ita hic quoque de verbo diuinitus disserit, & eũ semper esse in patre, & patrem lucem esse ostendens: vt ita verbum tanquam fulgorem ex eo esse agnoscamus. Tũ mysterium hoc fidei nostræ non nouum esse, sed ab initio quidem & semper extitisse ait, nunc tamen in Domino fuisse manifestatum, qui uita æterna est, ac Deus uerus. Causa quoque aduentus eius subiungit, ob id videlicet uenisse ipsum asserẽs, vt et opera diaboli destrueret, & nos a morte liberati patrem eius, & ipsum filium Dominum nostrum Iesum Christum agnosceremus. Ad omnẽ igitur ætatem scribit, pueros, iuuenes, senes, cognitum esse Deum, et diabolicam operationẽ morte exinanita victã fuisse. Deinceps vero per totam epistolã de charitate agit: oportereq; ostendit, vt cum Christus nos amarit, nos quoq; mutuo nos amore, prosequamur: vbi de differẽtia timoris et charitatis, et filiorũ Dei et diaboli, peccati mortalis, et nõ mortalis, et spirituũ diuersitate disserit: Quisitẽ Dei spiritus sit, & quis erroris distinguit: quoq; modo filij Dei à filijs diaboli discernantur: In quo item peccato orandum pro peccantibus sit. Tũ eum qui non amat proximum, indignũ esse uocatione, neque Christi posse appellari ostendit.

Vnitatemq; filij cum patre demonstrat, vt qui filium neget, is neq; habere patrem possit. idque proprium Antichristi esse ait, vt ipsum Iesum Christum non esse filium dicat, quo videlicet mẽdax se esse filium Dei asserere ualeat. Per totam item epistolam ne animũ despondeant monet ij qui credunt, si in mundo odio habeantur, sed gaudeant potius, propterea q; odium mundi erga ipsos, recessisse eos a mundo, atque ad æternam vitam transiuisse declarat. In fine postremo epistolæ rursus filium Dei vitam æternam, & Deum verum esse commemorat: vt & ei seruiamus, & a simulacrorum cultu caueamus.

Capita Ioannis epistolæ primæ.

Theologica de Christo consideratio, vbi de confessione, quòd peccatores simus Cap. 1

De studio adhibendo ne peccemus. De obseruatione mandatorum Dei quòd cognitionẽ confirment. De charitate, sine qua impietas est. De gratia vniuscuiusq; iuxta ætatem. Dehortatio ne mundum diligamus. De falsis fratribus, qui Deum negant. Quòd in Christum pietas, patris confessio sit: patris enim glorificationem filij quoque esse glorificationem. De diuino & spirituali dono in sanctificatione in spe in cognitionem Dei. Cap. 2

Quòd vnusquisq; qui in Christo est, sine peccato sit; qui enim peccat, eum ex diabolo esse.

De charitate erga proximum, & distributio ne ex affectu. De bona cõscientia in fide Iesu Christi. Cap. 3.

De discretione spirituum ex cõfessione incarnationis Christi. De fraterno amore ad pietatẽ erga Deum. Cap. 4.

De glorificatione Christi in gloria patris: & de victoria aduersus malignum ex fide Iesu Christi in vitam. De auxilio peccãti fratri per orationem adhibendo: & de non peccando, vbi monet vt caueamus à dæmonum cultu. Cap. 5.

IOANNIS EPISTOLA CATHOLICA PRIMA.

Theologica de Christo consideratio: ubi de confessione, & peccatores simus. Cap. I.

QVOD *erat ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis nostris, quod spectauimus, & manus nostræ de uerbo uitæ contrectauerunt, & uita manifestata est, & uidimus, & testificamur, & annunciamus uobis uitam æternam, quæ erat apud patrem, et manifestata nobis est.*

HOc ad Iudęos & Græcos spectat, qui tãquàm nouum nostrum hoc mysteriũ vituperant. Ostendit enim antiquum id esse, quippe cum ab initio fuerit, id est, simul cum initio quod concipere animo quispiam possit. Vel ab initio, non tantum ante legem, verum etiam ante hanc visibilem creaturam longe superius. illa siquidem principium habuit, hoc ante illius principium quoq; extitit. Nam de Græcanicis rebus quæ heri aut nudius tertius introductę sunt, quid dicere oportet? quæ impudicitijs conflatæ nuper subsistentia carentem constitutionem obtinuere, cum iam impuritas inter homines versaretur: ex cuius disciplina, hæc a præstantioribus ad circũfusam nobis noctem delapsio, ac defluxio extitit. Cum igitur nostri huius mysterij magnitudinem atque excellentiam ex antiquitate eius ostendat, vitam id esse postea ait: ac vitam quidem non quæ temporis interuallo mẽsuretur, sed quæ ex sese subsistat, & apud patrem semper sit, consentiens cum ijs quæ in euangelio suo dixit. nam & illic, & verbum, inquit, erat Ioan. 1. a apud Deum, & Deus erat verbum. Erat autem non temporariam existẽtiam significat, sed subsistentis rei substantiam, & principium, & fundamentum, & sedem omnium quę essentiam sortita sunt, sine qua existere nihil potest. vnumquodq; enim ex ijs quæ genita sunt, esse quoddã dicitur, vt angelus, sol, cœlum, & reliqua omnia esse tantummodo dicuntur: sed filius solus re vera est, cuius particeps vnumquodq; dum efficitur, ad essentiam tendit. Vnde etiam Paulus

Act.17.f inquit, in ipso viuimus & mouemur & sumus. Huius auditionem introductoria doctrina cum prius perceperit quispiam, ad videndum postea ipsum non corporali modo, sed contemplatiuo deuenit, post multam exercitationem & considerationem, quæ contrectatio etiam verbi vitæ dicitur, uitę inquam illius quę dixit, ego sum uita.

Ioan. 14.a Possumus etiam illo modo idem hoc interpretari, quem per legem & prophetas venturum audiuimus, eum vbi venit in corpore, manifeste vidimus, & cōtrectauimus: nam solum Deum nul

Ioan.1.b lus vnquam vidit. Non enim quoquo modo acquieuimus, sed multam post contrectationem, id est, inquisitionem de eo ex lege & prophetis, verbo quod in carne videbatur, credidimus. Quod vero inquit (quod spectauimus) significat, quod intuiti oculis admirati sumus. spectare enim, id est, θεᾶσθαι est cum admiratione &

Esa.35.c stupore inspicere. Non autem quod erat, spectauimus aut contrectauimus, eius enim generationem quis enarrabit? sed quòd genitum est & factum, vel contrectatione cognitionis, vt dictum

Ioan. 20.g iam est, vel sensibili etiam palpatione, quemadmodum etiam post resurrectionem Thomas. Vnus enim erat et indistinctus: idem spectabilis, & inspectabilis, perceptibilis & imperceptibilis, tangibilis & intangibilis, humane loquens et tanquam Deus miracula operans. Hæc autem ex summa verbi cum carne coniunctione atque vnitione dicimus. Ordo est: quod erat ab initio, quod audiuimus, & vidimus, & spectauimus oculis nostris, & manus nostræ contrectarunt de

verbo vitæ, quæ quidem vita manifestata est, quam etiam vidimus & testificamur & annunciamus vobis: dico autem vitam æternam quæ est apud patrē, & manifestata nobis est: Quod igitur vidimus, hoc etiam annunciamus vobis. Hucusque redditio orationis pertinet. Ipse autē non ita aperte & plane orationem sicut nos, explicauit: primum ex concisi & breuiati verbi Rom.9.f vsu: deinde vt Græcam facundiam ac nugacitatem spernat, salutemq; nostram non in verbis, sed in rebus ipsis atq; operibus esse ostendat: Tū vt nos attentiores reddat, ne prima inspectione facile rem percipiendo negligentes euadamus. Accedit quòd de Deo loquens obscuritate occultare aliquantulum voluit, quæ præstātiora sunt, quàm vt à profanis auribus percipiant: neque efferri & enunciari ad ipsos sine piculo possunt. Exponere enim sancta canibus, & proīcere margaritas ante porcos prudentis hominis mini- Matt.7.a me est.

Quod uidimus et audiuimus, annunciamus uobis, ut etiam uos communicationem habeatis nobiscum: & communitas nostra cum patre & filio eius Iesu Christo sit. & hæc scribimus uobis, ut gaudium uestrum sit plenum.

Quod vidimus & audiuimus, annunciamus vobis, inquit. quid hoc est? vitam æternam scilicet manifestatam nobis esse, & spectatores nos eius et ante crucē et post resurrectionē fuisse. Idē enim & cruci carnaliter fuit affixus, et eadē car-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne resurrexit. sed quã vtilitatẽ, inquit, ex hac annunciatione uobis afferimus? vt communicationem nobiscum per verbum hoc eorum quæ uidimus & audiuimus habeatis, atque ita cum patre quoq; & filio eius Iesu Christo communicetis. Quod vbi euenerit, gaudio repleamur, vtpote Deo coniuncti. Vel quia nobiscum vobis communicationem & societatem habẽtibus, plenissimam gratiam nostrã habebimus, quam messoribus gaudens seminator in mercedis distributione exhibebit, gaudentibus etiam ipsis, quòd laboribus suis perfruantur.

Ioan. 8.b

Estque hæc annunciatio quam audiuimus ab ipso, & annunciamus uobis: Deum esse lucem, & tenebras in eo esse nullas. Si dixerimus cõmunicationem cum eo nos habere, et in tenebris deambulemus, mẽtimur, & ueritatem non facimus. Si autẽ in ueritate deambulemus, sicut & ipse in luce est, societatem inter nos mutuo habemus, et sanguis Iesu Christi filij ipsius ab omni peccato nos purificat. Si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos decipimus & ueritas non est in nobis.

Heb. 9.d
1. Pet. 1.d
Apoc. 1.d
3. Reg. 8.e
2. par. 6.g
Pro 20.b
Eccle. 7.c

Resumit rursus orationem, & quæ nunciatio ea sit, quam audiuit, explanat, eamque esse hanc inquit. Deus lux est, & tenebræ in ipso non sunt. sed vnde hoc audiuit? ab ipso Christo, qui dicit, ego sum lux mundi: & lux in mundum veni. Lux igitur est, & tenebræ in ipso non sunt: lux inquam intelligibilis, quæ oculos animæ nostræ ad perceptionem eius illustrat, & ab his materia

Ioan. 8. b
Ioan. 12. g

libus omnibus auocans ad ipsam solam appetitũ nostrũ amatorio affectu incitat. Tenebras aũt vel ignorãtiã, uel peccatũ appellat, quippe cũ in Deo neq; ignorantia neq; peccatum locum vllũ habeat, sed circa materiam, nostramq; hanc compositionem existat. Quòd si alicubi dictum est, posuit tenebras occultationem sui, aduertendum est ibi (posuit) verbum esse dictum, non (est) vt hoc loco: diuersum enim est quod ponitur, ab eo qui ponit. Tenebræ autem illic ignorantiam in Dei incomprehensibilitate significat: id quod nostrum est, non Dei. ponitur siquidem aliquid ex ijs quæ non insunt alicui, & non sui causa, sed alicuius ex ijs quæ circa ipsum sunt. Tenebras autem peccatum etiam vocari ex ijs quæ in euangelio quoq; inquit, perspicuum est. Quid enim ibi inquit? & lux in tenebris lucet, & tenebræ eã non comprehenderunt, tenebras peccatricem nostram substantiam vocans: in qua Christus natus, id est qua assumpta Christus eius inquinationum particeps non fuit: peccatum enim non fecit. Sententia autem est. Quoniam communicationem cum Deo habemus, qui est lux, & in huiusmodi luce subesse tenebræ nullo pacto possunt, sicut demõstratum est: ne amplius neq; nos qui cum luce communicationem & societatem habemus, in nobis ipsis tenebras admittamus, ne pœnam subeamus mendacij, & ex mendacio à luminis societate abrumpamur: Vnde si societate mutua coniuncti permaneamus, quę sanè nostri in ipso lumine est, inuicti peccato efficimur. Sed quo pacto, inquit, hoc nobis eueniet, si qui

Psal. 17. b

Ioan. 1. a

multis peccatis inuoluti prius fuimus? Nemo enim est qui uerax sit, qui se sine peccato esse audeat dicere: si quis igitur, inquit, timore hoc corripitur, bono sit animo & confidat, propterea q̃ sanguine filij eius Iesu Christi effuso pro nobis qui communicationem cum eo habet, purificatur. Vide autem quo modo ex summa vnione quod ex nobis assumptum fuit, filium patris appellet. sanguis enim assumpti hominis proculdubio fuit, non Dei. Hinc patet q̃ nugax q̃que impius cẽsendus Nestorius sit, qui à filio carnẽ separet, & matrem eius Deiparam appellare nõ patiatur. Sciendũ est, totam sentẽtiam huius orationis ad Iudæorum maledicti confutationẽ spectare: ipsi enim de Christo dicebant, nouimus nos hominem hunc esse peccatorem. Inquit igitur, si lucis opera agimus, participes eius sumus: si vero nõ agimus, ab eo alienamur. Quo modo igit non verum est, inquit, q̃ peccatũ nullũ fecerit, etiam si inter impios a nobis computatus fuerit? Si itaque nos qui diximus sanguis eius super nos & super filios nostros, impudenter non peccasse nos asseramus, nos ipsos decipimus ac fallimus, quasi crucifixisse Christum peccatum non sit: cum tamen maximum sit. Vnde non dixit mẽtimur, sed nos ipsos decipimus, propterea quod deceptio & error præter veritatem est. cõmunitate autem orationis dum inquit (si dixerimus) reprehensionis mitigat asperitatem.

Ioã. 9. e

1. Pet. 2. d
Esa. 53. d
Luc. 22. d
Mat. 27. c

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata, & purificet nos ab omni

iniustitia. Si dixerimus nos non peccasse, mendacem ipsum facimus, & uerbum eius in nobis non est.

Orationem repetit dedita opera, vt redargutionis assiduitate ipsos ad magnitudinem criminis considerandam inducat, & ad confessionem inuitet. Quantum autem bonum ex confessione eueniat, ostẽdit ille, qui inquit: Dic tu primus peccata tua, vt iustificeris. Is autem est mos huius discipuli dilecti a magistro, vt eadem sæpe repetat, mediocriter prius, deinde perfectius, dum & euidentiorem cognitionem eorum quæ dicit, facere vult, & habitum quasi quendam eorum in animos audientium studet inducere. Fidelem autem Deum dicit, id est verum: quippe cum fidelis non tm̃ de eo dicatur, cui creditur, sed de eo quoq̃ qui confirmat & fidem facit, qui ex suis veris moribus alijs etiam idem potest participare. atq̃ ita fidelis Deus est. Iustus vero, vtpote qui ad se accedẽtes qualiacunq̃ peccauerint, minime repellat. Peccata enim sine vlla dubitatione ijs remittit, qui per pœnitentiam sacro baptismati accurrunt, siue in ipsum, siue in alterũ peccarint. Si igitur, inquit, confiteamur, veniã etiã inter nos ipsos consequemur. si uero impudenter nos gerentes non peccasse nos dicamus, duplex malum efficiemus: nam & nos mendaces reddemus, & Deum qui supra omnem veritatem est, in mendacium inducemus. Ipse enim & prophetæ verbis, retribuerunt mihi mala pro bonis: & suis, si male, inquit, loquutus sum, testificare de malo: sin autem bene, quid me cædis? Quod cũ

Esa. 43. d

Psal. 37. d
Ioan. 18. d

ita sit, si non peccasse nos dicamus, verbum eius negamus ac repudiamus, quod spiritus, & vita
Ioan 6.8 est: verba enim, inquit, quæ ego loquor, spiritus & vita sunt. ac non amplius verbum eius in nobis habemus. qua re quod peius esse, ac grauius potest?

De studio adhibendo ne peccemus: de obseruatione mandatorum Dei, qp cognitionem confirment: de charitate sine qua impietas est: de gratia vniuscuiusqꝫ iuxta ætatē. Dehortatio ne mundum diligamus: de falsis fratribus qui Deum negant. Quod in Christū pietas patris confessio sit: patris enim glorificationē filii quoqꝫ glorificationē esse: de diuino & spūali dono in sanctificatione in spe in cognitionē. Cap. II.

Filioli mei hæc uobis scribo, ut ne peccetis, & si quis peccarit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum et ipse propitiatio est: nec pro nostris tantum, sed pro totius etiam mundi.

Cum instabilitatem ac defectum naturæ nostræ animaduerteret, noscꝫ præterꝫ quòd procliuiores ad deteriora natura sumus, inuidia dęmonis oppugnari, qui saluti nostræ semper insidias struit: necesseqꝫ omnino esse, vt nisi diligentius atqꝫ attentius vixerimus, licet per confessionem Deo simus cōciliati, in peccata delabamur: iccirco subiungit: & si post remissionem peccauerimus, vt de nostra ipsorum salute ne desperemus, conuersi enim rursus per Domini Iesu Christi

Christi intercessionem salutem consequemur. nā ipse pro nobis apud patrem intercedens pro peccatis nostris propitiationem affert: neqꝫ pro nostris tantummodo, sed pro peccatis etiam totius mundi. Hoc autem inquit, vel quia ad Iudæos scribit, ne solis illis pœnitētiam esse concessam, sed ad gentes quoque omnes diffundi eam ostendat: vel quia non tempestatis illius tantummodo hominibus, sed cæteris etiam omnibus qui in futurum successuri sunt, promissio hęc est. Aduocatum autem dicit: id est παράκλητον adhortatorem, qui patrem adhortatur, & mitigat. Hæc autem quantum ad humanum modum & dispensationē spectat, dicta sunt. sicut illud, filius Ioan. 5. d
ex se ipso nihil potest facere. id quod uidelicet dicitur, vt se non contrarium patri esse ostendat. Nam filium quoque remittendorum peccatorū Mat. 9. a
habere potestatē, in paralytico declarauit. quin Luc. 7. d
etiam dum eandem quoqꝫ potestatem discipulis Ioan. 20. f
tradidit, auctoritatē se eius habere manifestauit. Quocirca, vt diximus, vel ob dispensationem hoc dixit apostolus: vel vt æqualem naturam, æqualemqꝫ potentiam cum patre habere filium: & quicquid vna ex tribus sanctæ trinitatis persona quātum ad naturam spectat, facit, commune id quoque reliquis duabus esse significet.

Et in hoc cognoscimus nos cognouisse ipsum, si mādata ipsius obseruauerimus. Qui dicit, noui ipsū, & mandata eius non seruat, mēdax est: atque in ipso ueritas non est. At qui eius uerbum seruat, uere in eo charitas Dei perfecta est. In hoc cognoscimus nos in

ipso esse. Qui in ipso esse se ait, sicut ille deambulauit, ita debet etiam ipse deambulare.

Cum superius dixerit eos qui in Dominũ credidere, cum ipso communicationem habere, quę nam sint quæ communitatem hãc societatemq; arguant, nũc adiungit: atq; inquit, in hoc cognoscere nos cognouisse ipsum si mandata ipsius obseruauerimus: Mos beato huic apostolo est æquiuocis sæpenumero eadem in oratione vti: sicut
Ioan.1.a cum inquit, in mundo erat, & mũdus per ipsum factus est, et mundus eum non cognouit. Ita etiã nunc verbo (cognouit) vtitur. nos enim cognouisse ipsum, pro nos cõiunctos esse cum ipso, in hoc, id est in seruandis mandatis eius, scimus. Nam cum cognoscere apud diuinam scripturã duo præcipue significet, scire, quẽ ad modũ vbi
Psal.139.c inquit, cognouit facturũ esse Dominum iudicium pauperum: et item maximam cum aliquo coniunctionem commixtionemq; facere, sicut cum
Psal.36.c inquit, vias innocentium cognouit Dominus: et sicut Paulus, nos ita cognoscere inquit Deum,
1.Cor.13.d quemadmodum ab ipso fuerimus cogniti: cũq; simili modo quod contrarium huic est, dupliciter intelligatur: vna enim & eadem sicut etiam alienis a nobis videtur, oppositorum scientia est: cognoscere nunc hoc loco dupliciter sumitur. Cum enim inquit, in hoc cognoscimus, pro scimus, cum inquit, nos cognouisse ipsum, pro nos commixtos ac coniunctos esse cum ipso significat. qui enim societatem & communicationem cum aliquo habet, commixtus ac coniunctus cũ

eo est, quatenus cõmunicat: vnde etiam infert, si mandata ipsius seruauerimus. Ex hoc solui illa possunt: cognouit Dominus qui sint sui. et, eum
2.Tim.2.c enim qui non nouerat peccatum, pro nobis pec
2.Cor.5.d catum fecit: & demum quicquid aliud apud diuinam scripturam de cognitione & ignoratione dicitur. Posteaq; ita dixit, a contrario idem confirmat ad maiorem demonstrationem, atque inquit: qui dicit, noui ipsum, id est communicationem & coniunctionem cum eo habeo, & mandata eius non seruat, mendax est. Qui enim fieri potest, vt & coniunctus & non coniunctus idem sit: si quidem mandata seruare coniunctionem, non seruare alienationem significat. Quare qui cognoscit Deum, etiam à Deo cognoscitur, hoc est Deo est coniunctus: & in eo Dei charitas conspicitur. ex qua quidem charitate et perfectionem in Deo habet, & iudicium suæ cũ Deo coniunctionis præ se fert. quippe cum ex operibus perfecta charitas demonstretur. Verum tamen quia esse potest, vt quispiam recte & exquisite mandata faciat, & ipse tamen, id quod a Deo procul abest, segnior sit: propterea inquit, eum qui coniunctus Deo est, sicut ille, ambulare, id est vitæ suæ itinera dirigere debere.

Fratres non nouum mandatum scribo uobis, sed mandatum uetus, quod a principio habebatis. Mandatum uetus est uerbũ quod a principio audiuistis. Rursus mandatum nouum scribo uobis: id quod uerum est in ipso & in uobis: tenebras pertransire, & lucem ueram iam lucere. Qui dicit se in luce esse, & fratrẽ
Ioã.13.d,et 15.b

suum odit, in tenebris est usque adhuc. qui amat fratrem suum, in luce manet, & offendiculum in ipso non est.

De charitate deinceps erga proximos loquitur, atque ait, coniunctionem cum Deo, id est charitatem erga Deum ex charitate erga proximum primum cognosci: non enim fieri posse, vt qui ex Dei cognitione illuminatus, & charitate eius repletus est, tenebras quæ ex odio fraterno existunt, in se habeat. lux enim & tenebræ in eodem & circa idē simul esse nullo pacto possunt: Quare qui ex charitate erga Deum est illustratus, charitati erga fratrem procul dubio etiā annexus est: & qui Deum habet, lucem quoq; erga fratrem habet. Qui igitur se amare Deum asserit, & odit fratrem in tenebris perpetuis est, cognitionis oculis semper cæcutiēs: quippe qui ex coniunctione & erga Deum & erga proximum lumen amiserit, & quo modo sese gerat in posterum, ignoret. Quoniam vero vniuersalis epistola est & communiter ad omnes tam Iudæos q̄ Græcos scribitur, Iudęis quidem accommodatū est quod inquit, non nouū ipsis de charitate præceptum, sed vetus se scribere: Quippe cū in tabulis Moysis sit, Amabis Dominum Deum tuū &c. & proximum tuum sicut teipsum. Sed dubitaret quispiam quo modo pertinere ad Græcos hoc possit, cum nihil apud ipsos huiusmodi reperiatur? Respōdemus legem de charitate erga proximos scriptam his etiam fuisse. Vbi & quo modo in pugillari cordis naturalibus cogitationi-

Deut. 6. a
Leui. 19. d

bus inscriptam. Naturales enim in nobis insitas cogitationes legem vocari Paulus testatur, cum ita inquit: Video autem alteram legem legi mentis meæ quæ est in me, aduersantem. Legem igitur, id est mandatum vetus græci quoque acceperunt: cum natura id sanciat, vt erga cognatū omne benigne se gerāt, mutuoq; amore sese prosequantur: quippe cū gregabile ac sociabile animal homo sit. Id quod sanè sine charitate esse nullo pacto potest. Quin etiam multos veteres historię memoriæ prodiderūt, qui pro se mutuo mortē obierint. quod profectò maximæ charitatis esse indiciū Saluator noster asserit, dum ait: Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm ut pro amicis suis animam suam quispiam ponat. Cum igitur ita mandatum de charitate erga proximos antiquitus & Græcis & Iudæis positum sit: præter vetus mandatum, inquit, quod de charitate erga proximos audiuistis, nouum adhuc mandatum vobis scribo, quod veritatem in se habet, & in Deo qui per communicationem sui sibi vos cōciliauit, & in vobis, qui in ipso inter vos estis consociati. Nam quia ille inquit, ego lux veni in mundum, & lux vera ex illius sermone iam lucet, in luce vero subesse tenebrę nō possunt: fulgeat posthac verum charitatis lumen in affectu erga fratrem syncere ac sine vlla dissimulatione, & odij tenebræ pertranseāt, id est pereāt et euanescant. Pertransire enim, id est, παρέχγαι, hoc significat etiam apud Paulum, vbi inquit: pertransit enim figura huius mundi. Nouū mandatum vero etiā hoc modo potest intelligi, pro-

Rom. 7. d
Ioan. 15. b
Ioan. 12. g
1. Cor. 7. f

pterea ꝙ quod à Moyse traditum fuerat, vniuersale minime erat sed peculiare ad cognitos eiusdemq; nationis homines spectans, solos amicos diligere, inimicos vero odio prosequi præcipiebat. Vnde inquit, diligies amicum tuum & odio habebis inimicum tuum. At Domini & apostorum ipsius mandatum mirabilem quandam nouitatem complectitur cũ dicit, diligite inimicos vestros, & benefacite ijs qui oderunt vos, naturali constitutioni attendentes, non prauitati quę ex mala hominum consuetudine in naturalẽ affectionem irrepsit.

Leui.19.d
Matth. 6.g
Luc.6.e

Qui uero odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & non nouit quo eat, propterea quòd tenebræ oculos ipsius occæcarunt.

Infra.3.c

Idem ferè his etiam inquit: Qui dicit se esse Christi, & fratrem suum odit, mentitur & Christi minime est. Nam si Christus ita ipsum amauit, vt animam suam pro eo poneret, quo pacto qui Christi esse se inquit, odio fratrem suum prosequitur, pro quo Christus mortuus est? Vel hoc modo: Qui inqt se esse Dei et odio habet fratrẽ suũ, qui est Christus, quippe cũ ipse dicat, annũciabo nomen tuũ fratribus meis: is profecto nõ Dei, sed diaboli est. Nã si esset Dei, fratrem suũ etiam, & per ipsum, Christum amaret.

Psal. 21.f

Scribo uobis filioli remitti uobis peccata per nomen eius. Scribo uobis patres nouisse uos eum qui ab initio erat. Scribo uobis adolescentes, uicisse uos malignum. Scribo uobis pueri, patrem uos nouisse. Scripsi uobis patres nouisse uos eũ qui ab initio est. Scripsi uobis adolescentes fortes uos esse, & uerbum Dei in uobis manere, & uicisse uos malignum.

Quoniam dixit, mandatũ nouum scribo vobis, affectionem quoque eorum qui epistolam accepturi sunt, notat: atq; id ex prouectione ac progressu augmenti corporalis. Nouerat enim non omnes orationem hanc æqualiter esse admissuros, neque simili diligentia ac studio: sed alios tanquam pueros introductionis modo, quibus remissionem peccatorum per Christi fidem promittit: alios tanquam prouectos qui in virũ perfectum euaserint ad ętatem perfectionis Christi: atque ita ut alios etiam procreare filios possint: quibus quòd eius ab initio erat, cognitionem habeant, testificat. Sed quis is est, qui ab initio est, nisi Deus verbum, quod erat in principio apud Deum? Alij tanquam adolescentes erant hoc suscepturi: quibus vtpote iuueniliter affectis ac luxuriantibus contra ignominiosas perturbationes victoriam pollicetur. Deinde altera aggressione idem resumit, atque ad spiritualis ætatis modum doctrinam accommodat. Quia igitur, inquit, ita vos scio pro ætatum differentia ea quæ à me scribuntur, esse admissuros: me quoque ad affectionem ætatis vestræ accommodare doctrinam necesse est. atq; alios alloqui tanquàm filios qui agnouerint patrẽ, hoc est Deũ: alios vt patres: qui quidem filijs cognitione eatenus præstent, vt non tantum Deum tanq; patrẽ,

Ephes.4.c
Ioan.1.a

verum etiam tanq̃ principio carẽtem, & imperceptibilem agnouerint, quippe qui in principio erat: quibus sanè perfectiore institutione opus est. Adolescentibus autem & iuuenibus qui robusti cum sint, ad luctam & certamina instrueri dicit, victoriæ gloriam attestatus eos generosis ac militaribus colloquutionibus indigere ostendit

Ne diligatis mundum, neque ea quæ in mũdo sunt. Si quis diligit mundum, in eo charitas patris non est. propterea quòd omne quod est in mundo, quæ concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & arrogantia uitæ, non est ex patre, sed ex mundo. et mũdus pertransit et concupiscentia eius: at qui uoluntatem Dei facit, manet in æternum.

Posteaq̃ spiritualibus ętatibus pro rõne uniuscuiusq; orationem suam distribuit, partim quia ita afficiẽdi erãt singuli oõne eius: partim quia huiusmodi, erant qui ad fidẽ accesserunt, vt pro qualitate sua ipsorum essent instruendi: postea adhortationem subiungit, atq; inquit: ne diligatis mundum. Hęc tanquam pueris dicit: semper enim pueri erga id quod iucundum videtur, turbulente afficiuntur. deinde ubi causam subdidit, cur neq; mundum neque ea quæ in mundo sunt, diligere quispiam debeat: ad patres & iuuenes doctrinam reliquam instituit: quippe cum horũ perceptio perfectiorem habitum quàm puerorum requirat. & ne mundum globum ex cœlo

& terra constitutum significare ipsum putes, quis sit mũdus, de quo loquatur, & quæ ea quæ in mundo sunt, declarat. Ac mundum quidem confusam hominum turbam appellat, quæ nullam patris charitatem in se habet. quæ vero in mundo sunt, ea vocat, quæ ex cõcupiscentia carnis efficiuntur: quæ per sensus concupiscentiam incitant. dum oculos enim dicit, qui præcipuus ex sensibus est, reliquos etiam sensus omnes cõplectitur. Omne enim malum circa concupiscentiam versatur: adulteria, compotationes, amores inhonesti: quin etiam arrogantia, dum supra omnes extare quispiam vult: quippe cum concupiscentia sit, quæ superbiam illam homini suggerat, quo libere perpetrare quodcunq; voluerit, possit: siue cædes, partim ob auaritiã, partim vt aduersarij de medio tollantur: siue dolos & insidias, quo quicquid impedimento sibi est, inuadat atque opprimat. ac demum omnia quæ exosa Deo sunt, ex carnis concupiscentia existere consueuerunt. Mundum autem fusaneam turbam uocari etiam Dominus ostendit, cũ inquit, ex mundo nõ estis, quem ad modum etiam ego ex mundo non sum. huius vero mundi, id est mundanæ huius libidinis & confusionis pater est, diabolus. Vnde etiam Dominus de suis discipulis ad patrem inquit: non rogo vt de mundo ipsos tollas, sed vt à prauo conserues, id est à mundo: quem in prauo positum esse alibi dicit, Si vero prauus opponitur bono patri, qui autẽ concupiscentijs mũdi seruit, non est ex patre sed ex mundo: eum qui ex patre non est, sed ex mun-

Ioan. 15. c
Ioan. 17. c
Ioan. 17. c
1. Ioan. 5. d

do, ex diabolo esse perspicuum est. Quemadmodum in euangelijs quoq; ad Iudæos ait: Vos ex patre diabolo estis: hoc est ex mundanis studijs, quorũ diabolus est & fator & cultor. Atq; hoc, inquit, mũdi cõcupiscentiæ ac libidines stabiles minime sunt, sed pertrãseũt. At quę ex volũtate Dei fiunt, ea firma atq; æterna perdurant. Stabilia vero contemnere ac negligere, & caducis atque euanescentibus tantum incumbere sapientis non est: sed eius, qui supra arenę cumulũ extruere domum aggrediatur: Voluntas autem Dei: id est patris est, vt in eum quẽ ille misit credamus.

Ioan. 8. f

Mat. 7. d
Ioan. 6. d

Filioli, extrema hora est: et sicut audistis Antichristum uenire, etiam nunc antichristi multi extiterunt. unde extremam horam esse cognoscimus.

Quoniam vniuersalis est hæc epistola unicuique particulari homini accommodata, & non est vnicuiq; vitæ terminus præfinitus, sed proprius cuiusque finis incertus est: merito ad proprium finem considerandum vnumquemq; inducit: vt quasi extrema vitæ hora vnicuique instet, sobrietas subsequatur: atq; ita uita immaculata, & actionum puritas inter Christianos semper versetur. Neque locum vllum habet si quis illudere insane hæc velit, quòd cum ante tot annos dictum hoc sit, id est extremam horã esse, nõdum hucusque extremum id tempus fuerit absolutum. Nã præ tẽporis interuallo quod à principio extitit, quantum tandem illud esse censendum est, quod hucusq; a Christo videlicet est prolapsum? Præterea cum rei uniuscuiusque tres partes sint, prima, media, & postrema: nihil absurdi est, si totum id quod à medio procedit, postremum appelletur. Quare si in medio millesimæ annorum decadis Dominus aduenisset, ferè enim in quinquies millesimo anno aduenit: totum id tempus quod à medio hoc excederet, si extremum diceretur, reprehenderet nemo: sed ex cẽtum verbi causa annis tam primi, id est decem, quàm viginti & cæteri deinceps, extremi nomen merito obtinerent. Sic igitur etiã hic quoniam ad medium Domini aduentus tempus mille annorum facta accessio est, quicquid ab eo est, recte dici extremum potest. Atque hæc verissima loci huius, & ex aurei IOANNIS sententia interpretatio est. Possumus tamen extremum etiam hic pro pessimo sumere. quẽ ad modum cum dicimus, in extremum malum deueni. Nam quia mundus tunc magnis malis & turbationibus agitabatur, dum diabolus post aduentum boni ea procuraret, vt vel bonos tentaret, vel confunderet omnia, ne bonum a malo discernere quispiam posset: propterea tẽpus illud extremam horam appellauit, quasi pessimã dicas, & quæ vltimo loco quasi fex & sentina desederit. Confirmat autem esse extremam horam siue pessimam, siue vltimam intelligas ex Antichristo. Si enim inquit Antichristum in extremis tẽporibus atque vltimis expectamus, nunc vero Antichristi multi extiterunt, de Cerintho autem & similibus intelligit: tempus extremum mũdi cosummationis impendere perspicuum est, cum

multi antichristi vni illi præeant.

Ex nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis. nam si ex nobis fuissent, nobiscum permansissent. Sed ut non omnes esse ex nobis manifestentur. Et uos unctionem habetis a sancto, et nostis omnia. Non scripsi uobis, eo quòd non noueritis ueritatem, sed quia nostis ipsam: & quia omne mendacium ex ueritate non est.

Vbi multos esse antichristos dixit, vnde ꝟ sint, declarat, cum inquit: ex nobis egressi sunt. Sed cum debuisset euidentioris orationis causa, se ipse interrogare, vnde antichristi hi extiterint? & deinde subiungere, ex nobis sunt egressi: non ita fecit, sed confusius rem ita exponit, fortasse vt orationis confusione iniucunditatem rei præ se ferat. Cæterum cur ex Domini discipulis antichristi existunt? vt errantibus fide digni esse videant, quippe qui ex discipulis sint, & ex magistri sententia prædicationē facere, non in contrarium prorsus ferri existimētur. Ex nobis aũt inquit, egressi sunt, propterea quòd cum essent discipuli, a veritate defecerant, & proprias quasdam blasphemias excogitarunt. Subintelligendum autem, & vnde isti antichristi sunt? vt oratio clarior euadat. Non enim erant ex nobis, id est ex sorte eorum qui salui fiunt: nã si fuissent, cum suis permãsissent. nunc uero id faciunt, vt à nobis prorsus fuisse alienati, & alienis adhæsisse manifestentur. sunt enim nonnulli inter hos qui ex nobis non sunt, quibus videlicet qui ex nobis egressi sunt, sese adiunxerũt: propter quos

inquit (vt non omnes esse ex nobis manifestentur) a nobis siquidem domesticis abstracti atque abrupti ad alienos transiere: magisq; gentium in modum intemperanter, q; nobiscum temperanter viuere proposuerũt. Cum hæc dixisset, ne sibi tantummodo horum cognitionem attribuere videretur, atq; arroganter se gerere & iactabunde apud fideles, quasi solus ipse hæc cognoscat: subiungit: & vos vnctionem habetis: quasi dicat: Sed quid ego hęc apud vos quasi ignaros percenseo? Non ignoratis sanè hæc vos: quippe cum per sanctum baptisma vnctionem sacram, ac per hũc spiritum diuinum acceperitis, qui in omnem veritatem vos deducit. Quocirca scito te me non scribere hęc vobis quasi ignoretis, sed tãquàm sciẽtibus. quænam? extremum tempus, antichristorum prouentum, omnia plena mendaciꝭ esse. Vnde etiam quia abundat mendaciũ, propterea, inquit, antichristos etiam multos extitisse dico. Nam si Christus veritas est, quem vos quoq; cognoscentes veritatem in uobis habetis: mendax cũ contrarius veritati, id est Christo sit, antichristus prorsus est. Ioan. 14. a

Quis est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum? is est antichristus, qui patrem & filium negat: omnis qui negat filium, neque patrem habet.

Hic quoq; subaudiendũ est diluciditatis causa (&) cõiunctio, vt hoc modo oratio euadat. Et quis est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum? Hoc autem erat, quod Simon impius nugabatur, dum alium Iesum, aliũ Christum esse

assereret: Iesum uidelicet qui e sancta Maria ortus fuerat, Christum qui in Iordane de cœlo descenderat. Qui igitur, inquit, huic mendacio est inuolutus, is est antichristus. Hoc autē quod inquit (is est antichristus) duobus modis sumi potest: & pro eo qui Iesum esse Christum negat, & pro eo qui patrem & filium, negat. Sed etiā qui negat patrem & filium, is quoque mendax est & antichristus. Nam alij hæretici, quorum unus erat detestabilis Valētinus, alium esse patrem innominabilem asserebant, præter eū qui pater Christi diceretur. ijdem hi filium quoque negant, dum hominem solum esse ipsum, & non natura Deum affirmant. Vnde etiam subiungit: omnis qui negat filium, neq; patrem habet. Quemadmodum Iudæi, qui cum negarent filium, patrem cognoscere se asseuerabant. Sed sciant isti se neq; patrem cognoscere. si enim eū nouissent, eum quoque filij unigeniti patrem esse proculdubio percepissent. Idē Simonis sectatores iactabant.

Vos igitur quod audiuistis ab initio in uobis permaneat. si in uobis quod a principio audiuistis, manserit, & uos in filio & in patre manebitis.

Atque illi quidem ita sese habent. vos vero, inquit, quod audiuistis ab initio, id est de ueritate Christi, in uobis ipsis seruate. id enim significat (in vobis maneat.) in filio & patre manebitis:) id est coniunctionem & communicationem cum eo habebitis.

Et hæc est promissio, quam ipse nobis pollicitus est, uitam æternam.

Communicationem, inquit, cum filio & patre habebitis: hæc enim promissio eius est. nam (&) coniunctio pro (enim) & (quia) sumi hic debet. Promissio autem eius hęc est, cum inquit: ut sicut ego in te pater & tu in me es, ita ipsi in nobis unū sint. et rursus: vt habeant vitam ęternā. hæc autem uita æterna est, vt cognoscant te solum verum Deū, & quē misisti, Iesum Christū. Ioan. 17.d Ioan. 3.b Ioan. 17. a

Hæc scripsi uobis de ijs qui seducunt uos. & uos unctionem quam ab ipso accepistis, in uobis manet: & non necesse habetis, ut quispiam uos doceat. sed sicut eadem unctio docet uos de omnibus, & uerum est, & non est mendaciū. & sicut docuit uos, manete in eo.

Vbi sermonem de his absoluit, infert, hęc scripsi vobis de ijs qui seducunt vos, his sectis videlicet atq; hæresibus, quæ ex nobis sunt egressæ. Deinde rursus, id quod superius etiam diximus, vt ne molestias ipsos aliqua afficiat, subiungit, ipsos quoque vnctionem accepisse, id est spiritum sanctum, sicut dictum est. Quia igitur, inquit, spiritum sanctum quem accepistis, firmū in uobis habetis, necesse vobis non est, ut quispiam vos doceat. Sed sicut eadem vnctio, id est spiritus vos docet de omnibus, sicut uos docuit, manete in eo, verum enim est, & non est mendacium id quod vos docuit. Ordo autem est, & vos quia vnctio quā ab ipso accepistis, ī vobis manet, vt qspiā vos doceat, necesse nō habetis.

Et nunc filioli manete in eo, ut cũ apparuerit, fiduciam habeamus, & ne erubescamus ex ipso in aduentu eius. Si cognoscitis eum iustum esse, scitote omnẽ qui iustitiam facit, genitum ex ipso esse.

Cum antichristorum prouentum iam dixerit, omnemq; eorũ peruersam doctrinã, ex qua quasi nota quadã manifestos eos reddidit: satisq; hos confirmarit, vt immutabiles in ijs permaneant, quibus fuerunt instituti: subiungit deinceps, quẽnam reposita merces ipsis erit, vt ipsos ex præmiorum præstantia quasi animet ac corroboret. atq; inquit: manete in eo. qua de causa? vt quando apparuerit, & fuerit manifestatus, fiduciã in ipsum habeamus. quid enim illustrius, atque admirabilius esse vnq; poterit, q̃ cũ apud quem labores nostros in vita susceptos relaturi sumus, apud eũ cum fiducia id faciemus, nulloq; pudore in aduentu eius perfundemur? Et quia aliquis requirere merito poterat, quænam agendo ipsi placeret, id docet: atq; ait: si nostis ipsum esse iustum, prorsus etiam illud cognoscite, eum qui iustitiam facit, ex ipso natũ esse: quippe cũ iustus iustos etiam procreet ac gignat. quod profectò quantum ad gloriam & fiduciam vestrã faciat, ignorat nemo.

Quod unusquisq; qui in Christo est, sine peccato sit: qui enim peccat, eum ex diabolo esse: de charitate erga proximum & distributione ex affectu: de bona conscientia ex fide Iesu Christi. Cap. III.

Videte qualem charitatem dederit nobis pater, ut filij Dei appellati simus. propterea mundus

dus non cognouit uos, quia ipsum non nouit.

Videte quanta & qualis sit charitas & benignitas, quã erga nos præ se tulit. dedit enim nobis, vt filij eius & simus & uocemur. at si ijs qui in mundo sunt, incertum est, uos videlicet Dei esse filios, ne quicpiã miremini. propterea enim non cognoscit uos mundus, quia neque eum nouit qui vos in filios adoptauit. Mundum autem turbam mundanam e vulgo appellari sæpe dictum iam est. Deinde posteaq; adoptionem ipsorum asseruit, clarius deinceps adoptatorum filiorum repositam fiduciam ac gloriam subiungens inquit,

Dilecti nunc filij Dei sumus, & nondum quid futuri simus, manifestatum est. sed nouimus cum manifestatum fuerit, similes nos ipsi esse futuros, quoniam sicuti est, ipsum uidebimus. et omnis qui spem hanc in ipsum habet, purificat se ipsum, sicut ille purus est.

O dilecti, inquit, ex ijs quæ diximus, in filios Dei assumptos nos esse prorsus nostis. quòd si id manifestatum nõdum est, ne turbemini. quod enim nunc obscurum est, cum ille reuelabitur, manifestum fiet: & nos similes ipsi apparentes adoptionis claritatem præ nobis feremus: quippe cum filij patri similes sint. Quin etiam apud ipsum fiduciam tanquam filij habentes, videbimus ipsum, sicuti est: non quantum quidem ad naturam eius spectat, id enim fieri nullo modo potest. sed quo pacto? ita videlicet, vt ipsum iustum iusti, purũ puri cõspiciamus, similes enim

simili adhęsuri sunt. propterea siquidem similes nos ei esse futuros dixit. id quod nō ad naturam et substantiā, sed ad qualitatem refertur. alioqui non similes, sed eosdē dixisset. in qualitate enim glorię similititudinem hanc futuram significat. Aduertendum autem superius eū dixisse, omnē non qui fecit, aut qui facturus iustitiam est, sed qui facit: propterea quòd virtutes cum actiuæ sint, in eo existūt, dum fiunt: cum vero cessarūt: aut futuræ sunt: ne prorsus quidem sunt.

Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit: et peccatum iniquitas est.

Posteaq; ex iustitiæ bonis iustitiam ipsam cō mendauit, nunc a contrario idē comprobat: atq; inquit, omnis qui facit peccatum &c. quasi dicat, vos qui adoptati in filios fuistis, exercete iustitiam & ne ocioſi ab ipsa maneatis. Quem admodum enim in peccato, nō qui id perpetrauit, aut est perpetraturus, is iniquus est ac peccator, sed qui id committit, atq; operatur: sic etiam iustus ille est, non qui ocio vacat, sed qui iustitiā operatur. Sciendum autem est peccatum, id est ἁμαρτίαν esse delapsum a bono: iniquitatē vero, id est ἀνομίαν legis positæ esse violationem quasi illegalitatem dixeris: atque originem vtriusque horum esse, cum a bono excidimus, vel positam legem violamus: in idemq; vtrumq; cōcurrere: quippe cum & qui peccat, naturali fine & scopo frustretur, quod est ex ratione vitā traducere: & qui iniquè se gerit, contra legem in natura data tam incontinenter viuendo faciat. Recte igitur

Domini discipulus simul vtraq; hæc coniunxit.

Et nostis illum esse manifestatum, ut peccata nostra tollat, et peccata in eo non esse. omnis qui in ipso manet, non peccat. Esa. 53.c

Non sanè peccādi vobis locus vllus relinquitur. cum enim Christus ad peccatum destruendum aduenerit, quippe qui peccati omnis prorsus fuerit immunis: vobis qui in ipso estis nati, & fide in ipsum confirmati, peccare amplius nō licet. Hoc enim est quod significare uult, cum inquit, omnis qui in ipso manet, non peccat. is autem est, qui nulla intermissione facta virtutes exercet, et nunquam ab operatione ipsarum desistit. coniunctio vero (et) in principio huius orationis pro (propterea q;) sumpta est.

Omnis qui peccat, nō uidit ipsum, neque nouit ipsum. Filioli nemo uos seducat. qui facit iustitiam iustus est, quem ad modum ille est. 1. Pet. 2. a

Cum illū esse manifestatū, & causam cur manifestatus sit, dixerit, vt cum nullum peccatum ipse fecisset, peccata nostra tolleret: id est deleret ac perderet: infert, omnis qui peccat, non vidit ipsum. Si enim vos, inqt, qui ipsum vbi manifestatus fuit, vidistis, & signum q; ipsum videritis, id accepistis, vt non facile, vtpote in ipso stabiliter firmati, a peccato capi possitis: prorsus sanè qui peccant, ipsum non viderunt, atque iccirco neq; cognouerunt. Videre autem hic & cognoscere nō de simplici visionis appulsu, aut

imaginatione intelligitur: sed de coniunctione erga ipsum quæ quodam cum iudicio & scientia cõciliata ab ipsis fuit: quẽ ad modũ superius diximus. Vbi hoc dixit, ĩ eodẽ hoc ipsos cõfirmat: nemo vos seducat, inquiens. nõ. n. alio q̃ hoc modo res sese habet. qui facit iustitiã, iustũ cognouit, et iustus est, quẽ ad modum ille est. i. Deus.

Ioan.3.f *Qui facit peccatum ex diabolo est, quia ab initio diabolus peccat. Ad hoc manifestatus est filius Dei, ut opera diaboli dissoluat.*

Sicut qui iustitiam facit iustus: ita qui peccatum cõmittit, ex peccatore, id est ex diabolo est, quia diabolus ab initio peccat. Propterea sui figmenti curam habens Deus, cũ sit iustitia & sanctificatio, manifestatus est. id est in mundum apparuit, vt opera diaboli quæ sunt peccata, deleret, ac perderet. Quia. n. mutatus angelus peccando, diabolus effectus est, ex ipsius consilio vnusquisq; qui peccat, agit. Præuenit enim ipse in peccante ex prauarum cogitationum suggeIoan.13.a stione, sicut in Iuda. Sed dicet quispiam, quo pacto id esse potest, vt præueniat diabolus, cũ ipsi qui peccant, prius peccare deprehendantur Ephes.4.f dum ei locum dant? Cui respondendum illud est: idem esse facere peccatum, & peccando locũ dare diabolo. Qui enim peccat concupiscentia inductus, locum ei dat, dum posteaq; ipsum admisit, re ipsa perpetrando peccatum exequitur. hoc enim significat, cum inquit, qui facit peccatum. Recte autẽ dixit, qui facit, et non qui fecit,

quippe cum ille quem iam pœnituit, ex diabolo amplius non sit, sed tantum ille qui peccatum adhuc committit. Ita siquidem etiam peccati seruus est qui facit ipsum, non qui fecit. Vnde inquit, omnis qui facit peccatũ, seruus est peccati. Ioan.8.d

Omnis qui natus ex Deo est, peccatum non facit, quia semen eius in ipso manet, & non potest peccare, quia natus ex Deo est. Filij Dei et filij diaboli in hoc manifesti sunt. Omnis qui non facit iustitiam, non est ex Deo: & qui fratrem suum non amat. Quoniã hæc Ioan. 13.d & 15.b Gen.4.b *est annunciatio, quam audiuistis a principio, ut diligamus nos mutuo: non sicut Cain ex prauo erat, & iugulauit fratrem suum: et cuius causa ipsum iugulauit? quia opera sua praua, fratris uero sui iusta erãt. Ne miremini fratres mei, si odit uos mundus. Nos nouimus, transiuisse nos e morte ad uitam, quia diligimus fratres. Qui non amat fratrem, manet in morte.* Sup.2.b & Leui.19.d *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. & nostis omnem homicidam uitam æternam in se manentẽ minime habere.*

Quia omnis qui peccatũ facit ex diabolo est in eo q̃ peccat, & diaboli filius dicitur, vt beatus Paulus ad Elymam dicit: O plene omni dolo, & omni versutia fili diaboli, inimice omnis Act.13.b iustitiæ: sic quoque qui ex Deo natus est, vtpote Dei filius non peccat. cuius causa est, quòd semẽ eius, scilicet Dei in ipso manet: hoc est spiritus quem per baptismum accepimus: qui profecto in nobis cum maneat, stabilisq; sit, facit ut mens

Universidad de Deusto Biblioteca

nostra admittere peccatum nullum possit. Vel etiam ipse Christus cum in fidelibus inhabitet,
Gal.3.b filios Dei ipsos facit. Quatenus etiam in semine Abrahã, qui est Christus, benedicunt oẽs gẽtes. Oratione aũt ita nunc ꝓcedit, vt qđ superius dixit. i. fideles filios Dei esse cõfirmet: atq; id indubitatũ constituat, tum ex re atque opere ipsius, quod est non peccare, tum ex contrario, vt paulo superius diximus. Nam si contrarium ex contrario, contrarium quoq; ex contrario iuxta dialecticas rationes necessario cõsequitur. Vide autem q̃ accurate rem pertractat: non enim prius natos nos esse vel ex Deo, vel ex diabolo dixit, quàm opera ipsa vel iustitiæ vel iniquitatis præcesserint: quippe cum ex his adoptio & Dei & diaboli existat. Nam quòd gratia salui facti sĩmus, id ob nimiam Dei bonitatẽ, benignitatẽq; dicitur, qui cum nos inemendabili modo ipsum offendissemus, iustam vindictam nobis nõ intulit, sed salutem gratis procurauit. Nã ociosis salutem ab eo non dari, Paulus quoq; ipse testat',
Rom. 8.e clamans, ijs qui ex proposito vocati sunt. Simili
Mal.1.a modo quoq; qui diabolo in filios adoptati sunt,
Rom.9.c licet ex vtero alienati fuerint, cum nõdũ ex proposito peccatum cõmisissent: ob nimiam tamen ipsorum prauitatem ac malignitatẽ dictum id est: quippe cum fieri nõ possit, vt nisi operatus malum quispiam fuerit, diabolo cõiungat'. Sed qui facit peccatum, is à diabolo assumitur, vel in filium dum sponte & ex proposito magis perpetrat malum: vel in seruum, dũ succumbit prauitati, ab eaq; subiugatur, & in seruitutem ad-

dicitur. Illud etiam aduerte non dixisse hic beatum apostolum, eum qui ex Deo natus est, non peccare, sed peccatum nõ facere: ne infantes etiã comprehenderet, quibus per ætatem ineſt, ut nõ peccent. nõ peccare. n. negationẽ absolutã significat: non facere peccatum, nõ inesse ex dispositione & affectione rem ostendit. Vnde etiam cũ adiungit (& non potest peccare) nõ de naturali impotentia qua bruta non posse suscipere scientiã dicimus, sed de uoluntaria impotentia & voluntaria uacatione a peccato intelligit. Vbi hæc dixit: id est notam & signum filiorum Dei esse nõ peccare, quem ad modum econtrario peccare filiorum diaboli esse indiciũ: resumit rursus post multa quæ interseruit, sermonem de charitate erga proximum, vtpote cum causa ipsius quæ om- Rom.13.d
nium consummatio & perfectio est, cætera omnia quæ interposita sunt, pertractarit: atque inquit: & qui fratrem suum non amat, scilicet, non est ex Deo. Nã quia qui facit iustitiam, ex Deo est natus, sequitur vt qui ita natus est, fratres amet. Qui vero non facit iustitiam, quia non faciẽdo eam fratres suos odit, ex Deo nõ est, non alio modo quàm quia ex eo natus non est. & quo pacto non sit ex Deo, ostendit, cum inquit: quoniã hęc est annũciatio, quàm audiuistis a principio. Annunciationem autem hanc esse & naturalem & disciplina acquisitam iam diximus. Nã præter legale præceptum de amando proximo, & illud Domini cum inquit, mandatum nouum do vobis, vt vos mutuo diligatis, naturale etiam ius est erga cognatum genus, quod idem facere
Leui.19.d
Ioan.13.b

nos cogit. Quoniam igitur talia ac tanta sunt
Ioan.5.d mãdata, ex Domini assertione qui verbum eius
seruat atq; exequitur, æternam vitam habet, &
e morte ad vitam transiuit. Propterea ergo diligamus fratres, neque vlla æmulatione moueamur, si a mundo odio habemur, vt nos odio prosequi fratres velimus: sed Domini sermo efficacior in nobis sit: Qui enim odit fratres suos, præterq; q̃ ab ęterna uita exturbatur, homicida etiã est: Sequit̃ enim vt homicida, neq; æternã vitã habeat. Videte enim, inquit, Cain, qui cum odio fratrem fuisset prosequutus, ipsum licet esset frater, interfecit. Cum enim opera mala haberet, filius diaboli erat. Abel autem filius Dei, cũ iustã operaretur. Diabolus vero Deo, & praua opera bonis aduersantur. Iccirco effectum est, vt Cain fratri cõtrarius ipsum interemerit. Atq; hęc orationis huius excursio est. Beatus tamen Ioannes dum semper id quod vrget, persequitur, ordinẽ immutauit. Vrgebat enim id, vt quia diaboli meminerat & eorum, qui per prauas actiones in filios ei adoptantur, eum qui à mundi initio malis suis operibus filius maligni euaserat, in exemplum produceret.

Ioan.15.b *In hoc cognouimus charitatem, quod ille pro nobis animam suam posuit, & nos pro fratribus ponere animam debemus. Qui autem victum mũdi habue-*
Iacob.2.c *rit, & viderit fratrem suum indigentiam habere & clauserit uiscera sua ab eo: quo modo charitas Dei in eo manet? Filioli ne amemus uerbo & lingua sed re & veritate.*

Vbi exemplum Cain absoluit, & ea commemorauit quæ consequuntur illi qui ipsum imitãtur: rursus ad charitatem redit, & ad bona quæ ex ipsa proficiscuntur. & charitatem inquit Dominum induxisse, vt animã pro nobis poneret: Ioan.15.b
nosq; id exemplum sequutos vitam quoque pro fratribus exponere debere. Sed quia hoc admodum rarum & in paucis est, quasi ipsos castigans & in pudorem inducens ex leuioribus fraterni amoris adhortationem facit, perinde, ac si dicat. quid animam pro fratribus ponendam esse dico, cum aliquos ne in indigentia quidem necessariarũ rerum fratribus succurrere videamus? atq; eos non victus et facultatum inopes, sed qui totum fere mundum diuitiarum possident. Erubescant igitur: nam si in paruis his viscera sua clauserunt, & indignos se & vacuos Dei charitate reddiderunt: quid in maiore ac præstãtiore re, quod est vt pro fratribus moriant̃, facturi sunt̃? Deinde eos etiam corrigit, qui verbis tãtum charitatem admittunt, eamq; lingua sola & nõ opere præ se ferunt.

Atque in hoc ex ueritate nos esse cognoscimus, et
corã ipso suadebimus cordibus nostris. Quoniam si
condemnet nos cor nostrum, Deus corde nostro est
maior, & nouit omnia. Dilecti, si cor nostrũ non con-
demnet nos, fiduciam habemus apud Deum, & quic- Ioan.15.a
quid petierimus, ab eo accipimus: propterea quòd mã-
data eius seruamus, & placita in conspectu eius, fa- Ioan.5.d &.17.a. &.12.a
cimus. atque hoc est mandatum eius, ut credamus in

nomine filij eius Iesu Christi.

In hoc cognoscimus, in quo ? in amando non verbis, sed re & opere & veritate. sed quid est id quod cognoscimus? nos ex ueritate esse. nam qui aliud dicit, & aliud facit, cum actionem minime consonā verbis habeat, mēdax est, & nō verax. atq; ex hoc. i. ex eo q̄ verū dicimus, uerū aūt dicimus, cū opera etiā verbis nostris correspōdēt: conscientiæ nostræ suadebimus: id enim cor hic significat. & quo modo suadebimus? Cum id nobiscum statuentes quasi apud Deum testem verba faciemus. hoc enim (coram ipso) uidetur significare. Si enim, inquit, ita nō fiat, sed cor nostrū: id est conscientia nos condemnet, peccare nos minime ignoramus. nam si conscientiam nostram quæ exigua, & exigui animalis res est, latere in peccando nō possumus: multo minus Deum qui est incircunscriptus atque immensus, & vbique adest, poterimus latere. Tota igitur hæc oratio huiusmodi est. Filioli mei, ne mētiamur erga nos mutuo, dū lingua sola amamus, sed opere ēt charitatē nostram præ nobis feramus. in hoc enim nos ex veritate: id est ex Deo esse cognoscemus: & quod dicimus, tanquam Deo præsente atque omnia inspiciente dicamus, nam nemo est, etiam si impudentior dæmonibus sit, qui apud Deum testē mentiri auderet. Si enim ita non faciamus, sed dum dicimus nos amare, cor nostrum nos mē dacij condemnet: peccamus: atque id, latere præsentē vbiq; Deum existimantes, neque intelligētes, quo pacto si cor nostrū quod exiguum est, latere nequimus, Deum qui nusquam non adest,

latere valeamus. Si igitur, inquit, dilecti ita nos præparauerimus, vt indēnati apud nos ipsos simus, dum videlicet erga nos mutuo verum dicimus: fiduciam habebimus apud Deum: ex qua sanè quicquid petierimus, ab ipso prorsus accipiemus. Cur? propterea q̄ mandata eius seruamus. maximum enim ad exorandum aliquē momentum habet orantium obedientia, cū sine vlla dubitatione & cunctatione ei exhibetur, apud quem petitio fit. Quoniam ergo etiā nos mandata eius seruamus, & quæ ei placent, facimus, confidamus petitionibus minime frustratū iri: cum vtriusq; affectus: ad id quod in alterius vtilitatē cedit, vicissim absq; vlla dilatione soleat referri. Sed quod mādatum eius seruamus? illud, quod inquit, charitatē habete inter vos mutuo. Cum itaq; præceptum habeamus vt fide in nomine filij eius Iesu Christi nos mutuo diligamus, atq; id facimus: ex eo spiritus eius quem dedit nobis gratiam in nobis firmatam esse cognoscimus. Sciendum autē multis in locis nouæ scripturæ reperiri in nomine Iesu Domini nostri credere: quod nihil aliud significat, quàm gloriam & voluntatem. gloriam quidem, sicut illic, q̄ ad mirabile est nomen tuum in vniuersa terra: uolūtatem, ut hic, & etiam vbi inquit, pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in nomine Domini Iesu, id est in voluntate. Sed quæ Domini Iesu voluntas est? vt in nomen patris et filij & spiritus sancti omnes gentes baptizētur.

Ioan. 15. a

Ioan. 13. b

Psal. 8. b

Act. 2. f

Mat. 28. d

Et amemus nos mutuo, sicut mandatum dedit. &

q̃ seruat mãdata eius ĩ ipso manet, et ipse in eo. atq; in
Ioan.13.d &c.15.b hoc manẽ ĩ nobis ex spũ quẽ nobis dedit, cognoscimus.

Sicut mandatum dedit: id est vero affectu. sed vbi est hoc mandatum vt vero animo & affectu nos mutuo amemus? vbi videlicet inquit,
Mat.7.b Luc.6.c Quem ad modum vultis vt faciant vobis homines, & vos similiter ipsis facite. Nam si cupimus vt proximi nostri vere erga nos & syncero animo affecti sint, simili modo etiã nos omnino erga ipsos afficiemur. Quòd si hoc mandatũ Domini est, si in ipso nos maneamus, firmatiq; fuerimus, multo magis etiam ipse seipsum nobis ex
2.Tim.2.b hibebit: quippe cum negare se ipsum nõ possit: hoc est non inaniter mãdata sua nobis tradidisse, sed in se prius cõfirmasse deprehendat. Quod cum ita sit, prorsus si quæ mandat, exequamur, nos quoq; ipsum ad ea quæ petimus, obsequentẽ habebimus, gratiamq; eius in nobis stabilem obtinebimus. Tota autem sententia hæc est: Vt credamus in nomine filij eius Iesu Christi, & amemus nos mutuo vere ac syncere, sicut mandatũ eius præcipit. qui enim seruat mandata eius, in ipso maner, & ipse in eo. atq; ex hoc manere ipsum in nobis cognoscimus, ex spiritu, id est gratia quam nobis dedit. dum enim inuiolata ea mãserit proculdubio firmũ ac stabile eius donũ habemus. inuiolata autẽ manet quoad nihil ex ijs quæ de charitate nobis mãdauit, neglexerimus.

De discretione spirituum ex confessione incarnationis Christi. de fraterno amore ad pietatem erga Deum. Cap. IIII.

Dilecti ne omni spiritui credatis, sed explorate spiritus an ex Deo sint. quoniam multi falsi prophetæ in mundum sunt egressi.

Posteaq; sermonem de charitate erga proximum absoluit, eamq; signum permansionis spiritus quem accepimus esse dixerit: nunc eorum qui vere fratres sunt, & qui nonvere, distinctionem subiungit: vt ea obseruata in falsos fratres, & falsos apostolos, & falsos prophetas ob præceptum de charitate minime incidamus. id quod maximum afferre nocumentum nobis posset. Si enim cũ prauis huiusmodi versati ita fuerimus, quasi moribus consentientes nobiscum sint, primum nosmet ipsos lædemus, si impijs verbum fidei communicauerimus, & sanctum canibus proiecerimus: Deinde illos quoq; qui nobis aliquid deferũt, non paruo damno afficiemus: quippe cum charitas nostra qua ipsos illos falsos fratres prosequemur, multos inductura sit, vt eos sibi sumant magistros, eisq; fidem adhibendam censeant si quid dixerint, incaute consuetudine qua nobiscum vti eos viderint, decepti. Quidq; horum falsorum hominum indicium sit, ostẽdit, cum inquit. Mat.7.a

In hoc spiritum Dei cognosci. Omnis spiritus qui Iesum Christum in carne uenisse confitetur, ex Deo est. & omnis spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex Deo non est. & hic est spiritus Antichristi, quem uenturum esse audiuistis.

Omnis spiritus, hoc est omnis prophetia, aut

apostolatus dignitas, quæ Dominum Iesum in carne uenisse confitetur, ex Deo est: quę non cõfitetur, ex Deo non est, sed ex Antichristo, quem creaturam esse audiuistis. Quando ? cum paulo ante dixit, multos antichristos esse in mundo: qui videlicet præuĩ & præcursores Antichristi essent. Confessionem autem hanc aduentus Domini in carne non lingua, sed operibus fieri intelligit. Quem ad modum etiam beatus Paulus in quit: Vbique mortificationẽ Iesu in corpore circunferentes, vt & vita Iesu in corpore nostro manifestetur. Qui igitur operãtẽ habet Iesum, & mundo mortuus est, neque amplius mundo, sed Christo uiuit, Christumq; non in Christi tãtum carne, sed in sua quoque circunfert: is est ex Deo. Qui contrà non Christo viuit, sed mũdo, id est mundi concupiscentijs, is non est ex Deo. Vnde etiam Paulus ait. Quando inter uos contentiones sunt & seditiones, nõne carnales estis, & iuxta hominem ambulatis ? qui autem iuxta hominem ambulat, spiritũ Dei nõ habet. at qui spiritum Christi non habet, id est qui non iuxta Christum uiuit mundo mortificatus, is Christi non est.

Sup. 2. c

2. Cor. 4. c

1. Cor. 3. a

Et nunc in mundo iam esse. Vos ex Deo estis filioli et uicistis eos. quoniam maior est, qui in uobis est, quàm qui est in mundo. Ipsi ex mundo sunt, propterea ex mundo loquuntur, & mundus ipsos audit. Nos ex Deo sumus. qui cognoscit Deum, audit nos. Qui non est ex Deo, non audit nos. Ex hoc spiritum ueritatis cognoscimus, & spiritum erroris.

Ioan. 8. f

In mundo esse iam Antichristum inquit non corporaliter, sed per falsos prophetas, & falsos apostolos, & hæreticos, qui præuĩ ipsi sunt. Antichristus autem homo erit qui Satanam circumferet, & supra omnem qui dicitur Deus, aut numen, extolletur. Vnde etiam Idolorum cultũ reprobabit, quos deos dici significauit. quod autem inquit, supra omne numen, id est. σέβασμα, hoc est cultum & venerationem, id ad Christianorum religionem refertur. nam se solum Deum ostendere conabitur. Cum ita falsos prophetas, & apostolos notarit, subiungit: Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eos, scilicet falsos prophetas. qui pacto ? quia qui in vobis est Deus, maior est, quàm qui est in mundo, iuxta quem falsi prophetæ vitam traducere proposuerunt. Deinde alteram quoq; falsorum prophetarum notam infert. id quod simpliciores pręcipue ex fidelibus molestia afficiebat. verisimile enim est aliquos ex ipsis indignari atq; ægre ferre, cum viderent illos plerisq; esse caros, se contemptui esse. iccirco inquit, ne doleatis, si vos a plerisque sperni, illos laudari atque admitti videtis: quippe cum simile ad id quod simile sibi est, accurrat atque adiungatur. ipsi è mundo sunt, & e mundo loquentes, id est iuxta carnales cupiditates docẽtes peruersi peruersos obsequentes sibi habent. Nos vero quippe qui ex Deo sumus & a mundanis concupiscentijs alienati, admitti ab illis nullo pacto possumus. Sed ille nos audit, qui temperãter viuit: ac propterea qui cognoscit Deum, adhibere nobis aures paratus est. Vnde etiam Christus,

2. Thes. 2. b

Mat.13.a Mar.4.c Luc.8.a

inquit, qui habet aures audiendi, audiat: eum habere aures significans, qui ad obediendum est præparatus. His ita distinctis postea quasi eorū quæ dixit, obsignationem inferens, ex hoc spiritum veritatis, id est, eos qui veram propheticam dignitatem obtinent, & spiritum erroris, id est falsos prophetas cognosci inquit.

Charissimi amemus nos mutuo, quoniā charitas ex Deo est: & omnis qui amat, ex Deo est natus, & cognoscit Deum. Qui non amat, Deum non nouit, quia

Ioan.3.b

Deus charitas est. In hoc charitas Dei manifestata est, quòd filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut per ipsum uiuamus. In hoc est charitas, non quia nos Deum amauimus, sed quia amauit ipse nos, & filium suum misit propitiationem pro peccatis nostris. Dilecti, si ita dilexit nos Deus, & nos etiā mutuo diligere nos debemus.

Rursus sermonem resumit de charitate. Vbi enim ostendit, quinā charitate prosequēdi sint, boni videlicet & veri Christiani, qui similitudine morum coniuncti sunt: persequitur quod a principio dixerat, ex Deo esse inquiēs, & charitatem & qui ea utitur. & solum eum qui charitatem habet, ex Deo esse natum, & Deum cognoscere: qui enim ea caret, Dei quoque ignoratione esse priuatum, contraria contrarijs confirmans. Quo pacto autem qui non amat, & charitate præditus non est, Deum non cognoscat, in hunc modum demonstrat: Deus inquit, charitas est.

est. Vnde id patet: ex eo sanè quòd filium suum vnigenitum in mundum misit, vt veram uitam nobis exhiberet, ac per eum viueremus. Quem ad modū enim bonitas Deus dicitur, propterea quòd ex bonitate intelligibilem & sensibilē mūdū constituit, vt sui qui vere est, participes alios faceret: sic quoque ex charitate erga nos cum filium suum vnigenitum in mundum miserit, per eum charitatē se esse declarauit. Vnde etiam infert, in hoc est charitas, id est in hoc charitatem esse Deum manifestatur. Deinde charitatis Dei præstantiam extollens, nō quia nos inquit Deū amauimus, suum filium misit Deus: id quod ab ijs qui amātur, debetur, vt æqualem affectū amātibus reddāt: Sed ex charitate nos beneficio præueniēs, id fecit. neque solum misit filium suum, sed ita misit, vt sanguine suo propitiationē pro peccatis nostris exhibuerit. Si igit̄ ita nos amauit Deus, qui nullam cum natura eius communicationem habemus: multo magis etiā nos amare eos qui cognati nobis sunt, debemus: & cum cognoscamus bonum quod ex charitate proficiscitur, id mutuo nobis præstare. Sicut enim crimen est, si quis quod eligibile est, non eligat, & quod amabile est, non amet: sic si quis charitate dignos amet, ac caros habeat, propterea q̄ amabiles sunt, is laudem apud omnes meretur. Cum autem ita affecti fuerimus, vtraque habebimus, hoc est, erimus & amabiles propterea q̄ à Deo amati simus: et amatiui, ut ita dicā, ex amore & charitate qua proximos prosequimur. si tamen charitas syncera & pura sit, non perturbata &

sordida, cuiusmodi latronibus inesse & alijs etiam maleficis potest.

Ioan.1.b 1.Tim.6.c

Deum nemo uidit unquam. Si mutuo nos amauerimus, Deus in nobis manet, & charitas ipsius perfecta in nobis est. In hoc cognoscimus nos in ipso, et ipsum in nobis manere, quòd de spiritu suo nobis dedit. & nos uidimus & testificamur, patrem misisse filium Saluatorem mundi.

Superius quoque diximus morem esse beato huic, vt eadem de ijsdem aliquoties repetat: quo & habitum in animum discentium earum rerū quæ dicuntur, inducat, & rem clarius ac perfectius pertractet. Cum enim alio atq; alio modo ab ijs quæ in re insunt, rationes sumat, & quasi quod prætermissum fuit, suppleat: perfectissimā eorum quæ dicit. demōstrationem absoluit. Nūc igitur simili repetitione vsus, Deum, inquit, nemo vnquam inspexit. Nam cum de charitate erga fratres loqueretur, Deum in exemplum produxit, qui ob immēsam erga nos charitatem filium suum vnigenitum ad mortem tradidit. Vnde verisimile erat, vt aliquis dubitaret, ac diceret, quo pacto hoc dicis de rebus, quæ non videntur, ac percipi nullo modo possunt? noscq; ijs vis confirmare, quæ nondum quispiam cognouit? Huiusmodi dubitationi occurrit, atque inquit: assentior, quidem, etiam ego, neminem esse qui Deum vnquā viderit: sed ex mutua tamen erga nos charitate Deū i nobis eē cognoscimus. atq; id recte. quippe cum multa sint, quæ licet videri

nequeant, ex operationibus tamen esse percipiūtur. Quem ad modum enim animam, quāuis eā non videamus, ex operationibus eius & motionibus inesse nobis intelligimus: sic Dei quoque erga nos charitatem, quasi ex quodam motu & operatione cognoscimus. Quòd si hoc non præter veri similitudinem est, merito Diuinus hic vir ex operatione & effectu in nobis quoq; Deū esse ostendit. Sed quæ operatio hæc est? pura & syncera nostra erga proximos charitas. hæc siquidem in eo q; pura est, efficax est atq; absoluta & perfecta. Hoc indicio, inquit, est & nos in ipso, & ipsum in nobis permanere, q; de spiritu suo nobis dedit. quippe cum purus pura & munda ab omni sorde gratificetur. Quoniam igitur per puram charitatem cū ipso cōmunicationē habemus, ex eo nos quoque, inquit, qui in carne ipsum uidimus, cognouimus & testificamur patrem misisse ipsum Saluatorem mundi. Quin etiā ad cognitionē nostram illud accedit, q; ipse etiam nobis explicauit, modo dicens, egressus sum a patre & veni in mundum: id quod patrē ob charitatem erga nos de cœlo misisse vnigenitum suum in mundum declarat: modo apertius inquiens, adeo dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitū dederit, vt omnis qui in ipsum credit, non pereat. Item, non veni, inquit, vt iudicem mūdum, sed ut saluum faciam. Et ex ipsa igitur inspectione, inquit, & ex vnigeniti declaratione qui est in sinu patris, vt in euangelijs dicitur, & ex operatione per mutuā erga nos charitatem Deum esse in nobis, & de spiritu suo no

Ioan.16.f

Ioan.3.b

Ioan.12.g

Ioan.1.b

bis dedisse, communicationemq; nos cum ipso habere percipimus.

Quicunque Iesum esse filium Dei confessus fuerit, Deus in ipso manet, & ipse in Deo. & nos cognouimus & credidimus charitatem, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in ipso.

Hoc ad id quod paulo superius dixit, refert, hoc est omnis spiritus qui in carne venisse Iesum Christum fatetur, &c. Quoniam enim & filios eos esse Dei, & Deum in ipsis manere abū de demonstrauit: atque id ex mutua inter ipsos charitate, quæ spiritum sanctum, id est spiritualia dona data ipsis esse confirmat: ad illa rursus orationem reducit, atque inquit: quicūq; Iesum esse filium Dei confessus fuerit, in eo Deus manet. tale quid superius etiam dixerat, cū inquit, omnis spiritus qui Iesum Christum in carne venisse confitetur, ex Deo est. progrediens tamen mihi, inquit, oratio, aliud quid manifestauit. Et hoc igitur propono, eos qui hoc confitentur & manentem in se spiritum, id est Deum & eius spiritualia dona habere, & ipsos in Deo esse. atque id non ita temere dicimus, sed certa cognitione, & fide ex mutua inter eos charitate confirmamus. Vbi autem de charitate meminit, omnia quæ superius etiam de charitate iam dixit, ad maiorem confirmationem subiungit.

In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciā in die iudicij habeamus, quòd quemadmodum ille est, & nos in mundo hoc simus.

Volo, inquit, nos perfectos ī charitate esse, vt in die iudicij fiduciam habeamus, apud eum videlicet qui homo factus est, quippe cum ipse sit qui iudicet, ex ipsius declaratione, cum inquit, pater neminem iudicat, sed iudicium omne dedit filio. ac qua de re hanc fiduciam habituri simus, subiungendo ostendit, quòd, inquiens, quem ad modum ille est, & nos in mundo hoc sumus. cum enim prius & Deū in nobis, & nos in Deo esse demonstratum sit, perfectionem charitatis in nobis quoq; esse attestamur. Sicut igitur ille immaculatus erat & purus in mundo, vti de etiam dicebat, venit princeps mundi huius, & in me inueniet nihil: sic nos quoque in mundo hoc erimus. nam(est) & (simus) verbum pro futuro intelligendum est: vt sicut sæpenumero scripturæ mos est, tempus pro tempore positum sit. Vel profundius quid ex hoc significare beatum Apostolum censendum est. sæpe enim cum dixerit nos in Deo & Deum in nobis esse: si ita est, & ille puro quodam modo in nobis est, id est ita vt puritatis & sanctitatis nobis sit dux atq; auctor: sic etiā nos pure et sancte in nobis ipsum in mundo hoc circunferamus, mortui videlicet mundo, mortificationemq; eius vbiq; in corpore præ nobis ferentes. si enim ita viuamus, apud ipsum fiduciam habebimus, & liberati timore omni erimus: perfecti siquidem per bona opera

Ioan. 5. d

Ioan. 14. d

2. Cor. 4. c

in charitate, procul a timore erimus cõstituti. cui iusce rei confirmationem subiũgit, cum inquit.

Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras eijcit timorem: quoniam timor punitionem habet: qui autem timet, perfectus in charitate nõ est. nos amemus ipsum, quia prior ipse amauit nos.

Timor non est in charitate: quis timor? pœnæ videlicet, & punitionis, vt ipse explicat. posset enim quispiam amare timore inductus ne puniretur: qui sanè timor perfectus non est hoc est,
Psal.33.b perfecta charitatis non est. Sed dubitant nonnulli quo modo cum Dauid dicat, Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est defectio timentibus eum: nunc hic perfectam charitatem foras eijcere timorem dicat. Hoc modo enim sancti Dei perfecti in charitate non essent, quibus, vt timeant, præcipitur. Dicendum igitur, duplicem esse timorem, alterum initialem, qui punitionem ac pœnam ob male facta incutit, cum aliquis videlicet ad Deum accedit, quia timet ne puniatur: alterum perficientem, turbatione omni ac terrore liberũ: qui propterea etiã
Psal.18.c castus dicitur, ac permanens in seculum seculi. Timor enim, inquit, Domini castus permanens in seculum seculi: cum initialis neque stabilis ac permanens, neque castus sit, sed a perfecta charitate deficiat. Nam timor perficiens est, qui ob perfectam charitatem semper solicitum hominẽ reddit, ne in quopiam ex ijs deficiat, quæ a vehementer amante præstari ei qui amatur, debent.

Qui igitur vere amat Deum, is Dei voluntatẽ non ob pœnarum minas exequitur, sed amore virtutis, & vera erga Deum charitate illectus, id facit: seque perficiente hoc timore stabilit, atque obfirmat. Vbi de perfecta charitate dixit, debere nos amare Deum etiam necessario, demonstrat, propterea q̃ prior ipse nos amauerit. erga eum enim qui beneficijs nos præuenit, magnum studium in referenda gratia impendendum nobis est: quemadmodum latius superius declaratum est.

Si quis dixerit, Deum amo, & fratrem suum odio habeat, mendax est.

Cum charitatem a Deo ad nos, & à nobis ad Deum necessario deducere nos ostẽderit: addideritq;, si ita nos amauit Deus, debere quoque nos mutuo nos ipsos diligere: nunc rursus ad idẽ oratione refert, atq; inquit necessarium nobis omnino esse, vt fratrem amemus charitate Dei erga nos exemplo inducti, quam prorsus reddere ei debemus. Oportet, inquit, vt sine vlla excusatione fratrem diligamus, id quod maximum nostræ erga Deum charitatis indicium est. nam si fratrem non amamus: neque erga Deum charitas vlla in nobis seruatur. quippe cum id quod debemus inter nos mutuo, intereat, quod ex charitate erga Deum acquisiueramus.

Qui enim non amat fratrem suũ quẽ uidit, amare Deũ quem non uidit, quo pacto poterit? & hoc man-
Ioan.13.d & 15.b Ephes.5.a

datum ab ipso habemus, ut qui amat Deum, fratrem etiam suum amet.

Hoc ad redarguendos eos subiungit, qui diuinam charitatem volunt adulterare, perinde ac si ita dicat. charitas ex mutua omnino consuetudine conflatur: consuetudo autem ex eo existit, ꝙ videmus fratrem, atque inde præcipue in amorẽ eius accensi coniungimur: quippe cum visio sit, quæ in amorẽ maxime homines illiciat. quocirca qui quod magis in amorem allicit, negligit, et fratrem quem videt, nõ amat: quo pacto si Deũ quẽ non videt, neque vllo sensu percipit, cuique nulla consuetudine est cõiunctus, se amare dicat, verum dicere iudicabitur? Si tamen, inquit, aliquis sit, qui ita impudenter se gerat, vt Deum se amare cum asserat, fratrẽ odio prosequatur: nonne præter ꝯ quòd charitatem diuinam adulterat, mandati quoque Dei transgressor est existimandus? illius videlicet, quod præcipit, cũ inquit: in hoc cognoscent omnes meos vos esse discipulos, si mutuo vos amore ꝓsequamini. Qui igitur Deum amat, & se eius discipulum esse affirmat, is fratrem quoque suum ex mãdato eius diligat quoque necesse est.

Ioan.13.d

De glorificatione Christi in gloria patris, & de victoria aduersus malignum ex fide Iesu Christi in vitã: de auxilio peccanti fratri per orationem adhibendo, & de non peccando: vbi monet, ut caueamus a dæmonum cultu. Cap. V.

OMnis qui credit Iesum esse Christũ, ex Deo natus est, & omnis qui amat eum qui genuit,

eum quoque amat qui genitus ex ipso est. In hoc nos filios Dei amare cognoscimus, cum Deum amamus, mandataque eius seruamus.

Vbi ostendit eum qui Deum amat, eiusꝙ se esse discipulum asserit, amare etiam fratrem suũ debere ex eius præcepto: idem rursus in hunc modum confirmat: Si mandatum accepimus à magistro nostro, vt mutuo nos amemus: si magistrum nostrum Iesum esse Christum credimus, in eo autem est Christus, ꝙ Deus & homo est: mandata prorsus eius utpote magistri ac Dei seruabimus. At si eũ esse Deũ credimus, filiũ ipsius sumus, quẽ ad modum in Euangelio dicitur: qui cunꝙ autem eum receperunt, id est quicunque in ipsum crediderunt, dedit eis potestatem, vt filiũ Dei fiant. Si autem geniti ex ipso sumus, id quod ei qui genuit, debetur, exhibebimus: id est eum amabimus, cum natura comparatum sit, vt filij parentes suos amore prosequantur. Cum igitur omnes qui credimus, nati ex ipso simus, propterea etiam mutuo nos vtpote fratres, atꝙ ex ipso nati amare debemus: qppe cũ qui amat eum qui genuit, eum quoque amet, qui genitus ex ipso est. Deinde reciprocat orationem, & ait, charitatẽ erga fratres, id est erga filios Dei, charitatem erga Deum confirmare. Prius enim dixit, qui amat Deum, fratrem quoque suũ amat, nunc ecõtrario qui filios Dei, inquit, amat, Deũ ipsum etiam amat. Charitatisꝙ erga Deum indicium charitatem erga fratrẽ esse statuit. Deinde charitatem in Deum mandatorum eius esse

Ioan.14

exequutricem asserit: recte id quidē. Qui enim
Ioan. 14.c amat me, inquit Dominus, mandata mea seruat.

Hæc enim est charitas Dei, ut mandata eius seruemus: & mãdata eius grauia non sunt. quoniam omne
1. Cor. 15.g *quod natum ex Deo est, uincit mundum: & hæc est uictoria quæ uincit mundũ, fides nostra. Quis est qui uincit mũdum, nisi qui credit Iesum esse filium Dei?*

Per traiectionem legenda hæc oratio est, hoc modo: Hæc est charitas Dei, vt mandata eius seruemus: quoniam omne quod natum ex Deo est, &c. nam quod inquit, mandata eius grauia non sunt, interiectum est. Non inquit autem, mandata eius sunt leuia, quem ad modum Christus ait,
Mat. 11. d iugũ meũ suaue est & onus meũ leue: sed grauia non sunt: propterea quòd ei qui in uirtute proiectus iam est, etiam ea quæ valde grauia sunt, leuia habentur: ita si quis fortitudinem ac tolerantiam quæ honesta omnia efficit, amiserit, grauia vel leuissima quæque existimabit. Nam quia nonnullis Dei mandata, vtpote Dei, grauia esse videbantur: propterea inquit, mandata Dei
Mat. 25. d grauia non sunt. quid enim grauitatis & molestiæ in se habet fratrē amare? quid, visere eos qui in carcere sunt, graue ne est? non enim e carcere educere ac liberare, quod molestiam quandam præ se fert, sed inuisere tantumodo iubet. neque ægrotantem morbo liberare, sed visere. neq; esurientem opipara mensa excipere, aut nudũ pallio ornato ac magnifico induere præcipit: sed ea tantum exhibere, quæ necessariæ indigentiæ suc

currant, quam & qui esurit, & qui nudus est, requirit. Vbi hæc ita tractauit, aliud subdit, quod eos ad exercendam charitatem inducit: quæ est victoria. nam cum ex charitate erga fratrem, inquit, filios Dei vos constitueritis, illud etiam habetis, quod hoc recte factum consequitur, vt mũdum vincatis. quod enim ex Deo natum est, vincit mundum. Deinde addit victoriam, & id ex quo uictoria existit, fidem in Deum vtraq; esse affirmans: quæ ex Deo genita omnem perfidiam vicit, atq; eiecit: ita vt neque Iudæus, neq; Græcus, neq; hæreticus quãpiã vim aduersus ipsam habeat. Et quia fides nõ ipsa sola, sed cũ eo vincit, qui ipsam habet, ꝓpterea infert: quis est q vincit mundũ, nisi qui Iesum esse Dei filiũ credit?

Hic est qui uenit per aquam & sanguinem Iesus Christus: non in aqua solum sed in aqua & sanguine. & spiritus est qui testificatur, quia spiritus est ueritas. Quoniã tres sunt qui testificãtur, spiritus, aqua, & sanguis, & tres in unum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Quia hoc est testimonium Dei, quod testificatus de filio suo est. Qui credit in filium Dei, testimonium in se ipso Ioan. 3. d
habet. Qui non credit Deo, mendacẽ ipsum facit: quippe qui in testimonium Dei quod de filio suo est testificatus, non crediderit. atque hoc est testimoniũ, quòd uitam æternam dedit nobis Deus: et hæc uita in filio eius est. qui habet filium, habet uitam: qui filium Dei non habet, uitam non habet.

Quoniam generationis Dei, et geniti mentionem fecit, cum dixisset, omne quod ex Deo natum est: atque id per sanctum baptisma nobis euenit: propterea subiungit: hic est qui per sanguinem et aquã venit Iesus Christus. Sed qua de causa venit? vt nos regeneraret, ac filios Dei faceret. hoc enim ex eo quod superius dixerat, consequitur, hoc modo: & omne quod genitum ex Deo est, vincit mundum. sed quo pacto est genitum? per aquam et sanguinem. Qui enim venit Iesus Christus per aquam & sanguinem nos regenerat. atque adiungit rursus repetendo, non in aqua solum, nos regenerat videlicet, sed in aqua & sanguine. Vult enim prius Christi qui nos in filios adoptauit, declarationem ostendere: qui cũ homo qui in ipso erat, adoptatus in filiũ à Deo fuisset, ipse nobis quoq; per suam adoptationẽ eiusmodi dignitatem gratificatus est. Hoc autẽ tribus temporibus manifestatum fuit: in baptis- Matt 3.d Marc.1.b Luc.3.d mate in Iordane, cũ de cœlo pater eũ qui baptizaretur, filium sibi dilectum esse est testificatus: quis autem erat, qui in aquam ingrediebat, nisi qui conjunctus cum Deo verbo homo erat, qui cum occulto videlicet apparebat? Huic siquidem exhiberi testimonium oportebat. Per aquã igitur, id est in baptismate per aquam Iesus patris testimonio filius Dei est declaratus. at per sanguinem, quando cum prope erat vt crucifige- Ioan.12.d retur, dixit, glorifica me tu pater: & vox delata est, quæ dicebat: & glorificaui, & iterum glorificabo. quam quidem vocem qui audierunt tonitruum esse arbitrati sunt. Per spiritum vero est

manifestatus, quando e mortuis tanquam Deus resurrexit. Suscitare. n. seipsum solius Dei est. no- Matt. 28.a Mar. 16 b Luc. 24.a mine enim spiritus Deus significatur: quippe cũ spiritus Deus sit. Cum itaque tria sint quæ Iesu Ioan.4.d ipsius in filium adoptationem testificentur, baptisma, crux, & resurrectio: indubitata Domini adoptatio censenda est. per quam adoptationem nobis quoque ipse, quippe cum totius humanæ constitutionis primitiæ extiterit, id donauit, vt filios Dei essemus. Ac tria hæc in vnum Christũ conueniunt: id enim significat, cũ inquit (& tres in vnum sunt) id est in unum de Christo testimonium concurrunt. Aduertendum tamen nonnullos patres spiritum hic ita interpretari, vt nõ de resurrectione, sed de patre intelligẽdum censeãt, quando in Iordane clamauit, Hic est filius meus Matth. 3.d dilectus. propterea quòd spiritus quoque Deus, Ioan.4.d sicut diximus, dici consueuit. Posteaq; beatus apostolus hæc dixit, confirmationem a minori subiungit: atq; inquit. si testimonium hominum aliqua de re admittimus, nonne multo iustius Dei qui maior est, admittere testimonium debemus? at hoc testimonium de filio suo. i. de Christo a Deo est. Qui igitur in filium Dei credit, q; videlicet Deus sit, vtpote Dei filius, in seipso habet testimonium: cum se adoptatum in filium credat per Iesum qui adoptatus a Deo est. Qui non credit, obnoxius duobus malis est: cum & Deum mendacem faciat, & adoptione atque ob id vita æterna se ipsum priuet. quam quidem vitam adoptatis a se filijs promisit Christus, atque in se habet, sicut in euangelio scribitur: in Ioan.1.a

ipso vita erat. Quare qui habet filium per sanctum baptisma uitam etiã habet. Quicũq; enim
Rom.13.d baptizati in Christum sumus, id est iuxta mandatum eius, Christum induimus. At qui filium Dei per baptisma non habet, neq; vitam habet, sed mortuus est. Nam mortuos nos peccatis suscipiens per sanctum baptisma ad vitã suscitat. Sicut enim sæpe dictum est, qui cõsepultus cum
Roma.6.a Colo.2.b Christo est per demersionẽ in sancto baptismate, is mundo, id est mundanis cupiditatibus mortuus est, & non amplius sibi sed Christo tantum modo viuit: dum iuxta mandata eius in nouitate vitæ ambulat, nullumq; aditum peccato amplius præstat.
Roma.6.a

Hæc scripsi uobis qui in nomen filij Dei creditis, ut cognoscatis uitam uos æternam habere, & in nomen filij Dei credatis. atque hæc est fiducia, quã apud ipsum habemus, quod quicquid petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos. & si nouimus audire ipsum nos quicquid petierimus, postulata quæ ab eo petimus, habere nos etiam nouimus.

Quasi in epilogo rem breuiter in summã colligit, atque inquit: scripsi hæc uobis tanq; hæredibus vitæ æternæ. nam hæc nequaq; scriberent, nisi ijs qui in spe vitæ æternæ vitã traducerent:
Mat.7.a quippe cum neq; sancta canibus, neq; margaritas ante porcos proijcere laude dignũ censeatur. Cũ igitur tanq; hæredibus æternæ vitæ hæc scribat, breuiter, vt diximus, resumit ante dicta, eis-

que in memoriam reducit, primum in nomen filij Dei sine vlla dubitatione credere eos debere, id est in pietatem, quæ ab ipso nobis est tradita: hoc enim nomen filij Dei significat, vt superius Sup.3.d diximus: cui quidem pietati sancti baptismatis gratia præuia est. Deinde huius indubitabilis fidei nullum aliud indiciũ esse ait, nisi fiduciã, quã per immaculatam fidem apud ipsum consequimur, sicut etiam superius a nobis est declaratũ. ac rursus fiduciæ huius signũ id statuit, q; nullo ex ijs q̃ ab ipso petimus, frustremur. Sed quia interdum fit, vt non omnes omnia quæ petierint, consequanẽ, neq; in omnibus exaudiantur: adiũgit (secũdũ volũtatẽ eius) vt eum qui præter magistri voluntatem quicpiam petat, merito frustratũ iri ostendat. atq; in hoc beato Iacobo consentit. nam ille etiam, petitis, inquit, & non acci Iacob.4.a pitis, quia male petitis: id est ea quæ inutilia vobis sunt, petitis. Postea mutato ordine, ac reciprocata oratiõe indiciũ hoc clarius reddit. si nouimus, inqt, audire ipsum nos quicquid petierimus, postulata quæ ab eo petijmus habere ẽt nos credimus: perinde ac si ita dicat: Si secundũ vo lũtatem eius petimus, nos audit. & si audit nos, nouimus nos secundũ volũtatẽ eius omnia pete re, habereq; in nobis ea que petijmus: hoc est regnum & iustitiam ipsius: quæ videlicet petere Matt.6.d ipse etiam nobis mandauit.

Si quis uiderit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabit ipsi uitam peccantibus non ad mortem.

Adiungit hic quoddã ex ijs quę secundũ voluntatem Dei petere nos vult. & quia per totam epistolam fraternam charitatem extollit ac celebrat, idcp velle Deum asserit, vt charitatem erga fratrem synceram seruemus: hoc vnũ esse ex ijs quæ vult Deus, inquit: vt si quis viderit fratrem suum peccare non ad mortẽ, petat, & dabit ipsi: quid dabit? vitam ęternam. quibus? peccantibus non ad mortem. iustitiæ quippe hoc est, vt peccanti fratri condoleamus, & ad salutem consequendam opitulemur.

Est peccatum ad mortem, non de illo dico ut roget. omnis iniustitia peccatum est. et est peccatum non ad mortem. Scimus omnem qui natus ex Deo est, non peccare, sed qui genitus ex Deo est, seruat seipsum, et pra uus non attingit eum. Scimus ex Deo uos esse, & mũdum totum in prauo esse collocatum. Scimus etiam filium Dei uenisse, & dedisse nobis mentem, ut uerum Deum cognoscamus, et simus in uero in filio eius Iesu Christo. Hic est uerus Deus & uita æterna.

Ordo est in hunc modum: est peccatũ ad mortem, & est peccatum nõ ad mortem. de eo quod ad mortem non est, dico vt petat quispiam, non de eo quod est ad mortem. Deinde rem ipsam explanans peccati ad mortem, & non ad mortem diuisionẽ facit. nam peccatũ absolute, qđ quasi genus est, in duo hæc partitur: atq; inquit: omnis iniustitia peccatum est, tam quod ad mortem, qđ quod non ad mortem est. Sed de peccato quod ad mortem

ad mortem est, ne roget, id est ne petat: nam non exaudietur, propterea q; male petit. de eo etenim intelligit qui nullam præ se fert conuersionem: quippe cum solum id peccatum ad mortem sit, quod ad pœnitentiam nullam respicit: quo etiã Iudas implicatus æterna morte est oppressus. Mat. 7. a
Adde quòd qui iniuriarum quoque memoriam conseruant, ad mortem peccant. Viæ enim iniuriarum recordantium ad mortem, inquit Salomon. nam neque isti cum memoriam iniuriarum semper retineant, & iram erga proximum repositam seruent, vnquam pœnitentia ducti conuertuntur: sed impœnitenter peccant. Hæc vbi explicauit, quorum hominum sit ad mortẽ peccare significat, atq; ait, eum qui adoptatus a Deo in filium est, necp ad mortem neque non ad mortem vnq̃ esse peccaturum: quippe cum semel inhabitãti in se per adoptionem Christo sese cum dediderit, intactus atq; impollutus à peccato permansurus sit. Sed ne quispiam putet huiusmodi hominem naturã prorsus ita immutasse, vt peccare in posterum amplius non possit: subiungit: sed qui genitus ex Deo est, seruat se ipsum: vt significet videlicet, eum nisi seipsum seruet, à prauoque accurate custodiat, prorsus esse peccaturum. Nõ igitur, inquit, natura in impeccabilem statum prouehimur: sed ex Dei munificentia: qui in filios nos adoptãdo hac gratia nos dignauit, vt si nos donum eius nobis diligenter custodiamus ac conseruemus, non peccare etiam possimus. Nam alioqui, inquit, cum mundus in prauo & maligno collocatus sit; mũdum autem Pro. 12. d

appellat eos qui in adoptionem filiorum Dei se ipsos per bona opera minime transmutarunt: nihil vetaret, quo minus nos quoq; inter pereuntes connumeraremur: quippe cum cogitatio hominis ad praua a iuuentute sua studiose incumbat, quem ad modum diluuij tempore Deus pronunciauit. Sed quia, inquit, filius Dei venit, & mentem nobis dedit, id est dignotionem, qua interna animi notione ipsum verum Deum agnoscimus, & in ipso vero filio ipsius Iesu Christo sumus: ex huius magnifico dono hunc esse verũ Deum, & vitam æternã perspicimus: atq; illæsi à prauo & scãdalis eius permanemus. Cum vero inquit, hic est verus Deus &c. (hic) pro relatiuo nomine (qui) positum videtur. Gen. 6. a

Filioli custodite uos ipsos à simulacris. Amen.

Quærunt nonnulli, cur si ad perfectos fideles hæc scribit, custodire seipsos a simulacris moneat? dicendum est, eum quoniam ad catholicã & vniuersalem ecclesiã hæc scribit, quæ nõ tota electo populo explebat: ad eos qui in ipsa negligẽtiores erant, quorũ facilem lapsum suspicabatur, hac monitione vti.

Primæ Ioannis epistolæ catholicæ finis.

IOANNIS EPISTOLÆ secundę argumentum.

HANC Ioannes Electæ & filijs eius scribit. Occasio eius scribendæ hæc fuit, cum

filios eius bene in fide conuersari videret, & multos deceptores, & illusores circumuagari, qui dicerent aduentũ Domini in carne non esse: hac epistola eos munit. ac primum quòd filij eius bene in fide ambulent, lætatur. deinde non nouum esse fidei nostræ mysterium docet. de charitateq; rursus ait: hortaturq; ut in doctrina ipsis tradita persistant: eumq; qui Christum in carne non venisse affirmat, antichristum esse ait. præcipitque huiusmodi homines neq; in domum admittendos, neq; salutandos prorsus esse.

Capita Ioannis epistolæ secundæ.

De recta vita in charitate Dei per fidem piam immutabilem. de non introducendo hæreticũ in domum, & salutãdo in peccatum. promissio aduentus sui Cap. vnicum.

IOANNIS EPISTOLA II.

De recta uita in charitate Dei per fidem piam immutabilem: de non introducendo hæreticum in domum, & salutando in peccatum: promissio aduentus sui. Cap. vnicum.



RESBYTER Electæ Dominæ & filijs eius, quos ego in ueritate amo, & non ego solus, sed etiam omnes qui cognouerunt ueritatem, ob ueritatem quæ in nobis manet, et nobiscum erit in æternum. Erit no-

biscum gratia, misericordia, pax a Deo patre, & à Domino Iesu Christo filio patris in ueritate & charitate.

Nonnulli hanc & sequentem epistolam non esse Ioannis illius dilecti a Domino, sed alterius cognominis opinati sunt, propterea quòd et presbyterum in his seipsum appellat, & alteram ad mulierē quę vna tātum erat, alteram ad Caium qui etiam ipse erat vnus, scribit: id quod vniuersali epistolæ minime conuenire aiunt. Illud quoque in argumentum adducūt, ꝙ inscriptionem, non sicut in priore facit. diuerso enim modo in illa est exorsus. Sed ad hoc quod extremo loco dicunt, ita respondendum est. In priore nō hoc modo eum inscriptione usum fuisse, eo ꝙ nō ad certam personam, neq; ad locorum quorundam ecclesiā scribebat, quem ad modum Petrus, & ante Petrum Iacobus, ille ad eos qui in dispersione erant Iudęos, hic ad duodecim Iudęorum tribus separātim se scribere asserentes: sed ad omnes fideles siue in ecclesia aliqua, siue in nulla essent congregati, cōmunem sermonē faciebat. Presbyterum autem hic se & non Apostolum, neq; seruum Iesu Christi vt cæteri apostoli, appellat: nō Apostolum quidem ob id fortasse, quia ipse non fuit primus qui in Asia verbum annunciarit, sed post Paulum, & non in transitu sicut ille, prædicationis cursum absoluens, sed illic manens, & præsens ad præsentes verbum exponit. Sed neque seruum se vocat, propterea ꝙ cum vehementer à Domino fuerit dilectus, extra seruitutis timorem se esse confidebat. Presbyterum autem tantum modo seu seniorem se appellandum censuit, vel quia cum senex iam esset, hæc scripsit, vel vt se episcopum nomine presbyteri esse declaret. Per illud enim tēpus, quem ad modum & ex apostolorum gestis, quæ beatus Lucas scripsit, & ex Petri epistola videre licet, de episcopis etiam presbyteri nomen dici consueuerat. Ad mulierem autem fidelē scribere nihil est veritus, quia in Christo Iesu neq; marem, neque fœminam agnoscit. Ad Caium etiam scribens, qui vnus tātum erat, Paulum habet auctorem, qui etiam ipse & ad Titum, & ad Timotheum, & ad Philemonem priuatos homines epistolas mittit. Atq; hæc de inscriptione dicta sufficiant. Ex loquutione autem & reliqua orationis dispositione germanæ esse Ioannis hæ epistolæ videtur. quippe cum etiam in his sæpe oratio repetatur, atq; eadem, vbi quęlibet occasio inciderit, de eisdem rebus dicūtur: atq; ita sicut in superiore omnia confirmentur. Duo vero sunt, quę Electæ huic tradit, vnum, vt in charitate ambulet, alterum, vt hæreticos auersetur. Electā vero vel ex nomine eius proprio, vel ex virtute appellat. quam se amare in veritate inquit, neque se solum, sed omnes quoq; qui similes ei moribus sunt, qui veritatē in se stabilitam ac firmatā reuera habent: hoc enim significat, cum inquit, ob veritatem quæ in nobis manet: ea autē est fides in Christum. Porrò amare se in veritate inquit, propterea ꝙ ficte quoque & ore tantū ac lingua amare possimus, sicut ipse in priori epistola de

Act. 20. d
1. Petr. 5. a

Gal. 3. d

1. Ioan. 3. a

quibusdam falsis fidelibus ostendit. Cū vero dixit, ob charitatem quæ in nobis manet, id est, veram & firmam, & non variatam, subiungit (& nobiscū erit in æternum) vt donum id esse ita stabile declaret, vt amitti etiā non possit: quippe cū fieri queat, vt etiam si firmati aliqui in re aliqua sint, nisi recte stabilitate ea utantur, ex ea rursus possint exturbari ac dimoueri. Addit præterea (erit nobiscū gratia et misericordia, et pax &c.) bona manifestās quæ ex perfecta charitate eflore scunt. Inquit autem (à Domino Iesu Christo filio patris) eo ꝙ solus ipse Deus proprie est pater. Vnde etiam Paulus, ex quo, ait, omnis paternitas in cœlo. & in terra nominat. Postea infert, in veritate & charitate, vt cōfirmet orationem, & verę charitatis indicium declaret.

Ephes. 3. c

Gauisus ualde sum quòd de filijs tuis inueni ambulantes in ueritate, sicut mandatum a patre accepimus.

Causa re vera maximi gaudij est, cum aliquē sine offensione ī fide Christi ambulare iuxta mādatum eius inuenimus. mandatū autem eius est, de quo in euangelio ait, qui amat me, mandata mea seruabit. nam patrem nūc Christum uocat, qui datorum sibi a patre filiorum per dispensationem pater est. Vnde dictum id est: ecce ego, et pueri quos dedit mihi Deus. Vide autem quàm vere Ioānis huius epistola hæc sit. Hoc enim cū eo conuenit, quod in priore etiam positum est, cum diceret, & nouimus eum qui amat Deum, mandata eius seruare, ambulare siquidem iuxta

Ioā. 14. b. c

Esa. 8. d
Heb. 2. d

1. Ioan. 2. a

mandata, & seruare mādata idem est. cum enim actiuæ virtutes sint, & in operatione essentiam suam habeāt, qui iuxta eas ambulare desinit, eas non seruat, id est non custodit. Ambulare autem progressum significat. quātum enim quis in virtute operatur, vlterius progreditur, habitumque honesti perfectiorem sibi subinde cōparat: quippe cum infinita, & nunc̄ deficiens virtutis via sit. Propterea, vt puto, etiam illud dictum est, in quæ angeli prospicere cupiunt. tanta siquidem donatorum nobis ab eo qui humanitatē assumpsit, bonorum magnitudo est ac magnificentia, vt desiderabile etiā angelis sit, si eorum vel paruam percipere cognitionem possint. id enim significat παρακύπτειν, id est prospicere. vnusquisq; enim qui sapit, non id quod cessaturū est, appetit: sed quod perpetuo ꝓgredit̄, & incorruptibili gloria eluceſcit. Sed quia fieri non potest, vt qđ inexhaustū est, totū cōprehēdatur: satis superq; est, si uel aliquatenus participes eius efficiamur.

1. Pet. 1. c

Et nunc rogo te Domina, non quasi mādatum nouum tibi scribens, sed quod habuimus a principio, ut diligamus nos mutuo. & hæc est charitas, ut iuxta mādatū eius ambulemus. Hoc est mādatum sicut audiuistis a principio, ut in eo ambuletis. Quoniā multi seductores in mundum ingressi sunt, qui Iesum Christū uenire in carne non confitentur.

Hoc etiam cū ijs quę in priore dicta sunt, consentit. nam non nouū mandatū se scribere asserit, id quod etiam illic dixit; vt ostēdat se ea quæ

iam pertractarunt, & operando iã experti sunt, tradere & nõ noua et difficilia, quę molesta esse ob insuetudinem possint. subiungitque quod sit mandati huius opus, vt diligamus nos mutuo: & charitatem simul in eo existere ostendit, dum secundum ipsam ambulamus: mandatumque ab initio non alterius causa nobis datum esse ait, q̃ vt in eo ambulemus: vltro citroque eadem commiscens, ac repetens: vt videlicet per charitatem vnionem ipsis idiuulsam procuret, ne ad seducto res qui iam in mundum processerunt, Dominiq̃ aduentum in carne reprobabant, segregarentur: per mandatum autem Domini iuxta quod non recenter sed a principio & antiquitus ambulãt, erraticam ac falsam hæreticorum opinionem no uam esse declaret: atq̃ ita hortetur, vt mandatũ quod ab initio acceperunt, sequuti, deceptione illorum ne seducãtur. Nam de huiusmodi seductoribus mandauit Christus, cum diceret: multi ve Luc. 21, b nient in nomine meo dicẽtes, ego sum Christus, & multos decipient: ne post ipsos eatis'. Hæc igitur mandata seruantes hortatur, ne decipiantur, sed eum qui huiusmodi falsa dicit, antichristum esse opinentur.

Is est seductor & antichristus. Videte uos ipsos, ne perdamus, quæ operati sumus, sed mercedem plenam recipiamus. Omnis qui transgreditur & non manet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui manet in doctrin a Christi, is & patrem & filium habet.

Subintelligenda ad perfectiorem declaratio-

nem verba hæc sunt: Q ui igitur hæc non confitetur, vt apte subiungatur, is est seductor, & antichristus. Alioqui enim inconnexa oratio est, cum e plurali numero ad singularẽ trãsitus fiat. Cum vero inquit, qui Iesum Christum venire in carne con confitentur, & non, venisse: eos significat, qui secundum Domini aduẽtum reprobant. Q uoniam etiam ipse Dominus, cum ait, multi venient in nomine meo, non de primo, sed Luc. 21, b de secundo suo aduentu intelligit. Tametsi qui secũdum irritum facit, primum quoq̃ reprobet, necesse est. Nam si qui in carne aduenit, secundo se venturum esse pollicitus est: prorsus qui secundum repudiat, primum refellit. Si enim aduenisse eum credit, promissionem quoq̃ eius certam futuram esse existimat: si promissionem non admittit, nulla ratio est, cur aduenisse eũ credere dicendus sit. Propterea, ut puto, dilectus hic discipulus venire, & non, venisse, dixit, vt vtrunque Domini aduentum in carne negantes comprehẽderet. Monet igitẽ vt ab ipsis his caueant, & cautam infert, ne ex eorum consuetudine & consortio quæ operati prius fuistis, amittatis, sed integram mercedem accipiatis. Sed dicet fortasse ex his quispiam: Q uid si non credidero Christi aduentum in carne, & bene operando tamẽ vitam traduxero, nonne ob bona opera potero & inter pios connumerari, & mercedem accipere? Hanc obiectionem præuenit Apostolus, ac tollit: nemo inquiens qui aduentum Domini in carne reprobat, se vel operum remunerationẽ perfectã, quæ fidelibus debetur, accipere, vel pium omnino

Universidad de Deusto
Biblioteca

censeri posse existimet. Sed omnis qui transgreditur mandatum eius, id est Christi qui aduenit, & non manet in doctrina ipsius, Deum non habet. Nam si is reprobari cõspiceretur, qui venit vt homines perfectam Dei cognitionẽ doceret: quo modo pius est existimandus, qui diuinorum spectaculorum enarratorem contemnit? impius sanè is est: quem ad modum econtrario pius, & diuinus ille est, totãq; in se diuinitatis integritatem habet, id est patrem & filium & spiritũ sanctum, qui in Christi doctrina firmatus est ac stabilitus. Ipse enim de patre docet, cum ita inquit, Ioan. 16.c omnia quæcunq; habet pater, mea sunt: & multis alijs in locis tum de se, tum de patre doctrinã tradit, se filium, illum patrem esse declarans. De Ioan. 16.d spiritu item sancto, vbi ait: quem ego mittam à patre, spiritus veritatis, qui a patre procedit. Ac Matt. 28.d demum de his perfectius, cum inquit: baptizantes ipsos in nomen patris & filij, & spiritus sancti. At enim quòd de patre et filio tantummodo à Domini discipulo facta hic mentio sit, & non de spiritu sancto: nulli id scandalo esse nobis debet. Res enim in præsentia id exigebat, vt de hoc tm̃. i. de patre et filio diceret. Atq; hæc, ne lõgius euagemur, hac de re dicta sufficiant. In doctrina autem Christi, id est euangelica, ille manet, qui iuxta ipsam & sapit & agit, hoc est contemplatiue & actiue vitam traducit. Qui ab ea recedit, est impius. sicut enim qui per exactam vitæ traductionem sese Deo conciliat, pius est, quẽ ad modum Abraham: Vnde ab eo audiuit, ego Gen. 17.a Deus tuus sum; Sic qui præter euangelij manda-

tum viuit, est impius, cum sese ipse à Deo excludat. Cum igitur impius sit is, qui a diuina eruditione & doctrina sese alienat: qui in ipsa manet, pius est & patrem & filium habet. De hoc enim etiam filius ipse inquit, cum ait: apud ipsum ve- Ioan. 14. 6
niemus, patrem videlicet, & cõmorationẽ apud ipsum faciemus. quippe cum ex mandatorũ obseruatione templum se & habitaculũ Dei vnusquisq; faciat. atque ita Deum in se habeat. Duobus autem modis habere Deum aliquis dicitur: Nam & creaturæ omnes habere Deum dicũtur, vnde & Paulus inquit, in ipso enim viuimus, et Act. 17.f
mouemur, & sumus. atq; hic modus ad rerum essentiam tantum spectat. Altero modo habetur Deus, cum quis bene agẽdo eum colit: quo significato & Deus Abraham, & Deus Isaac, & alio Exo. 3.b Matt. 22.c Mar. 12.c Luc. 20.f
rum denique piorum Hebræorum Deus dicitur. Aduertendum autẽ qui habet filium, habere etiã patrem. qui enim, vt inquit ipse filius, filium vidit, vidit & patrem. & rursus: egò, inquit, in patre, & pater in me est. vt ex hoc etiam consubstãtiales pater et filius esse cognoscant? At si quis dicat, ex hoc nihilo minus fieri etiam posse, vt qui discipulos excipit, filium quoque & patrem habeat: quippe cum de ipsis dicat Saluator, qui su- Ioan. 14. b
scipit vos, me suscipit: qui vero me suscipit, eum Mat. 10.d Luc. 9.f Mar. 9.f
quoq; qui me misit, suscipit: respondendum ita est, de doctrina tum ea a Saluatore hic dici. qui enim Apostolos doctrinam ipsorum admittẽdo suscipit, is per ipsos filium quoq; & patrem docentes suscipere dicendus est. Tametsi nihil obstat, qn ita quoq; dicere possimus. Quia q ma-

net in doctrina Christi & filium & patrem habet, cum apostoli in ea maneant, adeo vt prædicare etiam eam vbicunque nitantur: fit, vt qui ipsos qui templa Dei sunt, suscipit, is eos suscipiendo filium quoque & patrē qui in ipsis est, habeat.

Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinā non affert, ne in domum ipsum admittatis, neque saluere ei dicatis. Qui enim saluere ei dicit, in operibus eius prauis communicat. Cum multa haberem uobis scribere, noolui per chartam & atramentum id facere, sed uenturum me ad uos, & coràm ore loquuturum spero, ut gaudium uestrum expletum sit. Salutant te filij sororis tuæ electæ. Amen.

Confirmat eos ad quos est hæc epistola, vt si quis ad eos cum hac confessione non accesserit, non modo sub tectum non admittatur, sed ne salutatione quidem vlla dignus habeat: quippe cui salutatio atq; alloquutio huiusmodi solis ijs qui ijsdem moribus, eademq; fide præditi sunt, exhiberi consueuerit. Quibus enim salutem hāc præfamur, nisi & moribus et fide similibus? Vnde si impijs, inquit, huiusmodi salutationē afferemus, prorsus quasi fidelibus et pijs afferemus, in societatemq; nostrā eos assumemus: atq; ita nobis ne in barathrum suum nos detrahāt, periculum maximum impendebit. Causam postmodum cur breuem admodū epistolam scripserit, & hic & in sequenti exponit: cùm se sperare dicit, vt coràm præsens quæ restant dicenda, ipsis præsenti

bus explicet. Ex eo vero quod in calce epistolæ postremo ita inquit, Salutant te filij sororis tuæ electæ, nonnulli argumentum faciunt, q̄ non ad mulierē, sed ad ecclesiam scripta epistola hęc sit. Qua de re, si quis ita velit, nihil ego contendendum censuerim.

Secundæ Ioannis epistolæ finis.

IOANNIS EPISTOLÆ tertiæ argumentum.

